יהוה

CHARITATE PERPETVA DILEXI TE

Livor alta petit

CLYPEVS GRATIÆ

BIBLIA

Perdam Vos ne perdar à Vobis.

Libri no. XIV.

Vitia Literatorum.

FELIX LITERATVS EX INFELICIVM PERICVLIS ET CASIBVS AVTHORE THEOPH. SPIZELIO

Digitized by Google

FELIX LITERATUS
EX
INFELICIUM PERICULIS
ET CASIBUS,
SIVE DE
VITIIS LITERATORUM
COMMENTATIONES
HISTORICO-THEOSOPHICÆ,

QUIBUS INFELICIUM EX ANIMO, H. E. VITIOSORUM LITERATORUM CALAMITATES ET MISERIÆ, CONQUISITIS EXEMPLIS ET DOCUMENTIS SELECTIORIBUS EXPONUNTUR, ATQUE ERUDITIS, AD VERÆ ET IMPERTURBATÆ FELICITATIS SEDEM TENDENTIBUS VIA TUTISSIMA OSTENDITUR.

AUTHORE

THEOPHILO SPIZELIO,
D. V. I. E. A. M.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
APUD THEOPHILUM GOEBELIUM
LITERIS KOPPMAYERIANIS.
M. DC. LXXVI.

Digitized by Google

CELSISSIMÆ

SANCTISSIMÆQUE

TER-OPTIMI TER-MAXIMI

NUMINIS

MAJESTATI,

BEATÆ ITEM ÆTER-

NITATI,

ATQUE PERPETUÆ


LITERATORUM

HOMINUM FELICI-

TATI

OPUS HOC SACRUM ESTO!




QVI VIVUNT, POSTHAC NON SIBI VIVANT, SED EI QUI PRO IPSIS MORTUUS EST ET SUSCITATUS, 2 Cor. 5 v. 15.
Semper age quod velles novissimè.
THEOPHILUS SPIZELIUS AUGUSTAN.
ÆTAT. ANNO XXXVII. Æ. C. CIↃ IↃ CLXXVI.
E. Hainzelman sc. Aug.

OPERIS HUJUS HISTORICO-THEOSOPHICI CONSPECTUS.

LITE-

LITERATIS EX ANIMO FELICIBUS
S. P. D.
AUTHOR!

NOn invenêre prisci Sacrorum Ægyptiacorum Antistites, cui convenientius PERSEAM arborem (cujus FOLIA LINGUÆ figuram referunt, FRUCTUS CORDIS,) dedicarent, quam Sermonum NUMINI, optimè judicantes, COR VIRI SAPIENTIS pariter ac LINGUAM divino consecrandam ministerio, atque profundiori rerum cognitioni sociandum esse omne melioris vitæ institutum. Num sanctius quicquam monito isto hierogly-

phico myſtæ enunciare, anne ſalutarius præceptum alumnorum ſuorum auribus & animis inclamare potuiſſent? Aſt longe evidentius, diſertiuſque CHRISTIANA PHILOSOPHIA oſtendit, NON LINGUA SOLUM, SED VITA etiã moribuſq; philoſophandum; qui ſecus faciant, illos non PERSEÆ, ſed arboribus ſimiles eſſe SODOMITICIS, quæ pulchram quidem maturitatis præ ſe ferant ſpeciem, levi tamen compreſſæ tactu, illicò in favillas fatiſcant & cineres, atque ut ipſe Dominus ait, dealbatis reſpondeant ſepulchris. Quid quod univerſi hujus Conditor Maximus, nobile ejuſdem documenti ſymbolum in terreſtri Paradiſo conſtituturus, SCIENTIÆ LIGNUM proximè LIGNO VITÆ duxerit plantandum. *Neque enim VITA* (uti præclarè Juſtinus Martyr ſcripſit ad Diogenem) *ſine COGNITIONE,*

Digitized by Google

NE, neque Cognitio sine verâ VITA tuta est, ideoque in propinquo utrumq; fuit plantatum. Et Magno Ambrosio enunciante, *multò satius est VITAM Bonam (quæ etiam sine doctrina habet gratiam) possidere, quam doctrinam sine vita, quæ nullam habeat INTEGRITATEM!* Ecquis eum Doctorem ARBOREM vocare dubitaret dignam quæ DEO consecretur, qui LINGUAM in FOLIIS, COR autem in FRUCTIBUS exprimat, adeoq; juxta Servatoris ipsius monitum & exemplum FACERE pariter ac DOCERE laboret, neque eorum inscriptus sit albo, quibus olim exprobratũ fuit, quod DEUM LABIIS duntaxat suis (CORDE autem averso) honorarint. Etiam quem Christianum nonnulli dixêre SENECA; præclarè docuit, veram Sapientiam non in VERBIS solùm, sed in REBUS etiam consistere, non in hoc adhiberi, ut cum

aliquâ oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea, sed quæ animum formet ac fabricet, vitam disponat, actiones regat, agenda & omittenda demonstret. Quid, quod toto de brevitate vitæ libro ostenderit, hanc unam esse vitæ extendendæ rationem, quam omnes brevissimam querantur, si cæteris rebus omissis publicis privatisque, quas vel vanas, vel exitiosas (etiam quæ tutissimæ videntur) exitus probet, omnem ætatem SAPIENTIÆ studijs impendamus, NOBISque ipsis vivamus, cui uni curæ Paullinum suum, relictis publicis, quibus detinebatur negotijs, voluit occupari. Nos verò cœlesti beneficio sanctioribus imbuti placitis, ad BEATIOREM longè, solisquè fidelibus promissam adspirantes IMMORTALITATEM, affatim vitæ hujus, tot miseriarum turbinibus agitatæ brevitatem compensatam

puta-

putabimus, si è seculi hujus tenebris, atque infinitarum vanitatum abysso, per Christum in admirabile Divinæ Sapientiæ lumen, atque felicissimum cœlestis gloriæ Paradisum transferamur.

Magnæ sunt fateor LITERATI HOMINIS ex assidua studiorum tractatione voluptates, siquidem præ his vix ullæ aliæ ipsi arrideant, non epulorum aut ludorum, aut aliarum quarumcunque illecebrarũ delitiæ, imò nihil propemodum delectabilius fingi possit, quam immotæ studiorũ suorum axi inhærens literatus. Mente siquidem universum permeat Orbem, quidquid uspiam præclarum & excellens est, intelligentia inspicit, Regnorum ortus, progressiones, inclinationesque, ex eruditione, tanquam è specula contemplatur, videt tot naufragia sine metu, tot bella spectat sine periculo, abditiora terræ viscera sine fatigatione ri-

matur, ingreditur Principum ædes sine repulsa, subit Templorum Sacraria sine sacrilegio, Sapientum consilijs interest absque censura. E Stoa pro lubitu in Academiam transit, ex Academia in Lyceum, Zenone, Socrate, Platone, Aristotele, Pythagorâ, Epicteto, Seneca, cæterisque insignibus Viris utitur familiarissimè. Libris circumfusus, delibat quidquid est in Grammaticis accuratum, in Epicis amœnum, in Tragœdis sententiosum, in Comœdis festivum, in Lyricis excultum, in Satyra salsum, in epigrammate acutum, in fabulâ ingeniosum, in panegyri elegans, in historia varium, in eloquentia sublime, in Philosophia reconditum, in Medicina necessarium, in Jurisscientia utile, in Mathematicis admirabile: Quantumvis igitur ingens ea sit quæ Virum solidè doctum comitatur delectatio, nihili tamen reputanda est

illius VOLUPTATIS intuitu atque respectu, quæ Literatis ex sinceræ PIETATIS Virtutisq; Christianæ exercitio maximã beatitatem conciliat. Talia eam excipiunt oblectamenta, quæ etiam sæpius repetita neutiquam displiceant, nullumque unquam fastidium habeant finitimum.

Et cum ad imperturbatæ hujus FELICITATIS sedem tendentibus LITERATIS, paucis ab hinc annis, opellâ peculiari (quæ sub PII SECESSUS * titulo prodijt) quoddam veluti calcar addiderim, atque ERUDITI HOMINIS, à profanæ doctrinæ & vitæ vanitate, ad sinceram veramque PIETATEM exposuerim manuductionem, quâ sc. ratione illi, qui pridem cum cæteris seculi mancipijs otiosè fuerint negotiosi, latéque hinc inde sint evagati, ad se ipsos tandem accedere propius, secum habitare felicius, inque

* Edit. 1669. Aug. una cum Ep, de Atheismo eradicando.

inque PIO quodam SECESSU, velut in egregio veræ ſapientiæ arcano abſconditi, res & curas hominum profanè literatorum tutius intueri, DEOque optatius ſervire poſſint; Animus nunc eſt novo (utinam non ſupervacaneo!) Opere, Literati Orbis incolas ad celſiora nitentes, & VITÆ FELICIORIS tyrocinia (poſt ſuperatos pluſquam Herculeos labores, exhauſtas verè omnes corporis animique vires, immenſa denique tædia devorata) ponere optantes ſui admonere officij, & ad hoſtes illos domeſticos debellandos, peſteſq; VITIORUM execrabiles exterminandas profligandaſque invitare pariter ac incitare; ne ſcilicet doctrinâ literiſque humanioribus exculti mortales, gravi illâ paſſionum, affectionum & inclinationum perverſarum (quas antiquus hoſtis in eos veluti proditores quoſdam ſuſcitare ſolet)

let) mole in terram defigantur, æternæque tandem dentur internecioni, sed Divinæ potius GRATIÆ radijs collustrati, ad veram sinceramque PIETATEM convertantur, deq; tenebrarum filijs, sempiternæ Lucis hæredes efficiantur. Navigationem quandam toto hoc opere confecturus, Argonautis LITERATIS, horrendarum procellarum, vitiosorumq; fluctuum impetu abreptis, seriæ solidæq; POENITENTIÆ anchoram ostendere constitui, ut perspectis tot eruditorũ hominum periculis & casibus, cognitis tam funestis exitiosisquè vitiorum scopulis, totque piratarum spiritualium fraudibus insidijsque exploratis, deinceps NAVIGATIONEM suam, h. e. SE IPSOS regant prudentius, cogitantesque, quâ sæpè vi ac impetu ab adversarijs ad casum sint concussi, & ex casu in præcipitium, MALA sua, h. e. peccata,

)??(gra-

gravioraque paroramata sibi frequenter revocent ad animum, & conscientiam perperam gestorum habeant ante oculos, tum ritè pœnitẽdo ad DEUM accedant, & salutari horrore perculsi, maximarumquè illarum procellarum ac belluarum Marinarum, IMPIETATIS scil. SUPERBIÆ, CENODOXIÆ INVIDIÆ, CONTENTIONIS, MALEDICENTIÆ, AMBITIONIS, AVARITIÆ, NOXIÆQVE CURIOSITATIS faucibus erepti, ad divinæ misericordiæ, Christi Salvatoris merito partæ aram confugiant, eique soli confisi, ac libertati pristinæ restituti, æternam cœlesti ope evitent confusionem. Non mihi in hoc opere adornando consilium, alienam scabiem satyrico perfricare sale, non carpere quempiam temerè aut lædere, non instituì summos ac de publica & literaria re meritissimos Viros atro notare carbone;

ne: Prorsus enim anous essem, si quam libro hoc conor evertere quorundam profanè doctorum malignitatem, convitijs ipse sustentarem. Convitijs inquam omissis, VITIIS potius HOMINUM LITERATORUM sacrum indicere bellum, easque pestes suis coloribus depingere constitui. *Siquidem* (scitè dicente Paschalio) * *NOTITIA VITIORUM, omniū saluberrima cognitio, eaq́ altissimè inspicere, idem prorsus sit atque odisse; Vitia verò odisse sit ipsam amplecti VIRTVTEM, h.e. esse in confinio, mox in gremio VERÆ FELICITATIS.* Et cum EXEMPLIS primùm, dein DOCUMENTIS selectioribus INFELICIUM EX ANIMO, h.e. VITIOSORUM LITERATORUM miserias & calamitates duxerim exponēdas, op[...]ram intendi diligentiorem, ne quicqua[...] in cerebro natum, aut ambiguo rumo[...] relatum obtruderetur, verum probatissi-

)??(2 mo-

* Paschal. Præf. lib. de Character. Virtut. & Vitior.

morum authorum suffragijs sive testimonijs stabilirentur omnia, atq; quam diligentissimè caveretur, ne eruditi homines, præter rem culpamve suam temeratæ virtutis admissæque vitiositatis obelo notentur, & sive Impietatis atheismiq;, sive Superbiæ & Cenodoxiæ, sive Invidiæ, Contentionis & Maledicentiæ, sive Ambitionis, Avaritiæ ac noxiæ Curiositatis veru inique transfigātur. Quod ab alio *quovis ipsi optamus*, ait nonnemo, *vel ſſ eramus officium, nimirum ut post fata etiam fama persistat integra, & ab hostium vindicetur injurijs, hoc nos quoque Viris de publicâ & literariâ re meritissimis ex animo præstemus, & graviter quidem, ne parum seriò id e- isse videamur.* Ea verò potissimū cura me rsavit atque cogitatio, ut doli fraus que (quibus callidus ille veterator DOCTISSIMIS etiam HOMINIBUS hactenus imposuit) fideliter detegantur, ac

ac INFELICIBUS quibuſdam, & in corruptæ inquinatæq; eruditionis Republicâ etiamnum degentibus Literatis, via tutiſſima ad VERÆ & imperturbatæ FELICITATIS metam oſtendatur, denique ut malè (ad animum quod attinet) ſe ſe habentibus, remedia præſcribantur, quibus à præſentiſſimo mortis periculo (divinâ adſpirante clementiâ) liberari queant. Quod ut aliquouſque exequerer, nulla non vitæ Literato-Chriſtianæ inſtituta duxi delibanda, ea ubique proſecutus, quæ nõ uni Literatorum Ordini, unive Doctorum hominum familiæ, ſed cunctis omninò conveniant, quemadmodum architecti eâdem norma pluri-ve erigere domos; ijſdem ſanitatis prædictis, omnium curare morbos, vel firmare valetudinem Medici aſſueverunt. Et verò, haud ſecus ac ſi quis de vitæ diuturnitate ſcriberet, id ſpectans, ut ejus

tuendæ & prorogandæ rationem commonſtraret, ineptè prudentiorum judicio faceret, ſi de vita, de tempore, de duratione multa Philoſophorum in morem diſſereret; ad rem verò ſuam aptiſſimè, ſi de cibis, de diæta, de otio, laboreque ad valetudinem conferente, malè affectorũ bono diſputaret; Ita hoc in argumento apprimè vitandũ duxi, ne de VITIIS LITERATORUM, Scholaſticorũ in morem ſubtilius dicerem, ſed potius tũ in excutiendis peſtiferis morborũ myſticorum ſeminarijs, tum oportunis etiam REMEDIIS præſcribendis diutius morarer, operamque collocarem fructuoſiorem. Haud equidem me latet, quam grave hoc opere volvam ſaxum, quamque arduum ſuſceperim onus, utpote inviſũ Mundo, ejuſque Principi diabolo, cujus fraude & malitia plerumq; accidit, ut optato progreſſu careant, quæ DEI pietatiſq; propagan-

pagandæ causâ ſuſcipiuntur. Certo certius autem mihi perſuadeo, non defuturum meditato operi conſilioque ſucceſſum, quem rebus ſuis SS. Numen dare ſolet, licet id non ſemper fiat modo & tempore à nobis efflagitato. *Quiſquis DEUM ejusq; honorem ſincerè amaverit, & ſpreto fortiter furore favoreque humano, gradu indeflexo perrexerit, is ad ſiniſtra neutiquam delabetur, ſed ſuprema FELICITATIS Chriſtiano-LITERARIAE faſtigium tandem aliquando conſcendet, ſempiternâ gaviſurus BEATITATE.* Quem ipſum immarceſſibilem laborum certaminumque ſuorum fructum tempore ſuo percipient, atque HOMINUM ex ANIMO feliciſſimorum elogium certo certius conſequentur LITERATI ſinguli, ſi execrandis illis, quas toto hoc opere deteſtati ſumus, eruditi Orbis peſtibus ſancti dent repudij libellum, inque pietatis virtutisquè ſinceræ palæ-

palæſtra ſtudio ac labore indefeſſo ſe ſe exerceant. DEUM ipſum ſic trahent ad ſe, ejuſque clementia ac benignitate FELICITATIS ſupremæ apicem rectiſſimè attingent. Divites ſic erunt ſatis, ſatis docti, clari ſatis, denique in ipsâ infelicitate ſua (ſi quæ ijs in ſeculo obtingat) FELICES ſatis atque BEATI. DEUS fons omnigenæ proſperitatis ipſis erit omnia, Pax, gloria, theſaurus, gaudiumquè ſempiternum. Accipite igitur O FELICISSIMA PECTORA, hæc bono veſtro conquiſitâ, & ad claſſes ſuas reducta, necnon LITERATORUM HOMINUM moribus expoliendis adaptata monita Theoſophica, quæ ſi ſint ad animorum veſtrorum emolumentum, interpretabor me in hoc quali quali opere parando operam neutiquam perdidiſſe. Valete, & ſi libitum eſt, ſubſequentem de prima Infelicitatis literariæ origine, ejuſque remedio Diſſert. legite.

DIS-



DISSERTATIO PRÆLIMINARIS DE PRIMA INFELICITATIS LITERARIÆ ORIGINE, EJUSQVE OPORTUNO REMEDIO.

I.

ANimum non ſemel cogitatio ſubiit, unde tantum fortunæ erga VIROS LITERATOS odium, ut à longo ſeculorum decurſo tempore aſſidua in eos calamitatum & miſeriarum fulmina emiſerit, plerosqve gravi egeſtatis ſubjecerit jugo, qvosdam duriori excruciarit carcere, alios in exilium egerit, nonnullos injuriis innumeris affectos horrendæ tandem dederit internecioni, adeoqve univerſum ferè Orbem eruditum tantis cladibus inſignem effecerit,

cerit, ut nihil ferè in eò lætabile unqvam ſit deprehenſum. Moleſtum eqvidem foret, arduumqve nimis, omne infelicitatis literariæ excutere ſeminarium, atqve miſerandas maximorum etiam Ingeniorum commemorare ruinas. Non paucos ex ſolâ ITALIA Pierius recenſuit ſui propè temporis Viros, præclaris animi dotibus, pariter ac fortunæ novercantis ludibriis illuſtres. Plures Pieriano pegmati doctiſsimus adpoſuit Toldius. Innumeros uterqve ſcriptor ſive data operâ, ſive invito ſilentio prætermiſit. Non paucos eqvidem hoc ipſum, qvo vivimus, ævum novit viros doctrinâ meritisqve in Rempublicam literariam graves, qvi fato lugubri à felicitatis throno deturbati, pro ſperatis eventibus proſperis, calamitates graviſsimas & fulminantes miſerias aſpexêre, & qvi (ne ullum infelicitatis genus à literatis abeſſet) etiam ſuas, ſibimet inviſas projecêre animas. Qvod ſi verò in prima deploratæ, atqve tot illuſtribus documentis compertæ infelicitatis incunabula, ſive malorum literatos viros exercentium cauſam palmariam inqviſiverimus, qvam-

Jo. Pierius Valer. in lib. de infelic liter. ed Helmſt. 1664.

qvamobrem sc. tot ab Orbe condito & restituto eruditorum myriades, graves adeò tempestates subierint, & vitæ non minus qvam famæ, fluxæ felicitatis pariter ac beatæ æternitatis tristem passæ sint jacturam, ipso meridiano Sole clarius elucescet, plurimos Musarum filios culpâ non nisi propriâ tantæ miseriæ barathrum incurrisse, atq; ob pudendas animi sui labes iratam habuisse Nemesin, *cum* (ipso Platone enunciante,) *summa ingenia, summis plerunq; VITIIS laborent.* Tanta profectò peccatorum in Orbe literato magnitudo semper fuit, tantaqve freqventia, ut concatenatâ qvasi sordium atqve impuritatum serie SS. Numinis Majestatem lacessiverint læserintqve doctorum hominum innumeri, ejusqve justitiam in temporale non minus qvam sempiternum sui exitiũ ac perennans supplicium provocarint.

II. Non sine curâ studioqve singulari Vir nostrâ ætate celebris notavit præstantissimorum qvorundam, & poëtica cumprimis facultate illustrium hominum miserabiles ruinas, verum iis probe perspectis, liqvido constabit, plerosqve malo suo cul- *Johann. Bisselius Illustr. Ruinar. Dec. III. p. 622. seqq.*

culpave propria extremam incurrisse calamitatem, cum in tractandis qvidem excolendisqve literarum studiis illi fuerint assidui, nullam tamen sive pietatis & Religionis, sive honestatis pudorisqve habuerint rationem. Si ullius unqvam viri Literati vita calamitosa, ipsius HOMERI fuit ferè universa, ut plane cento qvidam & pannucia dici possit infelicitatis, *invidæq; fortunæ* (qvod Pausanias conqvestus est) *materies ac theatrum* humana dignum commiseratione, siqvidem non solum cum extremâ paupertate semper sit conflictatus, verum luctuosissimam etiam luminum suorum jacturam subierit, ideò miser, qvia *Cæcus*, & ideò miserior qvia simul *semper mendicus*, ideò autem miserrimus, qvod fortunæ suæ pessimæ faber ipse fuerit, ob idololatriam pariter ac impias & detestandas de divinitate assertiones etiam de gentilium qvorundam sententia gravissimè punitus. Non solum inqvam propterea tam miser ille extitit, qvod teterrimos cacodæmonas aut certè opera manuum humanarum aurum & argentum artisqve inventionem DEOS appel-

appellaverit, cujusmodi idololatras sapientia Salomonis *Infelices* pronunciavit; verum qvod scripta protruserit pudendis execrandisqve narrationibus contaminata, Deos induxerit ac Divas inter se rixantes, pugnantes, vulnera miscentes, imò detestanda qvæqve mentis humanæ facta cogitataqve Divinitatis cujusdam charactere insignire non dubitarit, deniqve stuprorum adulteriorumqve Jovis enarratione plurimum jam olim nocumenti intulerit juvenibus, qvi lectis auditisqve Deorum ac Jovis ipsius tot stupris ad paria ut plurimum sunt provocati, cum Chærea illo *Terentiano* gestientes, *DEUM in hominem se convertisse, consimilemq; ludum jam olim lusisse; fucum ab eo factum esse mulieri per scelus clanculum*. At Dii boni! *qvem DEUM? nimirum illum, qvi templa cœli summa sonitu concutit. Is fecit hæc; Ego non facerem hæc eadem homuncio?* Talium itaqve neqvitiarum Dux Homerus, tametsi nec idola coluisset, neqve cœlestia profanasset, meritas vel eo solum nomine dedit pœnas, qvod lectorum mentes & aures exempli scriptionisq; pravitate coinqvi-

Sapient. XIII. v. 10.

Terent. Eunuch. Act. III. Sc. 5.

inqvinarit, ac ejusmodi divinitati affinxerit ſcelera, qvorum imitatione plurimi in perniciem ſempiternamqve calamitatem ſunt detruſi. Et ſanè qvantam Meleſigenes ille ob pudendam in ſcribendo procacitatem, ruinam ac jacturam adierit, ipſe Pythagoras (profanæ licet ſapientiæ magiſter) innuere voluit, dum Homeri & Heſiodi animas apud inferos ex arbore ſuſpenſas, ac ſerpentib9 undiq; circumplicitas eſſe, graviſſimasqve ac ſempiternas ex morſu pœnas luere neſcio qvo revelante dæmone com̃emoravit. Et cum *alii in illis regionib9 ſedere Homerum* tradiderint *unde negetur reditus*, vel ut chriſtiâè magis dicamus, ubi conſcientiæ malæ verme rodũtur impii, qvis dubitaret, illum poſt fata calamitatem ſubiiſſe omniũ graviſſimã (qvæ ſcil. animæ eſt,) ruinarumq; ſupremum apicem & infauſtam coronidem attigiſſe? Nec minus horrendum conſimilis iufelicitatis exemplum & documentum poſt Homerum, is, cujus modo meminimus, HESIODUS dedit, qvi eâdem qva Meleſigenes patriâ exortus, cum ob inopiam & æs alienum relictis Jonibus & Æolide, Aſcram,

Conf. Genebrard. lib. 1. in ann. mūdi 3186.

ſcram, Bœotorum in Græcia exile oppidum commigraſſet, ibi *Theogoniam* ſuam, ſeu Deorum, Dearumqve natales origines, opera diesqve; Mulierum item Heroidum indicem, & Herculis aſpida ſeu ſcutum conſcripſit. Aſt cum ſuæ in ſcribendo honeſtati neutiqvam vitæ integritatem ſociarit, nec recordatus ſit verborum Theogoniæ ſuæ qvolibet oraculo Delphico veriorum; *Feminam ſtructam eſſe malum hominibus; Malum pulcrum pro bono, dolum arduum & inexplicabilem perniciosum genus, & noxium valdè damnum* &c. cum inqvam verborum immemor horum Heſiodus in Ctemenem Locrenſem in Græcia puellam in luco qvi Nemeæo Jovi ſacer erat incidiſſet, eamqve licet non repugnantem vitiaſſet, tantam culpa ſua incurrit fratrum puellæ Amphiphanis & Ganyctoris indignationem, ut ab illis (ad Simeonis & Levis exemplum) propter vitium ſorori illatum ſævientibus, in promontorio per inſidias exceptus, colligatusqve de rupis editiſſimæ vertice præceps in mare ſit datus, cadaver poſtea piſcatoriis extractum fuſcinis Locris ter-

Heſiod. in Theogon.

ræ mandatum. Sed & alia nobilissima Graciæ Latiiq; ingenia miserè qvondam, licet non de rupibus, collapsa tamen sunt, & in extremæ perditionis barathrum malo & flagitio suo deturbata. Periit hoc modo Lyricorum ille princeps *Anacreon Tejus*, vir carmine vitaqve veneri juratus, ac lascivus, detestabiliqve puerorum consvetudine contaminatus, periit inqvam, uvæ passæ strangulatus acino, qvippe cui merum nimium in omni vita sæpius collum ad prava detorserat. Periit non minus miserè Lyricorum alius *Alcman Sardiensis*, ex qvo nomen & origo versibus Alcmaniis, & scatentbus è corpore vermiculis ingenii sui scriptionumqve luit sordes, ab illis morsu morteqve consumtus. Fœdum qvoqve interitum veluti vitæ fœdioris stipendium accepit Menander, octoginta fabularum compositor, propter insanum in feminas ardorem distortissimus, tandem in Acheruntem (dum exiguo nataret in rivo) è populi, scenis ejus applaudentis favoribus, ipsâqve Ptolemæorum Regum amicitia miserè delapsus. Ac licet non ita dignum exitio fuerit Euripidis

Conf. Plin. lib. VII. c. 7.

dis caput, à canibus tamen Archelai Macedonum Regis intempesta nocte discerptus, ingenti Athenarum luctu interiit.
Qvi tanta cum gloria canem aliqvando futuram Hecubam esse cecinit, & canini funeris epigramma sortituram fore, canes ipsos habuit sepulcrum, avidis eorum ventribus absorptus, potuit vel mortuus, ultima sibi sua, qvam in naves ablegat Hecubæ verba succinere: DURA MORIENDI NECESSITAS! Bissel. l. c. p. 870. Conf. Eurip. ad finem Tragœd. quæ Hecuba inscribitur.
Qvam etiam experti olim sunt Comici inanis gloriæ vento agitati, utpote Philistio Nicæus, Socratis æqvalis, qvem futile gaudium è victoria theatricorum adversus æmulos successuũ conceptum extinxit, ut & *Philippides*, qvem infrænis ob reportatam publici plausus palmam lætitia suffocavit. Nec eos, qvi alienis in cladibus humanam ostenderunt miseriam, domestica calamitas præterivit, veluti *Sophoclem*, bolo cibi obstrangulatũ, *Æschylũ*, jactu silicis interemptum, dum pro mœnibus urbis Siculæ inambularet; *Oppianũ* Cilicem, pestilenti carbone suffocatum, *Aristonem* fame ab Atheniensibus necatum, qvod satyricè nimis mores eorum

perſtrinxiſſet; *Terentium* Afrum, interitu ſpontaneo ob merſas naufragio centum & octo fabulas ſuas è medio ſublatum; *Titum Lucretium Carum*, tanto furore agitatum, ut ipſe qvoqve manum à librorum ſuorum lima ſemotam ſibi admoverit, fatalem in gladium incumbens. *Ejus cruorem deſperatum pollinctor, carminum verò reſiduam maculam, ſpongia fertur Ciceronianæ reviſionis abſterſiſſe.* Omnium autem teterrimum fuit Empedoclis Agrigentini exitium, qvoniam ſceleſtisſimo ſacrilegæ gloriæ venatu qvæſitum fuit & conſummatum. Nam intempeſta ſe nocte demens ille ſtolidusqve literator in ardentiſſimam Ætnæ montis voraginem dejecit, ut cum poſtridiè comparere deſiiſſet, à Siculis crederetur ad DEOS translatus DEUS, ſed repulſa regeſtaqve medio decidentis lapſu vi flammarum, una de crepidis ferreis, & Empedoclis fuisſe deprehenſa, conjectura mota fuit ſpectantibus: *In qvalenam cælum novus hic DEUS abiiſſet? Loqvebantur veſtigia iter.*

Biſſ. l.c.

Vid. Lactant. lib. III. de falſa ſapient.

III. Longum eqvidē foret cōmemorare ſingulos ſive veteris ſive recentioris ævi

cuſto-

custodes literatos, qvi vel à fatuis umbratilis gloriolæ igniculis decepti, vel aliis vitiorum pravorumqve affectuum turbinibus abrepti, adeoqve nonnisi sua culpâ à summæ prosperitatis sede deturbati, extremam subierunt infelicitatem. Qvot præstantes doctrinâ literisqve viri (in operis nostri decursu notandi) Patrum avorumq; nostrorum memoria vitam miserè peractam exitu æqve lugubri obsignarunt! Qvot Musarum antistites insolentissimo suo supercilio, & inusitata audacia priscos, atqve damnificis umbrarum gentilium tenebris obnuptos Philosophos supergressi, in perpetui exitii puteum inciderunt! Stupendum summeq; horrendum ejusmodi infelicitatis literariæ exemplum præbuit *Antonius Urceus*, qvi postea Codri cognomen assumsit, Grammaticorum ævo suo (nimirum seculo decimo qvinto ad finem vergente) doctissimus, qvi cum teste Barth. Bonon. in ejus vita, Forolivii habitans cubiculum sortitus esset in penitiore palatii parte adeò tenebricosum, ut vel de die beneficio lucernæ indigeret, eamqve per imprudentiam (nego- *Barth. Bon. in vita Codri.*
tiorum

tiorum gratia in forum egressus) inextinctam reliqvisset, accidit ut ignis chartarum fomento coalitus, omnia ejus consumserit parata prælo opera, clademqve intulerit viri Museo (in cujus sublimiori parte antea memorabile hoc epigramma cælaverat: *Studia lucernam olentia benè olent,*) planè irreparabilem. Sic itaqve cum omnia ejus periissent monumenta, (qvæ inter præcipuum locum habuit liber, qvem *Pastoris* titulo composuerat,) Codrus veluti furore concitus, ad regiam usqve præcipiti gradu ire perrexit, proqve cubiculi foribus astans, animi impotentissimi horrendum hoc dedit documentum: *Qvodnã ego*, dicebat, *tantum scelus concepi Christe, qvem ego tuorum unqvam læsi, ut ita inexpiabili in me odio debaccheris; Audi ea* (pergebat ad qvoddam conversus simulachrũ) *qvæ Tibi mentis compos & ex animo dicam. Si forte cum ad ultimum vitæ finem pervenenero supplex accedam ad Te opem oratum, neve audias neve inter tuos accipias oro, cum infernis diis in æternum vitam agere decrevi.* Ac licet adstantes insanientis Codri furorem lenire sint conati; surdo tamen narra-

narravère fabulam, oleumqve consumsere & operam. Adeò insuper ira & indignatio hominem oppresserat, ut extra portam urbis egressus, amentiæ frenos non ante imposuerit, qvam in vastum sese nemus proripuisset, ingentiqve cum molestia ibi totos dies transegisset. Sed ultimâ tandem aliqvando appropinqvante horâ miser ille oculis ac manibus ad cœlum sublatis; *Qvi cælum incolis* (exclamavit) *fer qvæso opem peccatori, noli me, qvi tuum in sinum confugio supplicem rejicere. Si unqvam peccantem hominem voti reum fecisti, sic mihi extrema oranti dextram ab alto porrigas oro.* Ad hunc verò modum se animamqve suam DEO commendans, qvendam conspexit ingentis staturæ virum, capite raso, barbâ ad terram usqve promissa, ardentibus oculis, faces utraqve gestantem manu, ac toto corpore tremebundum, qvo viso in hæc à pavore dictata verba erupit: *Qvis nam tu es, qvi solus furiali habitu ea noctis parte, qvâ mortales somno premuntur deambulas, noli ad me qvi DEI amicus sum infestus accedere, effare qvidqværas, qvo ire pergas?*

Hæc

Hæc cum dixisset, è strato prosiluit, qvasi illum in se irruentem vitaturus. Utrum extremum hoc evaserit periculum, & post tantam tempestatem in perpetuæ felicitatis portum sit delatus, dicere non habemus, nisi qvod extremi ejus ad discipulos sermones, ex charitatis debitæ lege meliora qvæqve de eo sperare nos jubeant. *Nihil aliud* (ajebat) *vobis mando, nisi ut DEUM inprimis colatis, vitam perficiendo bonam usqve ad senectutis limen, qvod si feceritis invenietis verissimum esse illud Furii Camilli Dictatoris: Omnia prosperè evenisse divina seqventibus Numina, adversa spernentibus. Mementote diebus singulis mortales vos esse, hanc humanam vitam nihil omninò arbitrantes.* Qvicqvid verò de Urceo (ad salutem qvod attinet sempiternam) sit statuendum, ex insignis cujusdam Theologi indicio constat, secundo & qvadragesimo ævi currentis anno illustrem doctrina & literis hominem, cujus ubiqve celebrantur monumenta, varioqve extant idiomate, paulò ante suum ex hâc vita abitum abominandæ desperationis subiisse aleam, inqve istas extremæ amentiæ voces

Majfart. Sodom. infern. lib. 1. cap. 2.

ces

ces erupisse: *Peccatum (eheu!) in Spiritum Sanctum commisi, nulla prorsus mihi veniæ consequendæ spes, Dæmones mox miseram auferent animam, atq; sempiterna eam dabunt internecioni! Atq; ut liquidò vobis* (ita circumstantes sanioraqve consilia suggerentes viros Theologos est allocutus,) *constet me ad tartara mox descensurum, en denuncio, jamjam fatalem imminere horam; hoc ipso momento mihi ex vita esse excedendum, atq; degendum cum dæmonibus.* Dictum factum, mox enim infelicissimam ille efflavit animam, cruciatibus sempiternis affligendam. An non melius illi fuisset omni fama caruisse, qvam cum magna miserè adeò æternumqve periisse?

IV. Nec minus constat literatos alios sub postremam vitæ lineam tantũ non in furias versos fuisse, rerum tandem ac remediorum omnium extorres, intestinis corporis cruciatibus eò redactos fuisse turbationis, ut sive forficis, sive cujuscunqve ferramenti tumultuario ministerio dissecto sibi ventre, viscera pariter ac animam effuderint, omniumqve post fata execrationi expositi fuerint, qvi vivi nullum

lum ſive in dicendo ſive in ſcribendo pudorem præ ſe tulere. *Graviſſimum eſt* (ſcite ait Pierius) *in exilio & egeſtate laborantem* (literatum ſcil.) *morbo etiam abſumi. Miſerrimum longa alicujus valetudinis incommodo cruciari, infeliciſſimum trucidari; ſed eorum ego ſortem omnium teterrimam & ærumnoſiſſimam exiſtimo, qvi ſe tam miſeros judicarunt, ut ſponte ſibimet injicerent manus. Sic Demoſthenes, ſic Cato, ſic apud veteres clari pleriq; Viri vitam finière, quod illis tamen vel laudi, vel ſaluti attributum eſt, & fortiter periiſſe dicti; nobis qvi ſanctius inſtituti ſumus, nihil æq; pernicioſum exiſtimatur.* Atqve hanc ipſam pudendam αὐτοχειρίας luem tantoperè in Italia ævo ſuo viguiſſe idem Pierius notavit, ut Florentiæ ſolùm TRES inſignis doctrinæ elogio conſpicui viri tali perculſi inſania ſemetipſos ſuffocarint. *Laurentius* videlicet *Laurentianus*, qvo non elegantior qvisqvam Philoſophiæ ſtudia à Ciceronianis temporibus ad hæc usqve ſecula ſit interpretatus; *Petrus Leon*, artis medicæ peritiſſimus, literisqve politioribus non mediocriter excultus, variarumqve re-

Jo. Pier. Valer. lib. 1. de Infelic. liter. p. 78.

rum

rum cognitione nobilis; & *Johannes Baptista Albinus*, legum exquisita peritiâ illustris; hanc inquam infelicissimorum literatorum trigam sponte sua in altissimos aquæ puteos desiliisse, adeoque miserrimo mortis genere periisse laudatus Pierius commemoravit. Nec præter rem hoc loco ad animum nobis revocamus funestum illum casum, infelicissimumque ex hac vita exitum, quem sortitus est ille Poëtarum & Comicorum ævo superiori decantatissimus *Nicodemus Frischlinus*. Postquā is ob neglectum in scribendo dicendoq; pudorē obligatis oculis Uracum (pervetustam Ducis Würtenbergici arcem) traductus, arctioriq; mandato esset custodiæ, frustraq; precibus multis flagitasset liberationem, tanto furore est agitatus, ut cum extremo etiam vitæ periculo fuga sibi consulere carceresque evadere sit conatus. *Parato enim ex conscissis linteaminibus, lodicibus ac mantilibus fune, cum conclave ipsum undiq; esset clausum per fornacem ferream effractam erepsit, & funem ligno transverso in fenestra muri ubi omnium altissimum erat præcipitium* Conf. Melch. Adam. vit. Philos. Germ. p. 165.

alligavit, deceptus à luna sublustri, sed mox desertus ab illo adminiculo, in petram ex alto muro, de petra in aliam petram, de hâc in arbusta, præcipitavit, (singula intervalla singulis domibus editioribus fuerant altiora,) sicq; horrenda brachiorum, manuum, costarum, capitis, pedum confractione facta, miserrima morte, calamitatibus, quibus diu premebatur infelicissimum colophonem imposuit. Licet verò successu feliciori è vinculis suis ætate nostra elapsus sit *Thomas* ille *Campanella*, postquam & ipse durissimi carceris per quinque & viginti annos pœnam omnibus confectus miseriis pertulisset, quæstio tamen de eo quinq; & triginta horis dirè ac crudeliter habita tanta ei attulit tormenta, ut ex venarum arteriarumque immani diffractione gravissimam subierit calamitatem. Nec talium ingeniorum deessent exempla, ex quibus clarissimè constaret sæpe literatos ex hoc, unde ad tempus floruêre, tandem exaruisse, ex quo resplenduêre, ex eodem miserè periisse, post impensos labores usque ad sudorem, post evolutos scriptores usque ad pallorem, post exhaustas

Erythr. Pinacoth. 1. p. 43.

omnes

omnes animi & corporis vires nil nisi urnam pulveris, ipsamque (speratæ gloriæ loco) infamiam perpetuam lucratos fuisse, adeoque palmarios exitii sui architectos extitisse. Sæpè ingratissimus carnalium literatorum grex, DEI ejusque beneficiorum omninò immemor, pertinaci adeò affectu in profunda animi cœcitate cervicibus usque adeò duris perseveravit, ut diabolicæ illius tyrannidis fræna excutere, svavique CHRISTI jugo collum subdere nulla prorsus ratione voluerit. Quidam politioris literaturæ principes, nullam priscis Oratoribus latinis in Romanâ facundia, nullam in lepore Græcis reliquissent prærogativam, nisi tantæ eloquentiæ flumen paulatim in vitiorum paludes abire permisissent, turpiter ingenii doctrinæque suæ inquinassent dignitatem, atque nimio sese inutilique studio macerantes, cum Musis vires, spiritus, vitam denique & ipsam animam decoxissent.

V. Et sanè si quis tumultuosum literatorum quorundam consideret genium, curarum multiplicium procellas,

horrendos eruditarum mentium motus, invidiâ, æmulationeque urgente concitatos; si quis infinitarum molestiarum (doctos prementiũ) seriem sibi ob oculos ponat, denique spei ac metus, voluptatis atque doloris pugnantem semper apud illos distractamq; naturam diligenter animadvertat, mirabitur maximè, qui fieri possit, ut ab uno eodemque eruditi hominis animo fœtus sæpè extiterint genere adeò discrepantes, indole adeò varii, solũmodò in parentis sui cruciatus angores atq; miserias jugiter consentientes. Quod cum vidisset in Platonis Phædone Socrates, nullaque satis idonea ratio suppeteret, nescio quo fabulatore advocato, innocentissimum Numen duxit inculpandum, quippe quod pugnantes tantoperè in animo hominis eruditi concitet affectus, mentes distrahat, atque ita divellat, ut eo dissidio in diem magis ac magis recrudescente, infelicissimus ex solo animo ille efficiatur, quâ ipsa calamitate nihil funestius fingi possit aut excogitari, cum unus idemque animus tunc area bellantibus fiat, & præmium belli, & victori præda, &

victo

victo ſepulchrum. At verò ſi ſapientiſſimo Ebræorum Platoni, Philoni ſcilicet, de Hominis (docti cumprimis) infelicitate diſſerenti auſcultemus, liquidò conſtabit omnium ærumnarum, quæ pro miſerâ & inconſtanti vitæ hujus conditione obtingant cauſam atque rationem non niſi ex ipſiusmet malè affecto, atque huc & illuc disjecto animo eſſe derivandam. Nimirum cum prava cupiditas cereum animum violenter adorta, in eodem turpes quasdam imagines relinquat impreſſas, mirum non eſt, quod miſer ejusmodi ac verè calamitoſus literatus, affectuum ſuorum tyrannide de tranquillo ſtatu deturbatus, nulliſque non malæ mentis furoribus agitatus, mox impotenter iraſcens, mox perditè concupiſcens, mox deſperatè metuens, extremam tandem incurrat perditionem. Ut proin benè dixerit D. Auguſtinus, *unicuiq;* (etiam literato) *ſuam cupiditatem graviſſimam eſſe tempeſtatem*, & aureus ille Orator Chriſtianus Johannes Chryſoſtomus ſapientiſſimè pronunciarit, NEMINEM (etiam in doctorum cœtu) LÆDI NISI A SEMET IPSO.

Philo Sacr. allegoriar. lib. 1.

Auguſt. Serm. XIII. de verbis Domini.

Johann. Chryſoſt. homil.

pecul. quod nemo lædatur nisi à se ipso. opp. Tom V. fol. 750 edit. Basil.

PSO. *Indubitata* (ait ille) *sententia tenere debemus, quod si quis læditur, à semetipso lædatur, nec ab ullo alio, etiamsi sint innumeri qui noceant. Et si omnes qui terram & mare habitant, conveniant ad lædendum, nocere nequaquam poterunt ei, qui à semetipso non læditur. Verum ego & amplius adhuc quid assignare tentabo, QUOD ILLI SOLI LÆDANTUR, QUI LÆDUNT, & nulli alii noceat noxa, quam cæteris inferunt, nisi ipsis qui inferunt.* Haud abs re Veteres animum humanum *Æoliæ* (quæ patria ventorum est) nomine designarunt, ex quâ scilicet erumpentes variarum perturbationum venti, fluctus & procellas horrificas suscitent, omnemque tranquillitatem in tempestatem vehementissimam commutent. Et quemadmodum ex innumerabili ventorum multitudine quatuor præcipuè seliguntur, qui ex adversis Mundi cardinibus nominantur CARDINALES; ita præ cæteris animi malè dispositi affectionibus, quædam tanquam præcipuæ notantur à sapientioribus, quarum vel permistione vel conflictu totus (eruditi etiam) hominis animus con-

concuti soleat, nimirum ut Seneca Tragoedus scitè non minus quam notanter ait:

Variamq́ nunc huc IRA nunc illuc AMOR
Deducit, anceps æstus incertam rapit
Ut sæva rapidi bella cum venti gerunt
Utrinq; fluctus maria discordes agunt
Dubiumq́ pelagus fervet, haud aliter meum
Cor fluctuatur, Ira pietatem fugat
Iramq́ Pietas.

Seneca in Medea.

Haud aliter inquam impotentes illi motus suorum malorum alluvione animos nobiliores doctrináque varia excultos ita inundant, ut continuis ii intemperiis agitentur, vel efferantur gaudio, fastuque, vel metu deprimantur, vel inflammentur iracundiâ, vel invidià contabescant, vel denique omni furiarum aut furorum incursu divexentur.

VI. Singularem sanè observationem ea merentur, quæ famigeratissimus Anglorũ Regis Cancellarius Franciscus Baco Verulamius de præcipuis literariæ infelicitatis causis (ipsorummet scil. eruditorum flagitiis) alicubi tradidit, præclarè ostendens, omnium gravissimum literatorum homi-

Fr. Baco Verulam initio librr. de augm. scientiar.

hominum errorem in deviatione ab ultimo doctrinarum fine consistere. *Appetunt enim* [inqvit] *homines scientiam alii ex insita curiositate & irrequieta, alii animi causa, & delectationis, alii existimationis gratia; alii contentionis ergò, atq; ut in disserendo superiores sint; pleriq; propter lucrum & victum: Paucissimi ut donum rationis divinitus datum in usus humani generis impendant. Planè quasi in doctrina quæreretur lectulus, in quo tumultuans ingenium & æstuans requiesceret: aut xystus sive porticus, in quo animus deambularet liber & vagus; aut Turris alta & edita, de quâ mens ambitiosa & superba despectaret, aut arx & propugnaculum ad contentiones & prælia; aut officina ad quæstum & mercatum: Et non potius locuples armarium & gazophylacium ad opificis rerum omnium gloriam & vitæ humanæ subsidium. Hoc enim illud est, quod revera doctrinam & artes condecoraret, & attolleret, si CONTEMPLATIO ET ACTIO arctiore quam adhuc vinculo copularentur, quæ certè conjunctio talis foret, qualis est supremorum duorum planetarum syzygia, cum Saturnus quietis & contemplationis Dux cum Jove Duce Societatis agendiq; conspirat. Quanquam cum de praxi & actione loquor, nullo modo ad doctrinam professoriam & lucrosam innuo. Neq; enim me fugit, quantoperè hoc ipsum progressionem doctrinæ & amplificationem moretur. Perinde quidem, ut aureum malum ante oculos Atalantæ projectum, quod ut tol-*

lat

lat dū flectit se, cursus interea impeditur. --Sed quēadmodum cælum & terra simul conspirant, & consentiunt ad hominum tuendam vitam atq; juvandam, ita sanè hic finis esse debet Philosophiæ, ut rejectis vanis speculationibus & quicquid inane ac sterile est, conservetur quicquid solidum est ac fructuosum; ut hoc pacto scientia non sit tanquam scortum ad voluptatem, aut tanquam ancilla ad quæstum, sed tanquam sponsa ad generationem fructum atq; solatium honestum Hactenus sapientissimus Baco, qui pro insigni mentis suæ acumine probe deprehendit, horrendam illam (quâ literatorum plurimi tenentur) tyrannidem non aliunde originem trahere, quam ex putido illo malorum omnium fonte, omnigenæque virtutis pessimo hoste, PHILAUTIA scilicet, seu præpostero & damnifico amore sui, cujus imperio obsequentes literatorum plurimi, nihil in actionibus suis quærunt præter commoda, honores, divitias laudesque proprias; ast spe suâ frustrati, & ab adversariis cum infamia dejecti, vix aliquam inveniunt requiem, sed mente modoque incondito circumagitantur, continuisque iracundiæ motibus turbantur, donec perpetuæ tradantur perditioni. Nihil equi-



dem virtutibus pariter ac emolumentis literatorum hominum magis adversatur, nihil graviores in animis ipsorum concitat tempestates, vitiorumque omnigenorum pestilentiora spargit semina, quam AMOR PROPRIUS, quippe quo non minus ad illicita quærenda appetendaq; maximo ardore illi impelluntur, quam â sanctioribus alienantur institutis, cumque DEUS vellet mentes ejusmodi præcellentiores ab humilibus vitæ hujus rebus tollere ad cœlestia, ipsæ tamen totæ hærent, philautiæ glutino detentæ, haudquaquam pravas suas cupiditates abjicientes, aut pestifera vitiorum eradicantes zizania, sed potius cumulatissimè cuncta carnis desideria adimplentes. Quid quod fallaci isto & claudicante charitatis propriæ pede omnia metientes, de proximo suo haud aliter sint solliciti, quam ut sibi eum subjiciant, & ad sua duntaxat commoda illo ejusq; rebus pro animi libidine tanquam propriis bonis utantur. Tantas scilicet, tamque altas nefandus ille SUI AMOR in plerisque egit radices, ut mutuæ dilectionis, atque charitatis proximo debitæ nul-

nullam prorſus habere velit rationem. Nec mirum adeò, quod ex putidiſſimo illo, fœtoriſque avernalis pleno puteo, impetu quodam maximo prorumpat immenſa illa peccatorum ſive vitiorum colluvies, quæ torrentis inſtar rapidiſſimi huc usq; tantum non univerſum Orbem eruditum inundavit, & ceu pelagus procellis fluctibusque exæſtuans, ingenia etiam nobiliſſima occupavit, ſubmerſit atque ſuffocavit. Impedit quippe peſtilens ille *amor ſui* & propenſio ad propria intellectum, ne vitæ melioris documenta homo alioquin doctiſſimus percipiat, vocantisq; Domini nutibus atque monitis reſpondeat, quin potius in transgreſſionibus ac prævaricationibus ſuis vivere pergat, ſe ſuaque continenter anquirens, omnia perrepens, percurrens, & perluſtrans, ut reperiat quæ ſibi grata, ſibi commoda, ſibi jucunda appareant, eaque ut conſequatur, totis laboret viribus, etſi DEUS id quod agit, ſæpiſſimè nolit, nec ipſi ea quæ habet dona ex gratiâ largiatur, ſiquidem voluntas, amor & gloria ejus ipſi in omnibus obſiſtant, atque de perpetua etiam e-

jus

jus ſalute actum omninò videatur. Cupiditas enim illa præpoſterusque ſui amor mentis humanæ tenebras ita ſæpè condenſat & quaſi conſpiſſat, ut ſemetipſos neutiquam cognoſcant excœcati mortales, de miſerrimo ſuo ſtatu necquicquam ſuſpicari, imò ne centeſimam quidem deſperatæ ſuæ miſeriæ partem vel imaginando aſſequi valeant, nec frequenter ſolùm facileque labantur, verum quod vitii reverà eſt, virtuti ſummæ adſcribere minimè dubitent. Hoc ipſum probè conſiderans Magnus ille Baſilius, vitiorum portas, contiguas dixit virtutum aditui, tantamque eſſe virtutibus ac vitiis cognationem judicavit, ut ægrè internoſcantur, & vitium ſæpè ſpecie & umbra virtutis imponat incautioribus. En verba notatu digniſſima! *Proxima & veluti contiguis januis Gentiles quoq. ajunt vitia eſſe virtutibus. Qualibet virtutis janua, ſimillimam in vitia ferentem utrinq. ſpeciem aperit, ut qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primum januæ aſſiſtens, dum hanc ſe pulſare arbitratur, apertâ ſibi hinc aut inde, alterâ ex vitiorum januis, deceptus maximâ ſimilitudine*

Baſil. M. lib. de verâ virginitate. Conf. de ead. virtut. & vitior. cognati-

ne ingrediatur veluti virtutis domum; deinde cunctis ejus errorem irridentibus, ipse quoque & tempore & experimento commonitus, discat, non solum ab eâ se virtute, cujus aliquando januam pulsare videbatur esse remotissimum; verumne limina quidem ejus unquam attigisse, neque ipsi januæ, ut prius videbatur, adstitisse saltem aut pulsasse. Audiamus & Senecam de eâdem virtutum vitiorumque cognatione egregiè disserentem: *Mala interdum speciem honesti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit, sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti similitudo est, sic mentitur prodigus liberalem.* Sic literatus sui amans, superbus, ambitiosus, fatuosque umbratilis gloriolæ igniculos insectans mentitur virum strenuum, generosum, indefessum publicisque intentum emolumentis; Iracundus verò litigiosus, maledicus, rigidus injuriarum ultor, aut aliter vitiosus Doctor, hominis cordati, severi, atque singulari spiritûs libertate præditi præ se fert imaginem, licet omni sinceræ virtutis ornatu destitutus, & â splendidâ illâ munitissimaque arce longis-

one Nazianz. in Orat. de laud. Bas. Chrysost. hom. 28. in Acta. is. Hieronym. Dial. adversus Lucifer. & Dial. 3. advers. Pelag. Seneca Ep. CXX.

gissimè sit remotus, cujus aliquando januam (ut Basilius modo dixit) pulsasse videbatur. Ingerit quippe sese erudito etiam pectori vitiositas, non janua recepta, sed pseudothyro intromissa, ac sicuti latens prædator per occultos tramites ambulans, omnesque humani pectoris latebras ita perscrutans, ut his inquinatis, & inde virtute explosa tandem ibi regnum possideat, totumque hominem literatum suo agitet arbitratu. Et cum prava isthæc vitiositas dotem illam cœlestem, virtutem nimirum solidam exturbet, miser ille veluti viribus cunctis destitutus, jacet emortuus, ejusque cor corruptio adeò enormis permeat intimèque penetrat, ut gravissima inde *Animi* ægritudo extremaq; infirmitas infaustam suam trahat originem.

VII. Sicuti ad cujusvis hominis constitutionem duo quædam admirabili conjunctione consentiunt, CORPUS nimirum atque ANIMUS, in quorum nexu DEI potius quam naturæ manu vitæ totius ratio est posita; ita vix graviorem LITERATUS incurrere posset calamitatem, quam si utrobique, corpore æque ac animo

animo miſer reddatur. Jam verò nemo eſt qui neſciat, quot quantisque eruditorum hominum corpora expoſita ſint periculis atque ægritudinibus; ſiquidem non unus, non duo, non decem morbi tantum doctis inſidientur, multi eorum aſſiduè meditando, legendo, ſcribendo, totumq; vitæ tempus ſtudiis ac lucubrationibus terendo robur ſuũ ita exhauriant, ut non palleſcant ſolùm, verùm *malo hypochondriaco* morbisqve aliis miſerè tandem contabeſcant, nec tam labefactando corpus, quam planè abſumendo funditusque deſtruendo vitam ſuam conterant atque pesſumdent. Non multum aberravit eleganti ſua alluſione ille, qui MINERVAM dictam, quod MINUAT NERVOS, ſeu vires ac ſpiritus callidè exiſtimavit. Alius non minus ingenioſè enunciavit, literatos, chartas (ſive libros) aſſiduâ verſantes manu, in viros tandem *chartaceos* h. e. infirmos atque valetudinarios evadere, & tam diu literarum invigilare ſtudiis, donec corpus cacochymicum cachecticumque tandem iſtius diligentiæ merces exiſtat. Placet de hâc ipſa eruditorum hominum miſeria & calami-

D. G. Francus, in diss. de studiorum noxà, *p. 7.*

lamitate (ut ita dicamus) *corporali* quendam audire Medicorum filium, in rem nostram præclarè differentem ad h. m. *Antiqui artis nostri Conditores sapientissimi admodum benè in sanguine animalis vitam consistere arbitrati sunt, quos feliciter sequuntur interpretanturq; recentiores. Sanguis etenim à primordio insitus per nova alimenta ore assumta in ventriculo concocta, separata in intestinis, & specie chyli per venas lacteas ad cavam venam delata, sanguiniq; venoso ob perennem circulationem à partibus versus cor redeunti admista, inibi beneficio pulsus ita incorporantur, & ut cum Plautina loquar Musa, incordiantur, ut calore ζυμώσει, mistione, motu atq; repetita coctione naturam sanguinis planè induant, & ita ceu novus sanguis per arterias promiscuè ad omnes partes propellantur, qui quum aliquoties cordis repetat focum, perfectior fieri nunquam non potest, atq; spiritibus locupletior. Hinc & novo apud Medicos venit nomine, vocaturq; SPIRITUS VITALIS, hic verò nihil aliud est, quam sanguis subtilissimus, atque quantum fieri potuit, enucleatè elaboratus.-- Cum verò LITERATI à teneris vitam vivant*

vant sedentariam, sanguis verò capiat vitium, sicut

- - - ni moveantur aquæ:

Rursus cum iisdem studiis, lucubrationibus vigiliisq́, atq; multis cogitationibus plurimum spirituum animalium absumant, qui dein in lympham seu aquam resolvuntur, non erit mirum, si massa sanguinea primo vitalibus dein animalibus privetur spiritibus. Defectum istum spirituum necessario insequitur lymphæ copia, quæ si reliquo accedat sanguini jamdum valdè pauperi ac consumto, eundem facit catarrhis ichoribusq́, abundantissimum, nutritioni functionibusq; reliquis ineptum, ut taceam dein cessare, vel ad minimum tardiorem fieri aut depravatam χυλοποίησιν, *& ita in herba quasi perire corporis actionumque nostrarum integritatem atque refectionem. Inde infausto sidere largissima messis omnium penè morborum propullulat, quia totius sanitatis fundamentum evertitur, alimentumque depravatur. Hinc & partium tenor, robur, usus, & ut paucis multa; omnia vel imminuuntur, vel depravantur, vel cessant planè. Adeò nocent studia! - - Esto verò chylus crassior distribuatur, perveniatque ad*

C cor,

cor, vitium tamen primæ concoctionis vix corrigetur in secunda, minus in tertia. Quare crudior, crassior, magisque feculentus sanguis ad partes ubi pervenit, sive exeundo in arteriis, sive redeundo in venis minimis, faciles parat atque patrat obstructiones, inde dolores varii, capitis, dentium, aliarumque partium, nutritio impedita, tabitudo maximusque mali monstrosi atque πολυμόρφȣ dicti HYPOCHONDRIACI atque scorbutici fomes. Ut silentii peplo involvam alias mesenterii, pancreatis, folliculi fellis, (unde icterus) hepatis, lienis (unde scirrhi) renum & vesicæ (unde calculi,) cæterarumque partium obstructiones; Inde calor quasi reverberatur, uti Chymici loqui amant, fiuntque subitanei calores. Calore insuper p.n. aucto non possunt non exoriri variæ febres, hecticæ, tertianæ atque ardentes, cordisque palpitationes & anxietates. Adeò nocent studia! Nec minus inflammationes & turbationes nascuntur in variis corporis partibus; ut in capite ejusque partibus e. g. phrenitis, melancholia, mania, vertigo, noctambulatio, insomnia horrenda, pavores: in collo angina, linguæ asperitas, in ventriculo sitis immodica; in thorace

ræ pleuritis, peripneumonia, & quæ ſæpiſſima eſt, phtiſis pulmonumque exulceratio, hancque preſſo pede ſequens tabes atque atrophia. Adeò nocent ſtudia! Quandoquidem igitur miſera ſatis ſit Literatorum (ad corpus quod attinet) conditio, multò tamen miſerabilior atque pernicioſior ſæpè eſt eorum quoad ANIMUM habetudo, ſi nimirum modo his, modo illis depravatæ mentis tempeſtatibus infeſtentur; ſi Animi ſui compoſitionem peſtilenti VITIORUM atque perturbationum ſummè noxiarum æſtu agitari, abripi atque abſorberi patiantur; *Si Virtuoſi ſanguinis* pernicioſam contrahant corruptionem, ac verè *Vitalis* illius *Spiritus* (Sancti videlicet, corda piorum recreantis, impiorum verò deſerentis,) ſummè miſerabilem ſubeant jacturam. Hinc piarum meditationum cogitationumque veluti *animalium ſpirituum* ſuffocatio, hinc cervicoſa animi durities; *Venarum* (pietatis) *lactearum* obſtructiones, febres vitiorum *hecticæ*, inflationes (ex faſtu) frequentiores, *ſitis* (honorum & dignitatum) immodica, *calores* cumprimis *ſubitanei*, inflammationes (ad i-

 ram

ram, odium, contentionem) continuæ, *linguæ* (maledicæ) aſperitas, *anginæ* (argentariæ videlicet, ex infrunito nummorũ appetitu progenitæ) horribile tormentum, atrociſſimæ cordis vitioſi palpitationes, livoris nefarii verè *phtiſica* malignitas, pectorum pulmonumqve (ex præpoſtero vindictæ ſtudio) exulceratio, hancq; preſſo pede ſequens tabes atque atrophia ſempiterna. Sint licet graviſſimæ paſſiones literatorum HYPOCHONDRIACÆ, (quas haud inſcitè nonnemo collegium ac ſynodum quandam morborum literatos divexantium nuncupavit,) adeò ut ineffabilis hinc corpori noſtro pernicies ſuccreſcat, & latens illa perpetuaq; viſcerum exuſtio miſeriam, afflictionem, imbecillitatem ac corruptionem ſummè noxiam concitet; multò tamen graviora damna atque incommoda, extremæque infelicitatis fomitem ex myſtico illo literatorum MALO HYPOCHONDRIACO (inveterata ſcil. ſæpèque incorrigibili delinquendi aſſvetudine) contrahunt ANIMI, cum gravi illo laborantes malo ſemper vivant afflictiſſimi, eorumque

rumque restitutio spiritualis perpetim ambigua dubiaque esse videatur. Non inusitata classicis quibusdam authoribus est phrasis, qvâ MALUM FACERE innuitur de seditiosis rebellibusque mortalibus, qui præcepta legum violant, & publicam turbant tranquillitatem. Idem profectò præstant hypochondriacorum illorum, sive vitiosorum literatorum viscera & pectora, *malum* utique isto faciunt sensu; *Mesenterium* etenim ipsis (pariter ac hypochondriacis) est rebelle, *lien* non absq; calamitosa molestia seditiosus, reliquæ tandem partes naturæ legumque præscripta cancellosque pessimè transgrediuntur, donec non corporis modo, sed animæ etiam extrema pernicies subsequatur.

IIX. Utinam malè adeò affecti, tantisque cruciatibus expositi, æternumque (si curari nolint) exponendi literati, quod huc pertinet saperent ac intelligerent, prævidentes pariter ac sollicitè præcaventes novissima! Utinam saluti animarum suarum perpetuæ non minus consulerent quam optatæ *Corporum* (fluxæ tamen fallaciq;) incolumitati, ne c

ea quæ ad ſalubritatem faciunt remedia respuerent. Quo rectius pernovêre morbum ſuum, eò propiores erunt medelæ ſive curationi. Ad quam (utut difficilis valdè propter ſymptomatum congeriem ea ſit,) curâ ſingulari aptabunt omnia, quæ veterum pariter ac recentiorum Hieroſophiatrorum pharmacopolia ſuppeditant. Et cum haud ſufficiat, ut quam graves acutosq́ue dolores afferat ægritudo intelligatur, ſi nulla medendi obſervetur ratio; hinc non peſtifera ſolùm vitiorum (animos infeſtantiū) ſeminaria à literatis, de reſtitutione ſua ſollicitis ſunt excutienda, verum damna ipſa oportunis prævertenda remediis, donec divinâ opitulante gratia priſtinæ reſtituantur integritati, atque *Literatorum* (ſi non è corporis, ſaltim ex ANIMI conſtitutione) verè felicium elogio gaudere poſſint. Utut malè affecta ad vitæ usque terminum circumgeſtent corpora, nihil tamen inde perpetuæ eorum decedet proſperitati, ſi nobilisſimi in caduca corporis caſulâ diverſantis hoſpitis, ANIMI videlicet juſtam habuerint rationem. Si lecto ſemper teneantur affixi,

xi faciantne teneatur simul animus, tam longè aberunt à sensu dolorum præsentium quam longè animus à corpore abscedet. Tuguriolí istius (quod circumferimus) coagmentatio vel calore vel frigore, vel alia quapiam vehementi impulsione labefactetur & frangatur, infinitæque ægritudines occupatas à se corporis partes vehementer exerceant; quid tum? dummodo Animus gravissimis illis vitiorum careat miseriis, funestisque cupiditatum & perturbationum angoribus liberatus instar heliotropii cujusdam ad Solem h. e Deum ipsum obvertatur, originisque suæ memor eò tendat continuè. *VIRTUS* (ut præclarè Seneca) *tantum bonum est, ut istas accessiones minutas non sentiat, brevitatem ævi & dolorem, & CORPORUM varias offensiones.* *Illud est* (scribit idem notanter alibi) *quod imperitos in vexatione corporis malè habet: Non assueverunt animo esse contenti. Multum illis cum corpore fuit, ideò vir magnus ac prudens animum deducit à corpore & multum cum meliore & divinâ parte versatur; cum hac querula & fragili quantum necesse est.* Innuit quippe (nonne-

Seneca Epist. 92. id. Epist. 27.

 mine

Dan. Hart. in charact. lit part. I. p. 73.

mine obſervante) Seneca, circino ſimilem eſſe ſapientem (h. e. felicem literatum,) qui defixo in centrum pede uno, propius longius circulos circa illud deſcribat; docetq; ſapientem ejusmodi virum tanto lætius frontem explicare, quanto immanius dolor incrudeſcat. Etſi verò vera literati hominis felicitas neutiquam omnem extingvat humanitatem, abſolutumque adeò ſibi cum priſcis illis philoſophis ſumat in omnes affectus animique perturbationes imperium; ſollicitè tamen cuilibet piè literato cavendum, ne tempeſtatibus malorum morborumque ingruentibus, de tranquillæ mentis optatæque felicitatis ſede deturbetur, ſuorumque affectuum miſerum tandem fiat mancipium. Videndum ipſi, ut in corpore proſtrato erectam ſemper mentem habeat, membrisque diſtractis nobili illa affectuũ gaudeat compoſitione. Scire volenti, quâ arte id fiat potiſſimum? reſpondemus, ANIMUM magis magisque eſſe excolendum nullis non virtutis pietatisque ſinceræ exercitiis, ipſique adeò converſationi ſpirituum ſanctiorum in cœlis eſſe præparan-

randum. Sicuti lana, priusquam ultimum illum optimumque colorem combibat, ſuccis quibusdam aliis eſt imbuenda; ſic animus virtutum & literarum meliorum purpura prius eſt tingendus, quam ultimum felicitatis imperturbatæ indelebilem colorem ille conſequatur. Peſſumdēt eſto, ſtudia vires, conſumant lucubrationes ſanguineum vitæ nectar, attamen quod corpori decedit, id centies imò millies perpetuæ illi adcreſcet felicitati.

IX. Cæterū hæc iis ſolùm cognita fiet literatis, qui è regno tenebrarū & caliginis, ut Scriptura loquitur ad Regnū lucis feliciter ſunt translati. Licet & ipſi quondam dæmonis fraude in iſtam corruptæ inquinatæq; eruditionis Rempubl. devenerint, cura tamē eos cogitatioq; verſabit aſſidua, quomodo viciſſim ſordibus & oneribus tam pudendis purgentur, cavebuntq; diligentius, ne deinceps in via Domini lapidibus adeò noxiis (VITIIS puta in Orbe erudito ubiq; regnantibus, innumerisq; malè doctorum imò maledictorum *ſcandalis*) offendantur. Et cum pro DEO, pro Chriſto diſputare etiam diabolus poſſit, multi-

queque hactenus pro illius Majestate adversus infideles dimicarint flagitiosi Doctores; hinc omnes sacrosanctæ illius Disciplinæ candidati eò tendent strenuè, ut Christum sciant, pariter ac vitam in ipso gratam acceptamque DEO transigant, ejusque spiritu agitati in splendidam ipsius imaginem magis magisque transformentur, ejusque præsentia unione gloriaque æternum perfruantur. Cujus supremæ felicitatis consequendæ desiderio si literatus divinæ gratiæ radiis collustratus teneatur, opera porrò illi navanda est satis ardua ut detestando AMORI PROPRIO tum crassiori tum subtiliori, cuncta corporis spiritusque dona ac bona inficienti ac conspurcanti mittat nuntium. cunctantem verò illum & pro pertinaciâ suâ renuentem ita excruciet divexetque, donec impuram suam tandem aliquando efflet animam, vocato in subsidium Sancto illo spiritu ut Rationem naturalem ceu corruptam, carnalem, Deoque inimicam non refrœnet tantum, cohibeat ac reprimat, verum etiam protinus enecet & destruat, atque pestilentissimæ PHILAUTIÆ loco saluberrimam cordi
ad

ad DEUM convertendo AUTOGNOSIAM, sive accuratam SUI COGNITIONEM instillet. Etenim veræ virtutis principium hoc esse, ut qvisque sciat se obnoxium vitiis, etiam damnificis umbrarum tenebris obnupta gens quondam ex Apolline, Crœsum de consultissimo ad felicitatem itinere instruente, assiduamq; sui cognitionem commendante intellexit. Nulla quidem in Orbe Christiano vani Apollinis est auctoritas, sed amplioris multò luminis fulgor nos eò deducit, ut videamus, illâ ipsâ, nec alia viâ, ad veram (Duce DEO) perveniri posse felicitatem, si nimirum naturam ac indolem nostram ad lapsus aptatam & proclinantem, inque mala jugiter ruentem aspiciamus, & conscientiam perperam gestorum habeamus ante oculos, tum ritè pœnitendo ad DEUM accedamus, cordeque contrito ad cœlestis misericordiæ (Christi Salvatoris merito partæ) aram confugientes, arcanos cordis recessus coram SS. Numine adaperiamus, atque ad plurimorum piè literatorum exemplum, vitam pessimè aliquando actam deploremus, pariter ac curâ studioque singulari

gulari emendemus. Hoc etenim post seriam sui cognitionem, vitæque miserabilis deplorationem cumprimis sibi curæ fuisse felicissimus ille literatorum Basilius alicubi testatus est, *ut MORUM INSTITUERET CORRECTIONEM, quos per diutinam consuetudinem cum improbis contractam perverterat.* Sic etiam nos à doctrinæ & vitæ profanæ vanitate ad sinceram pietatem atque virtutem conversi, operam continuæ demus sanctificationi, DEOque deinceps placere studentes, cunctis ejus (quantum fieri potest) obediamus mandatis, summè caventes, ne novam SS. Numinis sponte incurramus offensionem. Ea nimirum (ut alibi diximus) divini amoris vis, ea Spiritus sancti voluntatem humanam internosque affectus commoventis est operatio, ut unà cum illo conversi literati animum virtutum amicarum chorus confestim subeat, ut qui paulò ante arrogans, superbus, sui amans, ambitiosus, singularis, avarus, intolerabilis, litigiosus, invidus, iracundus aut aliter vitiosus literatus cernebatur, idem nunc velut alter homo & antiquis exutus vitiis, sui con-

Basil. M. in Epist. LXXIX. ad Eusthat. Sebast.

Conf. pium liter. ati hom. secess. p. 117.

tem-

Digitized by Google

temptor, modestus, benignus, prudens, verax, demissus, pacificus, benevolus, mansuetus, humilis, aliisque virtutum ornamentis clarus & cunctis charus agnoscatur. Sic cœlesti beneficio Doctoris divino amore flagrantis animus arboris instar erit, in quam omnigenæ virtutes insitæ, magis magisque pullulabunt, nullique non FIDEI sinceræ fructus dulcissimi provenient. Quis cum sapientissimo Philone non diceret *gratulandum esse* felicibus ejusmodi literatis *haud secus ac si* (quæ verba ejus dignissima sunt notatu) *post cæcitatem visum recepissent, ex altissimis tenebris adducti ad lucem clarissimam. Tanta* (pergit) *est vis resipiscentiæ, rei vehementer necessariæ! Postulat autem resipiscentia non solum correctionem opinionis, quæ creaturis tribuebat honorem Creatori debitum, verum etiam officiorum, studiorumq́, MUTATIONEM IN MELIUS, ut relictis inconditi vulgi moribus, transeatur ad benè constitutam ornatamq́ optimis legibus Rempublicam, hoc est ex ignorantia migretur in scientiam rerum quas ignorare non decet, ex imprudentia in prudentiam, ex incontinentia in tem-*

Philo lib. de charit. sub fin.

pe-

perantiam, ex injustitia in justitiam, ex timiditate in fortitudinem. Bonum enim utileq́ fuerit ad virtutem transfugere deserta malitia velut insidiosa Domina, solent etiam pietatem comitari virtutes cætera, à quâ non magis divelli possunt, quam umbra à corpore quod in Sole versatur. Proinde quotquot ad nostram religionem (seu potius ad veram sinceramq́ue pietatem Christianam) *se conferunt, statim fiunt sobrii, continentes, verecundi, mites, jucundi, humani, graves, justi, magnanimi, veritatis amatores, contemptores voluptatum ac pecuniæ; quandoquidem è diverso, quicunq; à sacris legibus deficiunt, eos videre licet intemperantes, imprudentes, injustos, leves, pusillanimos, irritabiles, mendaces, perjuros, cupediis, potationibus venereisque rebus deditos, ventri pendentes tributa, cum gravi corporis animique dispendio. Itaque perpulchrè præcipitur, ut discamus vitam componere, & ex perturbatione in meliorem statum reformare.* Et post alia: *Pulchrè nobis attestatur illud Scripturæ oraculum: Fœdus fecisti hodiè cum Domino ut sit tibi DEUS, & ipse fœdus hodiè fecit tecum, ut fias ei populus; pulchra sanè permutatio,*

tatio, homine (literato) *properante ad cultum DEI, DEO quoque sine dilatione admittente supplicem & occurente accedenti ad se sincero animo. Talis porrò cultor & deprecator etiamsi unus homo fuerit, ipsius DEI existimatione non minus honoratur, quam totus populus, id quod & aliàs usu venit, quemadmodum enim in navi gubernator confertur cum omnibus vectoribus, eodem modo Vir sapiens totius gentis dignitatem obtinet, quippe qui pietatem habeat pro munimento inexpugnabili.* Hactenus ille Ebræorum doctissimus Philo. Magis verò agnovêre expertique sunt supremam hanc literati hominis felicitatem, quotquot gratiæ verbique divini luce collustrati de deserendâ profanæ noxiæque doctrinæ Republicâ (in quâ magna eruditorum hominum pars declivi naturæ impetu in vitiorum lutum prona spiritum trahit anxium, nihilque cœleste ac divinum sapit) seria huc usque agitavêre consilia, eamque duntaxat quæsivêre & excoluêre scientiam, quæ non nisi veram solidamque spirat pietatem, quæ non fucata, ac inutilium rerum micis fatua, sed constans apparet & utilis, nec

otio.

otiosas & spinosas magis quam fructuosas, plusque futilitatis quam utilitatis habentes sectatur quæstiones, sed divina potius mysteria & cœlestia oracula avidissimè æmulatur, quæ sinceræ charitati sociata & humilitati, alumnos suos non inflat aut reddit turgidos, sed auræ benignioris perflat svavitate, vetereque dejecto homine cultorem suum è faucibus diaboli mundique ereptum, ab ejusque corpore avulsum Servatoris corpori per infucatam fidem inserit, arctissimoque & individuo nexu conjungit. *Nihil enim necesse est* (præclarè alicubi scribit Erasmus) *ut quis tot anxiis disciplinis instructus accedat, simplex cuivis paratum est viaticum, tantum* (literatus supremæ illius scientiæ amore captus) *pium ac promptum afferat animum, & imprimis simplici puraque præditum FIDE.* Hæc autem vera demum FIDES est, quâ piè jam doctus creaturam corde affectuq; transcendere occipit, sensusque & rationem propriam despiciens, ac infra se relinquens, totus defertur in DEUM, divina ejus verba, promissionesque veras intuetur, admiratur, credit, corde fovet, ac intimè

Erasm. in adhort. ad stud. Philos. Christian. Tom. V. opp. fol. 117.

timè & animitus denique amplexatur, cumque in JESU CHRISTO lateant omnes divinæ veritates, omnesque parili modo ex ipso promantur ac patescant, imò omne DEI consilium omniaque salutis media per ipsum sint reclusa, hinc spiritus ille fidei vivæ ipsum Salvatorem tanquam potissimum objectum cognoscendum, credendum, amplectendum sequendumque proponit, virtuteque sua efficit, ut piè literati omnes sapientiæ thesauros in eo reconditos inveniant, eisdemque ad animæ suæ satietatem pascantur atque fruantur. Ideò enim ille quod nostrum erat assumsit, ut nos vicissim quod ipsius est accipiamus; ideò Doctor doctorum factus est, atque communis Præceptor, ut nos in illo & ex illo ad salutem sempiternam edocti, sapientes evaderemus, atque sævissimo tyrannidis diabolicæ jugo excusso, DEO deinceps, PROXIMO, NOBISQUE IPSIS vivamus, nec verbis solùm, sed re & opere ipso ostendamus, veram libertatem non in peccandi licentiâ, veram sapientiâm non in philosophicis argutiis, in gentilibus fabulis, in verborum ampullis & calami-

ſtris, ſed in Chriſto (utpote omnigenæ felicitatis fonte unico,) eſſe inveniendam; Utcunq; pulchrum ſit audire DOCTUM, pulchrius tamen haberi PRUDENTEM, PULCHERRIMUM autem ESSE PIUM. Hoc nimirum præcipuum eſt ſupremæ illius ſapientiæ axioma, atque ſcientiæ, quæ omnem humanam eruditionem ſtultam reddidit, principium æque ac fundamentum palmarium. Splendor enim illa eſt æternæ lucis, & divinæ operationis bonitatisq; exactiſſima imago, non mortua quidem aut inſenſata, ſed viva, mobilis & actuoſa, quippe cui ineſt ſpiritus intelligens, ſanctus, ſimplex, multiplex, ſubtilis, impollutus, perſpicuus, amans boni, acutus, beneficus, humanus, ſtabilis, certus, omnia intuens & permeans, ipſo Sole ſpecioſior, omnemque ſtellarum ſuperans claritatem. Non alium DEUS literatum diligit, niſi hoc ſpiritu impolluto præditum, atque cum vera iſta ſapientiâ habitantem. Quæ ſi rectius perpenderent quidam doctrinæ non minus quam vitæ profanæ magiſtri, longè aliter mores componerent, nec in naturam ſuam ita abire

pate-

paterentur malitiam, ut non admonitioni ulli, nec DEI ipsius comminationi cedendum existiment, adamantina gestantes adversus bonum pectora, malleum & incudem officinæ cœlestis contemnentia, & cum profanis seculi mancipiis ducentia jugum. At verò cœlesti illo FIDEI veræ dono præditi, nullis amplius persvaderi se sinunt diabolicis susurrationibus, non corruptissimis seculi offendi exemplis, verum omnem mundi luxuriem ejusque vanitatem corde ore & opere abjicientes, apertè christianam pietatem *suique abnegationem* profitentur. diabolum masculè profligant, Mundi præstigias, pariter ac carnis imposturas turgidam illam sapientiam omnemque scientiam inflantem, atque indissolubilibus acerrimarum contentionum modis implicitam, obduratam deniq; peccandi malitiam sacro quodam prosequuntur odio, & ad bonum omne alacres & parati existunt, neque de applausu aliorum, laudeque propria adaugendâ amplius sunt solliciti, sed crucem & tribulationem hilari fronte excipere, & nulla non impii mundi odia atrocesque cruciatus tolera-

re gestiũt. Quamprimũ enim supereminens Christi cognitio, quæ omnibus mundi scientiis, honoribus deliciis atq; divitiis est superior, semel iis indita donataq; fuerit, non solùm illi vana profanaq; omnia generosè despicient, atque cum Apostolo reputabunt pro stercoribus, verum nihil non alacri magnoque animo ac corde libero propter Christum sunt relicturi, imò perdituri etiam, dummodo ei soli servire, perpetimque adhærescere queant. Atque ita divinus ille ignis in cœlestibus eorum animis tantoperè flagrabit, ut non amplius inibi regnare queat prava cupiditas, inordinatusque *sui Amor*, ex animæ fundo reapse ejectus. Quicquid illo urgente olim propter se, idque per grande nefas fecêre ac operati sunt *liberati* à servitute peccati *literati*, postea pro DEO spontè & alacriter facient, quin imò ea absque ullo ferè labore & difficultate perficient, quæ quondam ne cogitando quidem assequi potuêre, haudquaquam affectuum suorum & inclinationum corruptarum motus sequentes, sed Regis Dominique supremi sacro-sanctos instinctus observantes, e-
jus.

jusque voluntati cuncta desideria promptè subjicientes imò omnes appetitus suos, si flecti, si cohiberi, si compesci nolint, penitus abnegantes, frangentes, rumpentes, atque se suaque per eandem illam FIDEM Christo ita dicantes, dedicantes ac consecrantes, ut jam non amplius suis litare commodis, *nec sibi ipsis vivere velint, sed ei solùm, qui pro nobis vixit, obiit, nobisque tandem resurrexit.* II.Cor.V. Hoc fundamentum vitæ Christiano-literatæ est solidissimum, hæc supereminens illa SCIENTIA CHRISTI, altissimaque & Terræ sapientibus ignota Philosophia, SCIRE nimirum & SEQUI Christum crucifixum, seipsum odisse, & quicquid Orbis profanè doctus amat magniqúe æstimat, honores præsertim, gloriam, laudesque proprias, nullasque non corporis animique voluptates altissimo despicere supercilio. Durum quidem hoc est, & mundo carnique summè contrarium principium, ast si rectè intelligatur, ipsoque opere comprobetur, insigni adeò fructu sese commendat, ut eo ipso imbutus, eodemque pectoris verè Christiani charactere ornatus literati hominis a-

nimus, nulla amplius necessitate affligi turbarique, nulla vitæ hujus calamitate tangi, nullis turbinibus dejici, nulloq; tempestatum impetu de altissimæ tranquillitatis sede deturbari possit.

X. Et cum ad optatæ hujus felicitatis metam tendentibus literatis, præter largissimam divinæ gratiæ & benignitatis scatebram, præter bonam naturæ indolem, animique ad meliora & honestiora quæque insignem propensionem, (ne scil. pravæ inclinationis ductu in mala illi ruant jugiter, atque horrendæ vitiorum tyrannidi tandem subjiciantur,) rectâ apprimè opus sit INSTITUTIONE, & fideli manuductione, quam haud abs re Seneca primam secundam & tertiam vitæ beatioris partem nuncupavit, quâ deficiente vera deficiat vita; Pythagorici verò fontem dixerunt, unde omne bonum proveniat; hinc cura doctioribus & melioribus intendenda est palmaria, ut *instructione* salutari via ad veræ felicitatis literariæ arcem recta simplex & aperta, licet principio difficilis imperitioribus ostendatur, effusâque manu ea spargantur semina, quæ suo tempore revocen-

Sen. lib. de brev. vita.

vocentur ad frugem. Tantum pondus *inst'tutionem* habere ad vitæ in melius immutationem Plato asseruit, ut sine illa inanes judicarit omnes rectè conditas leges, cunctaque virtutis dictamina. Constat hominem literis in juventute mediocriter i'nctum Proteo similem esse, omnibus planè formis suscipiendis oportunum, unde ne (in fulgidam doctrinæ lucem suscipiendus,) vitiorum tenebras induat, & earum gravi quasi pondere pressus miserè submergatur, rectâ muniendus est institutione, cujus adjumento sponte ruens natura à præcipiti loco retrahat pedem, ejus roboretur imbecil'itas, vitaque ipsa velut procell:sum mare, Syrenum etiam cantibus infestum, feliciter transigatur. Quem primum facilè atque præcipuum veri philosophi characterem olim Psellus (de philosophiæ definitione differens,) esse judicavit, scil. *ut is imperfectarum curam gerat animarum, easdemque ad perfectionem per cognitionem* (uti ipse quidem loquitur) *deducat*; eo charactere cumprimis illi conspicui sint doctores, qui Verorum, h. e. Christianorum Philosophorum adimplere *Plato in l. de Rep.*

partes, divinæ gratiæ radiis collustrati summoperè laborant, *siquidem* (non profano quodam Psello, sed piè-literato Bernardo monente) *efficax signũ veræ & puræ sit charitatis, ut hi, qui spirituali dilectione connectuntur, mutuò calefiant, & per veram charitatem alterutrum ad exercitia spiritualia accendant.* Quidni gaudeat piorum ac DEUM sincerè amantium quilibet, ubi ministerio suo plures ad dilectionem & cultum sincerum ejus, quem ipse ardentissimè amat, omni animi nisu accesserint. Cumque exploratum sit omnibus, absque vitæ probitate, rectaque morum institutione difficillimè tot illecebrarum demulcentium, tot adversariorum incursantium insidias evitari posse aut declinari, hinc cunctis ad optatæ prosperitatis sedem tendentibus literatis nulla nõ SALUTARIS INSTRUCTIO est admittenda, vita perperam anteacta corrigenda, motusque à pravo appetitu jugiter erumpentes validius coercendi, donec fluctibus malæ assuetudinis semper jactata navis, optatam tandem serenitatem, veramq; vitæ securitatem pariter ac felicitatem consequatur. Neque verò fieri potest ut eam

Bern. tractat. de pass. Domin. cap. 10.

eam obtineat Literatus, nisi qui à VITIORUM fœditate immunis est, & suæ spontis, aliud omninò illi agendum, aliter vivendum, imò aliud longè quam quod vulgò solet cogitandum, multa negligenda, multa contemnenda aliqua naturæ, aliqua & consvetudini vis inferenda est. Et cum multas nobis vel illecebras vel diverticula communis illa Parens omnium objecerit, plerisque abstinendum. Alios superbia, quosdam invidia & avaritia afflavit, si qui sunt literati qui multum agere sibi videntur, hi ambitiosi sunt, istisne verò tantum superesse temporis existimemus, ut vel discant, vel sapiant rectius, si sapientiæ veræ vacarent studio, non à vitiis modo, sed & ab opinione omni popularíque errore mores suos sejungerent, utque discere optima possint, ante vacuum tot inflantibus scientiis animum facerent, tum virtutis pietatisque sinceræ studio cura singulari invigilarent.

XI. Ad vim verò ac splendorem ejusmodi magis spiritualem eruditis conciliandum, plurimum forsitan conferret COLLEGIORUM quorundam in civitatibus

tibus & Academiis illuſtrioribus inſtitutio, atque pia fundatio ſocietatum, quarum membra frequens illa cura verſaret atque cogitatio, quomodo majora indies verus DEI cultus capere incrementa, extirpatisque peſtiferis VITIORUM zizaniis PIETAS ſincera plantari queat. Nimirum curâ ſtudioque ſingulari viris quibusdam zelo pio flagrantibus eò eſſet laborandum contendendumque, uti ad fidem veram vivamque, ac inde profluentem DEI amorem, ejusque præceptorum obſervantiam invitarentur pariter ac incitarentur cæteri, hoſtisque infernalis pernicioſi conatus magis magisq; retundi & ſufflaminari posſint. Et licet cum maximis initio difficultatibus conjunctum foret ſalutare ejusmodi inſtitutum, nec quicquam robuſtus ille armatus (infami deſidioſorum quorundam, atque juratorum pietatis hoſtium catervâ ſtipatus,) ad illud deſtruendum impediendumque eſſet intermiſſurus, quinimò labore indefeſſo ſemper eò laboraturus, ut graviſſimis vitiorum ponderibus mortalium miſerrimi in terram defigantur, ſpiſſisque immerſi tenebris, gratiæ &

amo-

amoris cœlestis lumine æternùm destituantur; attamen Ter-maximum Numen assiduis compellatum precibus, pia illa, gloriæque suæ studiosissima pectora (velut è machina) benignissimè respiceret, atque optatissimum meditato operi successum largiretur. Incredibiles sanè Collegiorum ejusmodi institutio haberet utilitates, fructusque nunquam marcescentes communitati fidelium conciliaret. Non ignoramus nobilis cujusdam Societatis Germanicæ (quæ FRUGIFERA dicitur) satis felicem progressum, quam brevi scilicet temporis spatio instituta sit illa, pariter ac ad stuporem usq; adaucta, præsertim cum ipsi Principes viri albo illius essent inserti; Quid si igitur de magis salutari consociatione quidam pio zelo flagrantes DEOq; sacrati literati seria agitarent consilia, SOCIETATEM summè FRUGIFERAM invicem ineuntes, cœlestique nixi præsidio, talem fundantes congregationem, in quâ verè christiana, verè Evangelica de PROPAGANDA FIDE, pietateque disseminandâ agitarentur consilia, curaque singulari ea conquirerentur, quæ ad promovendam

dam animarum ſalutem, technasque diabolicas ſufflaminandas maximè conducerent. Haud abs re non ita pridem quidam multijuga eruditione conſpicuus Vir optavit, ut *Collegium* aliquod *Orientale* de propaganda fide ſincera inſtituatur, quo ſumptibus non adeò magnis ſex ad minimũ excitatioris ingenii Juvenes ea lingvarum, Hebrææ, Chaldæo-Syræ, Rabbinicæ, Arabicæ, Perſicæ, Turcicæ ac Æthiopicæ cognitione imbuantur, nec minus eâ Sacrarum literarum dogmatumq́ue eccleſiaſticorum inſtruantur peritiâ, ut bini eorum ad Synagogas Judæorum, bini ad Turcicas ſedes, bini ad damnificis idololatricarum umbrarum tenebris obnuptas gentes, lucrifaciendosq́ue per DEI gratiam infideles ablegari, & quaternis ſemper annis cum novis aliis commutari poſſint, prioribus ſex ad functiones Eccleſiaſticas vel Academicas adhibitis: Quidni cunctis DEUM ejusque gloriam ſincerè adamantibus arrideret, multoque uſu ſeſe commendaret talis conſociatio fidelium, quorum curâ ſollicitoq; miniſterio multi, nomine quidem Chriſtiani, aſt Judæis, Turcis, gentilibusq́; cunctis

Ch. Ravius in Amica admonitione, quam Spolio Orientis, ſi. v: Catal. MSCR. Orient. attexuit.

cunctis longè deteriores mortales convertantur, in melius mutentur, deque ipsis diaboli filiis, filii Trin unius DEI (ejus aspirante gratia) efficerentur, laudes illi sempiternas decantaturi. Cæterum res ipsa loquitur, in *frugiferas* ejusmodi *Societates* recipiendos esse non alios, quam probitate & zelo divino eximios Viros, quos (quo fidelius illud unum pietatis curent negotium) nullo lucro aut stipendio, solâ autem operis dignitate & fructûs egregii expectatione allici velim & occupari. Sin verò aliæ operi tanto injiciantur remoræ, momentique majoris obveniant difficultates, initia illius circulo facienda essent breviori. alia atque alia piè-doctorum exquirenda vota, judicia, sententiæ, cumprimis autem instruendi de fructuoso adeò conatu in christianis orthodoxisque Academiis essent Sacrosanctæ Theosophiæ Candidati, monendique strenuè, ut non minus vitæ morumque integritati, quam doctrinæ religionisque puritati studeant, frequentiusque ea meditentur, quæ ad divinæ gloriæ incrementum, & proximorum in viam salutis reversionem quoquo modo facere possint.

possint. Et cum abunde constet, nullum DEO gratius acceptiusq; officium præstari posse, quam quod pietatis sinceræ amore studioque suscipitur, idcircò nihil magis animo versandum esset omnibus, quam quâ ratione christiani hujus Sacerdotii partes ritè adimpleri, cunctique à virtutis semita aberrantes, ad sempiternæ salutis viam revocari queant. Hoc equidem zelo, hoc igne cumprimis incensos esse oportet eos, qui Christum prædicare aliis, cœlique divitias promittere fidelibus constituerunt. Illi aliquando cum fructu omnique imperio (ut Apostolus loquitur) arguere poterunt, qui de BONO EXEMPLO doctrinæ salutiferæ sociando apprimè sunt solliciti, siquidem *divinarum literarum explanatio* (dicente Theodoreto) *opus habeat anima à labe notabili purgatâ, tum mentem desideret agilem, & veluti pennis præditam, quæ in ipsa spiritus penetralia ingredi possit.* Cumque magna adeò sit imò maxima vis EXEMPLI, nemoque major & fructuosior virtuoso Doctore existat, hinc opera strenua navanda non monitoribus solùm, ut de bono *exemplo* doctrinæ salutari sociando sem-

Theodor. præf. in Cant. T. 1. opp. f. 983.

ſemper ſint ſolliciti, artemque illam artium tradituri, ejusmodi exemplaria proponant, ad quæ alii vitam moresque rectè componere queant; verum diſcentibus cumprimis, & ad ſupremæ illius felicitatis apicem ſeriò tendentibus curandum ſedulò, ut omnem improborum fugiant conſvetudinem, & à noxio cœtu prorſus recedant, utque malos ſocios evitando, ipſam evitent improbitatem. *Etiam pacata antea maria* (ait ſcriptor quidam egregius) *ſi ſocii accedant interturbantes venti ſtatim in iras inſurgunt, & nocituras minas, quin etiam pacatiſſima flumina, quorum lentitudo oculis ipſis eripit curſum, ſi incubent venti, ſtatim exurgunt in fluctus, & manſveta illa elementa, quæ ovium inſtar ignorare motus videbantur, in leoninas exaſperantur iras. Non igitur eorum conſvetudine Vir benè moratus debet oblectari, qui facili negotio in iras, odia,* (faſtum, ambitionem invidiam, contentionem aliosque vitiorum ignes) *exardeſcunt, impellunt ſiquidem malorum conſvetudines ad pœnitenda, & ſapè etiam cogunt ad ea, quæ nullam admittunt emendationem, nullis q; lacrymis elui poſſunt, cum ſemper ſerus poſt.*

Joſephus Mariavigl. in Pruteo ethico pol. p. 207.

post sangvinem mæror sit. Posthabito itaque spretoque malorum consortio bonis potius sejungat, atque non nisi laudabilia virtutum *exempla* sibi proponat veræ felicitatis candidatus. *BONOS imitare* (præclare ait Cyprianus) *si potes, si sectari non potes, collatare certè & gratulare melioribus, fac Te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis & fraternitatis cohæredē.* Sed utinam hodiè in erudito Orbe non obtineat, quod Cyprian⁹ hunc in modum est detestatus: *Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est, malos quisquis non imitatur offendit!* Ea quandoque est inter profanè doctos virtutis ejuratio, ut inclytæ pietatis Viros gravissimis vexare contumeliis, ipsaque sancta malignis sermonibus violare illi non dubitent. *Multi* eorū, *quorum similitudinem desperant*, (Apuleio dicente) *affectare conantur simultatem.* Diligendi potius cum reverentiâ & imitandi studio Viri sunt virtute singulari illustres, cum (teste Symmacho) *quadam scintilla sapientiæ sit virtutum luminibus applicari.* Memorat de se C. Plinius, quod cum in Syria tribunus militaret, Artemidorum arcta

Symmach. l. IX. ep. 9. Plin. l. 3. ep. 11.

arcta familiaritate fuerit complexus, socerumque ejus Musonium cum admiratione dilexerit, insignes eâ tempestate sapientiæ Antistites: *Idq; primum* (inquit) *nonnullius indolis dedi specimen, quod Virum aut sapientem, aut proximum similemq; sapienti intelligere sum visus.* Et merito: Nam idem ille Plinius maturiore jam ætate magis admirari se virtutes Emphratis ait, quia magis eas intelligeret. *Ut enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex judicare, ita nisi sapiens, perspicere non potest sapientem.* Itaque pro certo & indubio felicitatis subsecuturæ indicio habeant literati, si Viros summa virtute conspicuos, non quos damnificis umbrarum tenebris obnupta gens olim est admirata, sed quos Christiana huc usque pietas commendavit, cum ingenti quadam dignatione in animos admittant, tantis nominibus semper assurgant, & quidem (ut de sese affirmavit Seneca) *cum similitudinis desiderio & affectatione.* Sen. de vit. beat.

XII. Neque verò aliorum solum instituta exemplaque laudatissima literato ad insignem illam felicitatem aspiranti, cum quadam similitudinis affectatione probè consi-

considerandа, ſed ſtrenuè etiam IPSI (uti Chriſtiana jubet Philoſophia, nosque jam ſupra monuimus) adverſus VITIA & immodicas cupiditates decertandum, hoſtisque infernalis (auxilio cœleſti) nefariæ ſemper reprimendæ ſunt ſuggeſtiones. A vitiis enim remotus, ſtatim virtuti erit vicinior, recedens ab illis, propius ad has accedet, ipſique DEO magis magisque appropinquabit. Quod ſi verò Vir literatus ſeriũ ſecum de expellendo omni vitio agitet conſilium, fixumque illi ſit hoſtibus tam atrocibus ſacrum indicere bellum, non levi equidem brachio, non molli articulo, ſed toto totius animi conatu, omni intellectûs (divinæ gratiæ radiis colluſtrati) induſtriâ, cunctis ingenii nervis, generoſo propoſito animoque excelſo. Quod agit, agat maſculè non minus quam ſollicitè, ad exemplum Magni illius Doctoris Hipponenſis, Auguſtini, qui notanter de ſe alicubi; *Multa* (ſcribit) *ago in cogitationibus meis, pugnans adverſus malas ſuggeſtiones meas, & habens conflictationem diuturnam, & propè continuam vim cum tentationibus inimici, ſubvertere me volentis. Gemo ad DEUM in infirmitate*

August. Conc III in Pſ.30.

te

te mea, & novit quid parturit cor meum ille, qui novit partum meum. Nimirum in tentationes ſuperbiæ, ambitionis, gulæ & luxuriæ egregius iſte Chriſti athleta pugnavit, ope cœleſti eradicans, evellens, deſtruens ac perdens quicquid ex ſemine malarum cupiditatum propullulavit. Hoc itaque ſibi (quod imitetur) piè literatus proponet exemplar, hanc hominis ad DEUM tendentis ſpiret indolem, atque pravis ſuis affectionibus pari ſolertia bellum inferat, cumprimis autem VITIIS eruditorum deteſtabilibus, IMPIETATI, SUPERBIÆ, INVIDIÆ, AMBITIONI, CURIOSITATI IMMODICÆ, MALEDICENTIÆ, CONTENTIONI, AVARITIÆ, cæteriſque mox fuſius commemorandis ac depingendis monſtris, ſancti det repudii libellum. Sin illa redire, & priſtinam animi ſedem occupare conentur, pugnet eò fortius, atque ne tandem aliquando hoſti ſuccumbat, diligentiſſimè caveat. Eſt illa maſcula vox Trajani Ducis Chriſtiani & invicti ad Valentem Imperatorem: *DEUM ſemper ſequitur victoria, & ad eos accedit, quibus DEUS ſe Ducem præbet.* Ita

Theodor. lib. IV. hiſt. c. 29.

est ô literati Heroes, ubi DEUS vester erit sospitator, ibi rosæ laureæque pullulabunt, coronæ vobis texentur, tandemque exaudientur epinicia. Cum Dæmone quidem comparati ut robustissimo gigante, vos minuti pygmæi videbimini, quos elidere & audaci pede facilè proterere ille possit, sed divino præsidio defensi, in leones evadetis, ignem spirantes, inimico valdè formidandi. Jasonem jactavit fabula gravissima in navigatione Colchica exantlandâ, inque auferendo vellere aureo pericula & discrimina subiisse; Tauri nimirum illi domandi erant ignivomi, dein ad arationem subjugandi, pervigil Draco velleris custos superandus, armatorum denique virorum è seminatis Draconis dentibus repentè enascentium exercitus excipiendus. Tantum abest ut terruerint ea pericula animum *Jasonis* virtutis plenum, ut potius accenderint magis, & ad maximum facinus audendum provocarint. Licet alieno discrimine contremuerint socii, ipse neutiquam motus est proprio, nihilq; cunctatus, furibundis sese objecit bestiis, fretusque amuleto, quod à Medea acceperat, miti-

Ovid. 7. metamorph.

mitigavit tauros, jugoque imposito, illos aratro junxit, mox hastatos & galeatos in hostes (infesta arma intentantes,) saxum, quemadmodum erat monitus, ingens projecerat, ita ut conversis exemplo in semetipsos telis, mutuis vulneribus omnes conciderint. Et cum vincendus adhuc superesset Draco velleris custos, crista terribili, linguâ trisulca, fulmineisque oculis horrendus, is quoque feliciter adeò est prostratus, ut liberum mox ad arborem (ex quà vellus aureum pendebat) aditum victori permiserit. En vobis ô LITERATI PRÆLIATORES, animi, & bonitate naturæ præstantis, & virtutibus insigniter imbuti, (id quod Jason instructori suo *Chironi* debebat,) verâque gloriæ cupiditate incensi nobilissimum exemplar! *Jason* ubique victor vos suo edocet exemplo & triumpho, nihil non virtuti cedere atque magnanimitati, nec quicquam tam arduum, quod non constanti improboque labore, animique firmitate attingi ac obtineri possit. Quilibet vestrum vel me tacente intelligit, quinam illi *tauri sint æripedes*, naribus ignem efflantes, & sub aratri jugum mit-

tendi, quænam ferrea illa armatorum ſeges, ſerpentinis dentibus enata, & in ſe ipſam adverſis converſa haſtis; quis Draco ille, arboris aureæ (unde vellus veræ perpetuæque felicitatis literariæ ſuſpenſum,) pervigil cuſtos? Nimirum per hæc pravi veſtri denotantur affectus, indomitæ cupiditates, efferatæ concitationes animi, horribilis denique ille Draco infernalis, quibuscum hoſtibus fortiter vobis pugnandum, donec illuſtriorem longè *Jaſonicâ* illâ obtineatis victoriam, cum juxta ſapientiſſ. Salomonis effatum *is qui dominatur ANIMO SUO major ſit quovis expugnatore urbium.*

Prov. XVI.

Naſo.

Audax res (canit Poëta) *viciſſe alios; victoria major,*
Eſt ANIMI fluctus compoſuiſſe ſui.

XIII. Sicuti verò ſine *Medea* conſilio nihil præſtitit Æſonides ille; ita in graviſſimâ veſtra adverſus Draconem tauroſque ignivomos pugnâ fortitudini proxima ſit CURA SERIA, maximaque ſollicitudo, (quæ per Medeam ſignificatur,) ne illotis quod ajunt manibus tantum ſuſcipi-

Μῆδος, cura, cōſilium à Μήδομαι

ſcipiatis negotium: Euripides Ἐυλάβειαν, quæ hæc ipſa cura eſt meritò dixit utiliſſimam eſſe Dearum, cura eſt illa quæ ſcientiæ lumen adhibet negotiis, abſtruſa penetrat, revelat operta, illuminat obſcura, cuicunque literato hæc virtus adeſt, hoc facilè aſſequetur, ne animus unquam negotiò deſit nec votis ſucceſſus. Quodſi juxtà Mythologorum veterum placitum Jupiter ad monſtra profliganda eum maximè idoneum judicavit, qui non uno momento, ac ne una quidem nocte, ſed toto trinoctio eſſet procreatus; Vos potius in longè meliorem beatitatis ſortem Servatoris beneficio genitos, par vocatione veſtra labor ſemper verſet & cogitatio, quo dignam officiò diligentiam præſtetis, iſtamque in profligandis monſtris illis teterrimis obſervetis rationem, nimirum ut ad tanti momenti opus neutiquam incurioſi accedatis aut imparati, majeſtati chriſtiano-literariæ haud decorum reputantes, circa ſupremam felicitatem conſequendam ea neglexiſſe, quæ profana religione imbuti literàtores ſtudioſè duxêre obſervanda. *Delectet potius* (ut cum Magno Gregorio loquar)

curam gero delibero, meditor. provideo, proſpicio.

Greg. M. hom. XVII. in Evangel.

quar) *mentem vestram magnitudo præmiorum, nec deterreat certamen laborum.* Non longinquis è terris, non per mille pericula quærendum vobis solidæ illius felicitatis *aureum vellus*, sed hostes vincendi domandique sunt domestici, pravi nimirum affectus, noxiæ quælibet cupiditates, nec non corporis sensuumque illecebræ, pestes inquam illæ execrabiles, SUPERBIA, AMBITIO, PHILAUTIA, INVIDIA, CONTENTIO, cum omni infamium pedisequarum catervâ, atque inclinationum passionumque pudendarum colluvie, quas Draco ille infernalis in literatos veluti proditores suscitare consvevit, & quæ instar gravissimi oneris in terram plerosque eruditorum deprimunt defiguntq;, ut ad arborem *aureo* conspicuam *vellere* mentis oculos attollere, exoptatæque felicitatis diademate compotes fieri nequeant. Licet innumeras de hostibus aliis, ô mei, reportetis victorias, inque dicendi disputandique palæstra palmâ præripueritis omnibus, attamen veræ felicitatis brabéo æternum carebitis, si in gravissima adversus cupiditates vestras, efferatasque animi concitationes pugnâ sitis

tis segniores. Alexandro tunc evadetis similes, qui totius terrarum Orbis victor, *sibi ipsi* frequentissimè succubuit. Sapienter de illo Arrianus: *Alexandri præclara facinora documento esse possunt, sive quis corporis viribus polleat, sive generis splendore emicet, sive bellica virtute, felicitateq; Alexandrum ipsum superet, sive Africam simul & Asiam (quemadmodum animo ille destinarat) pernavigans subjugarit, sive Europam, Asiæ atq; Africa tertiam adjunxerit, nihil hæc omnia homini AD FELICITATEM adipiscendam profutura sunt, nisi pariter moderatio ANIMI accedat, quamvis res in speciem gerat maximas.* Affectus igitur vobis ô literati, (an ne vitio mihi vertitis, quod toties hæc vestris inclamem auribus?) sunt edomandi, & ut rationi pareant, *subjugandi*, non secus atque Tauri & Dracones illi Colchici. Non vicit eos Orbis ille victor, de quo dixi, Alexander, qui IRACUNDIÆ, velut ignivomo tauro in se impetum facienti, turpissimè cessit, uti præter alios Maximus testatur Valerius: *Alexandrum* (ait) *ira sua propemodum cælo diripuit.* Eundem quomodò Libido & Ebrietas veluti tauri & Dracones

Arrianus lib. IV. vit. Alex.

Valer. Maxim. lib. IX. c. 3.

dejecerint, Curtius & Seneca præter alios memorarunt. Ne eadem vos quoque ô præclara eruditi Orbis ornamenta calamitas excipiat, *fortitudinem* (ut Gregorius monet) *justorum imitamini, propriis contra euntes voluntatibus, delectationem vitæ præsentis extinguentes, prosperitatis blandimenta contemnentes, omnem adversitatis metum in corde superantes, hujus deniq; mundi aspera neutiquam refugientes.* Agite igitur, pugnæ periculum faciamus, hostium, literatos ubiq; graviter infestantium conatibus (divino subsidio freti) occurramus, militaremque in suscepto cum nequissimis illis salutis nostræ adversariis, vitiis inquam inter eruditos tantum non ubique regnantibus, certamine prudentiam adhibituri, cura singulari hostium munitiones explorabimus, consilia expiscabimur, arma examinabimus, vires expendamus, ac sedentes denique cum animo nostro deliberemus, quomodo possimus *cum decem millibus occurrere ei, qui viginti millibus* (imò innumeris pravarum suggestionum jaculis) *instructi*, nostram meditantur eversionem. Sagaciter perquiramus qualem machinam

Gregor. M. lib. IIX, moral.

cui-

cuilibet obijciamus passioni. *Scrutemur* (monente Chrysostomo,) *suam quisq; conscientiam, & consideremus, quid nam in hâc hebdomade probè actū sit, quid in alia, & quale augmentum fecerimus ad sequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* *Discamus,* (ait idem) *igitur & vitia nostra recensentes ea tempore corrigamus, & hoc mense unum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur.* Sed & insignem illam pugnandi rationem observemus, quam Magni Chrysostomi discipulus Johannes Cassianus luculenter hunc in modum delineavit: *Ita nobis adversus vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisq; VITIUM, quo maximè infestatur explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemq; defigens, contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraq; gemituum tela contorquens, indesinentes quoque orationum fletus ad Dominum fundens, & impugnationis sua extinctionem ab illo specialiter ac jugiter poscens. Cumq; se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, & excipiat sibi, quam inter reliquas* per-

Chrysost. Homil. 82. ad pop. Ant.

Joh. Cassian. coll. V. c. 14.

perspexerit diriorem, atq; adversus eam specialius omnia spiritus arma commoveat, & ita semper validioribus superatis, celerem de residuis habebit facilemq; victoriam, quia & mens triumphorum processu reddetur fortior, & infirmior pugna succedens, promtiorem ei proventum præliorum faciet, ut fieri solet ab his, qui coram Regibus mundi hujus omnigenis congredi bestiis præmiorum contemplatione consueverunt, quod spectaculi genus, vulgo Pancarpum nuncupatur. Hi inquam feras quascunq; fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, adversus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas quæ minus terribiles, minusque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitiis semper robustioribus superatis, atq; infirmioribus succedentibus, nobis absq; ullo discrimine perfecta victoria parabitur. Ex ipso etiam Magno Basilio discamus, quam in vitiis nostris eradicandis tenere debeamus rationem: *Quemadmodum* ait, *si quis relicta radice ramos arboris alicujus velit excisos, nihilominus radix manens alios similes illis protrudit; sic quoniam peccata sunt quædam* (literatorum) *quæ nascendi*

Basil. M. in Regul. brev. interrogat. 289.

di principium in se ipsis non habent, sed aliunde originem ducunt, necesse est prorsus, si quis esse ab illis liber velit, is ut causas primas peccatorum illorum stirpitus tollat, veluti CONTENTIO & INVIDIA (notissimæ illæ Orbis eruditi pestes) *non ex se ipsis nascuntur, sed à radice APPETITUS GLORIÆ pullulant. Qui enim humanam gloriam magni facit, is ex æmulatione ei obtrectat, quem in gloria esse animadvertit, aut à quo in ea superari se videt, invidet. Quocirca qui semel se ipsum invidiæ, contentionisve condemnavit, is si in eadem ipsa denuò vitia relapsus sit, utiq; intelligat, gravi se ac penitus insito cupiditatis gloriæ morbo, principe scil. invidiæ æmulationisq; causa laborare, nimirumq; ipsum convenit contraria ratione, nempe HUMILITATIS exercitationibus gloriæ morbum curare, ut hoc modo affectionem illam humilis animi adeptus, deinceps in ea quæ ante diximus esse cupiditatis gloriæ genuina non incidat, eandemq; in singulis peccatis debellandis observet rationem.*

XIV. Multa, multa sunt ô LITERATI, quæ ut ita faciatis, atq; sanctissimo huic & saluberrimo studio incumbatis, vos commovere

vere debeant. Inprimis autem VITII cum ſana literati hominis ratione pugna, continuusque conflictus, quandoquidem (ipſis gentilium magiſtris aſſerentibus) vitium rationi atque adeò rationali naturæ ita ſit diſſentaneum, ut ad ipſas beſtias hominem etiam literatiſſimum abjiciat. Non omninò fabula eſt Trivenefica illa Circe apud Poëtas, quæ Ulyſſis ſocios eousque dementavit, ut homines in belluas ac pecudes commutaret. Quis verò non totus cohorreſcat, ſi Virum doctrina literisque ornatiſſimum, in beſtiam commutatum intelligat? Quam deteſtabilis macula pudendaque labes univerſo LITERATORUM ORDINI ex vitiorum peſtiferorum confluxu accedat, quamque putidas ex eo ulcere fœtor erumpat, nemo ſatis explicet. Nimirum ſublata cœleſti gratia, deſtructaque ſupremæ ſapientiæ arce, neceſſum eſt in animum profani vitioſique literati induci enormem quandam turpitudinem, labem, peſtem, fœditatem, horrendamque adeò ἀναισθησίαν, ut peccator oculis animi captus, ac ſenſibus quaſi omnibus deſtitutus, neque videat quicquam, neque omninò

percipiat, eumque veluti phreneticum aut peste infectum sani bonique omnes detestentur. Ut hinc minus mirum videri debeat, si ipsa DIVINA MAJESTAS ex infami adeò prostibulo, pudendaque vitiorum turpissimorum sentinâ singularem suam præsentiam, gratiam, donorumque eminentiam subtrahat, mox verò tartarei dæmones monstra illa tetra & horrida veluti in vacuam τῶν δοκιμένων, h. e. pseudo-sapiẽtum illorũ domũ subintrent, teterrimâ ibi tyrannide dominentur, & miseros Musarũ filios tanquã stygia quædã mancipia, iniquitatũ suarum funibus constricta, in omniũ abrupta vitiorum, imò extremi exitũ barathrum pertrahant. Nonne ô LITERATI hæc sũt ejusmodi, quæ Vos movere debeant, ut è dirissimo tartarei hostis mancipatu ad veram piè doctorum hominum libertatem aspirare debeatis quantocyus, è porcorum harâ redire ad benignissimum parentem, deque exuendâ indignissima illa servitute seria vobiscum agitare consilia. Ast dicetis forsitan profundo sepulti lethargo: *Justi sumus, non indigemus pœnitentia, nullâ perperam gestorum conscientia inquie-*

inquietamur. Auferat à vobis Numen benignissimum periculosam adeò principis tenebrarum catapultam! Cavete obsecro, ne detestabiles ejusmodi cogitationes vestros unquam subeant animos, planissimè potius vobis persvasum sit, *neminem* (ut scitè ait Lactantius) *tam justum esse posse, ut nunquam sit ei necessaria pœnitentia.* Considerate diligentius cunctas domûs interioris semitas, cordisque vestri cubiculum ingrediamini, exploraturi quantis eo usq; involuti erroribus, in quã turpia flagitia infãiasq; fueritis abducti. *Hoc nos* (literatos) ait Seneca, *pessimos facit, quod nemo vitã suã respiciat, quid facturi simus cogitamus, & id raró: quid fecerimus non cogitamus; atqui consilium futuri ex præterito venit.* Ne itaque Vos, ô Literati Christiani è profani cujusdam & damnificis umbrarum ethnicarum tenebris obnupti hominis judicio evadatis *pessimi*, VITAM vestram respicite accuratius, quid feceritis diligentissimè cogitate, nec generalem solum de extirpandis vitiis fovere sollicitudinem, verum peculiarem (ut antea diximus) adversus unumquodque instituite luctam, donec singula pro-

Seneca epist. 84.

ster-

sternantur penitus. Sive turpi *IMPIETATIS* cœno fueritis maculati, sive *fastu* immenso excœcati, sive *inanem* sectati *gloriam*, sive *Invidiæ* & æmulationis labe corrupti, sive *Ambitionis* infrunitæ œstro perciti, sive *Contentionis* immodicæ pestilenti sidere afflati, sive *Maledicentiæ* morbo occupati, sive *Avaritiæ* insatiabilis pondere pressi, sive denique *noxiæ Curiositatis* amore deformati: tunc specialius atque diligentius instituatis scrutinium, atque pii cujusdam Viri monito obedientes; *VITIUM quo maximè laboratis diligentissimè exploretis, & adversus illud principale arripiatis certamen*, sanctoq; Chrysostomo auscultantes: *Discatis & vitia vestra recensere, & tempestivè corrigere, hoc mense unum, alio aliud, ita ut subsequenter meliores efficiamini.* Quoties equidem propria mihi ad animum mala revoco, & conscientiam perperam gestorum pono ante oculos, quā otiosè pridem (licet Deo in prima ætate consecratus) cum profanis seculi mancipiis fuerim negotiosus, nihilque egerim dum perficere volui omnia, quam inutiliter] ipse ineptiverim diutius, venatus fumos, umbrasq; sectatus, quam

Eutropius Abbas ad Petr. Episc.

Chrysost. Homil. 82. ad pop. Ant.

ardua tenuesque ſuperantia vires in animo volutarim, quam turpiter ſæpè à vero aberraverim ſcopo. atque perniciofis illis Satanæ catapultis, ELATIONE ANIMI, PHILAUTIA, INANIS GLORIÆ pariter ac infructuoſæ CURIOSITATIS amore ſtudioque, veluti graviſſimis ponderibus ita fuerim depreſſus, ut nominis mei menſuram neutiquã adimplere, neq; erectos mentis oculos ad cœleſtem AMOREM attollere potuerim, denſiſſimis utplurimum tenebris immerſus; Quoties inquam priſtinum meum, h e *miſeri* cujusdam *erronis* ſtatum memori pectore intueor, toties cura me verſat atque cogitatio, non ſolum qua ratione vitioſis illis affectionibus *quæ mentem hactenus* (ut cum *Ephræmo* Syro loquar) *variè diſtractam tenuere, atq; per animi elationem occulta mea vulnera frequenter inſtauravêre*, ſacrum indicere bellum, verum etiam in emendandis reducendisque ad ſalutis ſemitam *fratribus meis* operam collocare queam ſalutarem. Hinc eſt quod cunctos Literati Orbis incolas per DEI attributa, per Chriſti meritum, per ſalutem eorum ſempiternam rogem atq; obteſter, ut intra

Ephræm. Syrus in in tertio de compunct. erm.

tra

tra se ipsos reversi, non solum cuncta vitæ præteritæ scelera detestentur atq; adversus illa deinceps fortissimè decertent, verum etiam latens illud, & ex innumeris naufragiis infame saxum (RELAPSUM intelligo) devitent, in quod graviter hactenus omnes illi impegêre, qui arrepta quidem pœnitentiæ tabulâ ex priori jactura in portum enatarunt, ast nave refecta, recuperatisque mercibus, non providam satis curam justamque sollicitudinem in cavendis funestis exitiosisque vitiorum scopulis adhibuêre, perpetuæ tandem justo DEI judicio dati interneci oni. FILI PECCASTI? NE ADIICIAS ITERUM, optimè quondam monuit sapiens. *Qvid juvaret* (ait alius) *lacrymis faciem lavisse, si iterum iisdem aut fædioribus peccatorum sordibus ea maculetur?* Talem prævaricatorem literatum haud abs re cum Bernhardo sentinæ comparabimus, ex qua quantum effluit, tantum influit ocyus, ita ut nunquam exhauriatur.

Ecclesiast. cap. 21.

Bernard. serm. de convers. ad Clericos c. 7.

Qui pedis offensi lapidem vitare secundo
Nescit, & incautos iterum vexaverit artus,
Imputet ipse sibi, nec casibus imputet ullis.

Corrige delictum fidamine corrige mentem,
Suffecit peccare semel, desiste vereri.

Ita ad lapsum Senatorem olim Cyprianus. *Et quia Dux in prælio* (verba Gregorii M. adscribo) *plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit; majorq́ proin DEO & angelis lætitia de uno lapso resurgente ad bonam frugem quam de multis molliter se gerentibus, licet nunquam collapsis*; hinc quilibet literatorum facilè intelligit, gaudium à Deo & angelis de regressu ad bonam vitam receptum, protinus per relapsum disperdi, inque dulcissimum cœlestis mensæ cibum immitti plusquam absinthialem amaritudinem, *Noli* (ait os aureum) *peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita ô homo* (literate) *gravem culpam esse post veniam; renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam.* Et paulò post: *Grave est hominem instructum delinquere; gravius absolutum peccare; servo pejor est qui patronum post datam libertatem offendit.* Quodsi auream hanc sed plumbo graviorem sententiam ad animum VOBIS ô LITERATA pectora seriò revocaveritis, causâ discetis pal-

Cypr. ad Sen. lapf.

Chrysost. de lapf. primi hominis.

mariam, cur gravior ipso lapsu sit *Relapsus*, si lapsum priorem excuset naturæ vestræ imbecillitas, relapsus isque frequentior argumento est malum altissimas in cordibus vestris egisse radices, atque de recuperanda sanitate tantum non penitus esse conclamatum. *Jam quidem* [ita præclarè Tertullianus, in quinto libri de pœnitentia capite, teterrimum literati relabentis statum delineaturus scribit,] *nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptisq; ejus admissis, deniq; pœnitentia delictorum functus, rursus Te in delicta restituis. Ita in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumacia adglutinaris: Nam si idcircò Te deliqvisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neq; enim timorem alia res quam contumacia subvertit. - - - Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renunciasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eundem regressu suo erigit, & exultationem ejus se ipsum facit, ut denuò malus recuperata præda sua adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit, comparationem enim videtur egisse, qui utrumq; cognoverit, & judicato pronunciasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit, - - eritq; tanto magis exosus DEO, quantò æmulo ejus acceptus.* Quandoquidem verò magna incolumitatis pars, nosse recidivorum radices,

Tertull. l. de pœnit. c. 5.

dices, ut fibris excisis malum penitus exscindatur, duas VOBIS, ô MEI, relapsuum causas amplius dabo expendendas : Una est DÆMONIS IN IMPUGNANDIS CONVERSIS (præsertim Literatis) IMPORTUNITAS ; cum enim probè sciat ex relapsione rursum se suo jure ac dominio in hominem potiri, magisque difficilem inde fugam reddi & exitum, nihil magis nequissimus ille humani generis adversarius molitur, quam ut stantes Viros eruditos rursus dejiciat, inque abominandam suam retrahat potestatem. *Tunc scilicet* (ut præclarè Isidorus Hispalensis) *magis gravari nos impulsu vitiorum agnoscimus, dum ad DEI propius accedimus cognitionem, sicuti populus Israëliticus graviore onere ab Ægyptiis premebatur dum per Mosen à dura servitutis jugo esset liberandus. VITIA enim ante conversionem quasi pacem in homine habent, quando autem expelluntur acriore consurgunt virtute, ac sicuti conversionem præcedit turba peccatorum, ita eam sequitur TURBA TENTATIONUM.* Dormiendum igitur vobis ô LITERATI non est, neque otiandum, arma (ut antea monui) tenenda in manu, excitandus contra tentationum hujusmodi diabolicarum machinas animus, fortiterq; & constanter obsistendum, ut consistatis in gradu, nec dejiciamini, imò victores tandem aliquando evadatis. E sua machina Vos pugnantes DEUS ipse contemplabitur, juvabit ut potentissimos pariter ac callidissimos hostes vincatis, variarum calamitatum

Isidor. in lib. de conversis cap. 3. NB.

tatum mole pressis vitam ac vires tribuet ejus gloriæ propagandæ sufficientes, multosque ad justitiam erudientibus sempiternæ gloriæ coronam aliquando imponet.

XV. Verum ab inæstimabilis hujus felicitatis fastigio Vos [ni præcaveritis sollicitè] deturbare conabitur altera illa [quam indigetavi] relapsionum causa, INOLITA nimirum VITIORUM CONSVETUDO, habitusq; crebris actionibus perversis acquisitus, qui cum uno alterove virtutis actu non statim expellatur, præsertim si diuturnitate & frequentia fuerit corroboratus; hinc tanto majori curâ studioq; VOBIS allaborandum, ut vitiorum memoratorum pestes eradicentur potius, quam superficie tenus duntaxat eradantur. *Excisam*, (notanter ait Bernardus) *non extirpatam arborem in sylvam pullulare videas densiorem; quod periculum si velis declinare securim imponas necesse est ad RADICES arboris, non ramos.* Ne igitur noxiæ affectionum vestrarum arbores herbæq; mox repullulent, magisq; luxurient, radices etiam penitissimæq; fibræ [quantum fieri poterit] sunt evellendæ, atq; ni retrahi velitis in dirissimam illam peccati servitutem, invigilandum apprimè, atq; pro virili insudandum erit passionum inclinationumq; perversarum dominio, contendendumq; sollicitè, ut vitiorum *consvetudines* per frequentiores virtutum contrariarum actus è medio tollantur. *Secus si agatis* [appositè non minus quam præclarè ait Dorotheus]

Bern. Serm. de assum. B.M.V.

us] *& studio professionis vestræ non ritè incumbatis, non modo nullum impetrabitis fructum, verum etiam inconsideratè vestram finietis vitam, tempusque frustra consumetis huc atq; illuc omni vento circumacti.* Auferat DEUS à VOBIS ô præclara Orbis eruditi ornamenta mentes impuras infectasque siti gloriæ, amore proprio, odio proximi, atq; execrabili studio pecuniarum contaminatas, omnem contentionis, maledicentiæ, vindictæq; privatæ in vobis exterminet appetitum, deniq; prohibeat quo minus tempus negotiis supervacaneis impendatis, quæ utut semper turpia non sint, certè hoc ipso perniciosa existunt, quod à curis Vos avocent magis necessariis, indecora autem, quod personis nobiliori ministerio consecratis, neutiquam conveniant. Etiam atq; etiam *Vos cunctos* ô literati [Magno Chrysostomo præeunte] *rogo atq; obtestor, ut quisq; DEFECTUM à quo vexari se noverit, ex animo præcidere studeat, & PIA quâdam cogitatione, quasi spirituali utens gladio VITIA cuncta prescindat.* Igitur faciatis Vos similiter, & vivetis. Atq; hic erit unicus cujuscunq; mei in scribendo, vestri in legendo laboris fructus, quem ut utrinq; decerpamus, inq; sinceræ pietatis semita magis magisq; procedendo, tandem aliquando ad veræ sempiternæq; felicitatis metam pertingamus, TER-Maximum Numen pro bonitate sua inenarrabili clementissimè largiatur!

Doroth. serm. X. p. 139.

Jo. Chrys. Hom. 77. ad pop. Ant.



COM-



COMMENTATIO I.

DE LITERATORUM QUORUNDAM IMPIETATE SEU ATHEISMO.

I.

OMnium ſcaturigo VITIORUM, omnium matrix calamitatum, quæ cataclyſmi inſtar Orbem LITERATUM hactenus inundarunt, atq; vehementiori quodam impetu ſunt adortæ, IMPIETAS eſt, DEUM aut palam neſciens, ac omninò nullum putans, aut rerum humanarum negligentem, eaque propter inſano planè auſu ſinceræ pietatis aram

calcibus petens, atque execrandas mortalium etiam doctissimis de omnium religionum vanitate ac falsitate suggerens cogitationes, nec rarò Viros literarum studiis insignes pro impudentia sua sollicitans, ut personatos agant hypocritas, specieque & forma pietatis externâ contenti, μόρφωσιν duntaxat (ut Apostolus loquitur) habeant τῆς εὐσεβείας, verbi divini respuant magisterium, nec unquam in spiritu vivere cogitent, denique eò impietatis prolabantur, ut Deum apertè negare abjurareq; inducant in animum. Et licet usus obtinuerit, ut nefarii solum Creatoris Conditorisque Maximi contemptores vocentur IMPII, liquidò tamen apertèque satis constat, non contemptu solùm & abnegatione SS. Numinis Literatos quosdam enormem suam prodere impietatem, sed modis insuper multivariis pravi erga DEUM ejusque cultum adfectûs detestanda dare documenta: vel admirandam ejus impetentes providentiam, siquidem in eruditorum etiam cœtu:

Sunt qui in fortunæ jam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri;

Vel DEUM in curandis rebus humanis negligentiæ, imò injustitiæ & crudelitatis arguentes, vel Nomen ejus Sacrosanctum dehonestantes, profanè satis scepticeque de rebus divinis differentes, prava ubiq; & impia disseminantes dogmata, irridentes etiam contemnentes, ac

blasphe-

blaſphemantes ſupremam Majeſtatem, vel tentantes impiè; cultum Deo debitum creaturis, ipſiſque dæmonibus exhibentes, nec ut decet DEUM verum inveſtigantes, nimis autem curiosè arcana cœleſtia perſcrutantes, judicia DEI impudenter reprehendentes, cum ipſo Numine temerè interdum contendentes & diſputantes; quoties res adverſæ dubiæque animos ipſorum pulſant, Dominum non requirentes, nec ipſi ex animo confidentes, peccatis verò ſuis iratum nunquam placare laborantes; veros Dei pietatisque cultores plusquam vatiniano proſequentes odio, nulloque non injuriarum genere afficientes Viros innocentisſimos; cæterum parcè admodum orantes, DEOque frigidè ſatis ſupplicantes, (ſicuti Maximus Tyrius olim contendit nullatenus DEUM colendum eſſe precibus, quoniam ſive orans ſit malus, exauditurus DEUS non ſit; ſive bonus, DEUS illi etiam non oranti neceſſaria cuncta ſit largiturus) publicum quoque privatumq; Dei negligentes cultum, adeoque grates illi malè agentes, dona beneficiaq; cœleſtia propriæ induſtriæ, ingenio, ſtudioque indefeſſo attribuentes, denique verbo DEI revelato minimè obtemperantes, ſed ſuo duntaxat viventes arbitrio. Prolixum equidem foret arduumque nimis univerſum hoc impietatis pſeudo-literariæ excutere ſeminarium, quodque miſeros adeò facit eruditorum plurimos,

Max. Tyrius diſſ. 1.

cunctis ſuis coloribus depingere IMPIETATIS ſcelus. Poſthabitis itaque cæteris τῆς ἀσεβείας pudendæ criteriis, præcipuè nunc ipſum ex Orbe Literato propullulantem inq; verè INFELICES quosdam literatos graſſantem ATHEISMUM conſiderabimus, ſummè deteſtandam illam ſtudiorum elegantiorum peſtem, genimen iſtud viperarum infernalium, atque literati Orbis probrum execrabile in perpetuum [ſi fieri poſſit] relegaturi, viroſque eruditos ſpiſſis adeò tenebris aliquandiu detentos ad clariſſimam veritatis optatæque felicitatis lucem cœleſti ope revocaturi.

II. Non abs re impuriſſimam illam ἀθεότητος ſectam, cui nimio plures etiam literati huc usque nomen dedêre, Vir quidam egregius noviſſimum Cacodæmonis fœtum nuncupavit, qui laboret ſummoperè, ut in polytheiſmi gentilis locum ATHEISMUS, Numini haud minus injurioſus, ſubſtituatur. Non ego fulmen reformido Jovis, nec Jovem fateor eſſe præſtantiorem me DEUM, ajebat quondam Cyclops immanis, cui perquam ſimiles illi ſunt literati, qui patefactæ tot illuſtribus documentis veritati pertinaciſſimè renituntur, atque cum inſipientibus cæteris deteſtandum illud axioma chartis inſcribunt & infigunt cordibus: NON EST DEUS. Ecquis Philotheus toto non contremiſceret pectore, ſi in

Orbe

Orbe etiam Christiano-literato talia hominum monstra talesque reperiri intelligat doctores maleferiatos, qui omni religione ac pietate conculcata, SS. Numinis ejusque verbi [lucis æternæ veritatis] splendorem detestandis suis sarcasmis extingvere laborent, haudquaquam suum dissimulantes virus, sed dictis pariter ac scriptis perniciosissimis ubique illud effundentes, religionem externè interdum colentes, sed nullam habentes, DEI nomen in ore, in corde nunquam circumferentes, inque concepta opinione sua nefaria plus momenti ponentes, quam in DEI monitis, Christique præceptis aut pollicitis. De Sabinis olim familiariter dicebatur: *Somniant quod volunt*; id locum magis habere videtur in omni genere literatorum atheorum, quippe qui DEUM non esse somnient, cum animos ab omni ejus reverentia cultuque protinus habeant alienos, haudquaquam reformidantes retro omnium seculorum & sapientum consensum. Refugerem equidem efferre tantum ævi nostri. Orbisque eruditi probrum, nisi vel me silente satis abundè constaret, in ea nos incidisse tempora, quibus profanè-doctorum aliqui eandem cum insipientibus illis à Vate regio notatis inflâre tibiam summo opere contenderunt. *Ps. XIV. v. 1.*
Quantumvis enim pluribus persvasum sit, eorum qui DEUM hucusque negarunt, vel pestilentissimæ Atheorum sectæ nomen dedêrunt,

runt *ex VIRIS eruditis* vel nullos esse, vel paucissimos, hominum portenta potius quam homines, nullaque intelligendi dijudicandique facultate præditos; attamen eo (eheu!) nos vivere ævo, quo plus quã Cyclopica & barbarica cogitata animos eruditorum quorundã subeant, variæ Theologorum aliorumq; piorum ac cordatorum virorum clamant querelæ, *nimirum quod* (dicente nonnemine,) *complures etiam ex eruditorum sint cœtu, qui animo negent divinitatem, non tamen ita passim sint noti, siquidem legum metu premant hoc suum mysterium, nec evulgare id audeant nisi apud familiares.* Et cum piè-literatorum alius pronunciare non dubitaverit, hodiè nullam sectam, nullam religionem esse, locorum amplitudine vel Regionum & provinciarum diversitate secta ἀθεοτητ☉ numerosiorem; imò Mario Mersenno tradente, vix quisquam apud Gallos sit, qui non fateatur, nefandum illum errorem urbes plerasque ita inficere, ut jam atheismo familiaria plurimorum colloquia scateant, & seriæ multorum maleferiatorum cogitationes in RATIONIBUS INVESTIGANDIS impendantur, quibus DEUM ex mente hominum & è medio tollant, ex consequenti atheismum plenis velis introducant; vix ullus dubio locus est, quin passim eruditorum etiam hominum plurimi eà labe infecti, atræque istius loliginis succo tincti pollutique inveniantur. Si Athei appel-

Mar. Mersennus Comm. in cap. 1. Gen. f. 233.

appellatio accipiatur pro eo, qui nullam religionem externè in alicujus Ecclesiæ communione profitetur, non exiguus sanè ejusmodi atheorū in Orbe erudito numerus invenictur; si quis verò eos hoc notet stigmate, qui in negotio religionis velificantur, talibus quoque Societas literaria destituetur minimè. Pudenda etiam vitæ morumque inter literatos corruptio (quam toto hoc incusavimus opere,) luculentum mali istius magis magisque invalescentis facit indicium. *Latius certè pestis hæc serpsit* (ita ad me olim scripsit insignis Theolog⁹ D.P.I.S. alibi etiam eo nomine laudatus) *quam quisquam cogitare posset, & vereor ne brevi tempore aliquam in Germania nostra quod hoc scelus attinet videamus Italiam vel Galliam, quam multi enim ex illis peregrinis terris* (forsitan ex habito familiari cum eruditis variis colloquio) *nihil præter hoc unum adferunt, de quo sibi intimè gratulantur, felices si omninò nihil reportassent futuri. Intercessit mihi non cum uno multa familiaritas & consvetudo, & horret sæpè animus repetere quæ ab illis nefanda audita; usq; adeò ut mirarentur, aliquos EMUNCTIORIS nasi esse, qui non arcano in pectore idem ipsis cum statuant, sed sibi certò per-*

Conf. Epist. de Eradic. Atheis. p. 5.

persvadeant quæ religionis, inprimis Christiana sunt. Unus aliquando eò audaciæ procedebat, ut de Augustino aliisque qui inter Patres paulò doctiores & prudentiores fuissent, imò de plerisque in V. T. apud Judæos Heroibus, quorum etiam sacra scripta nunc veneramur, dubitare nollet in eodem fuisse censu, quæque voce & calamo pro religione egerint, ex necessitate personæ egisse. Nonne stant comæ cum hæc audimus, vel dicimus relata? Quis itaque inficias ire auderet, maximum in erudito etiam Orbe atheorum esse numerum, nosque in ea incidisse tempora, in quibus infatuati quidam sapientes omnem pro ludibrio habent religionem, ac neminem pro Viro verè docto, qui atheista non sit, habendum esse existimant. *Ades mens*, (ita haud abs re cum Viro quodam egregio quilibet piè-doctorum dicat,) *stile manus, exsurgite & incalescite ad illum asserendum, qui vos fecit, direxit, movit! Nam mihi quidem, quæ, non dicam amicitia sed usus vel notitia cum illo sit, qui à communi societate & sensu hominum se abjunxit.* Si Tertullianus inter Ponti Euxini barbaros sedesque eorum incertas, nihil tam barbarum ac triste reperit, quam quod ibi Marcion natus esset, qui duos Deos adserebat tanquam duas naufragii sui symplegadas; quid obsecro de illis dicemus eruditi Orbis carcinomatibus, qui non Deorum

rum pluralitatem non binarium invehunt, ſed omnem abnegant divinitatem, omnem divini Numinis cultum & reverentiam abjiciunt, inque diſſeminandis iſtis zizaniis unicè occupantur.

III. Non equidem inficias ire conabor, plurimos ex Eruditorum Virorum cœtu injuſtè & immeritò iſthoc extremæ impietatis ſive atheiſmi ſtigmate fuiſſe notatos, atque nonniſi malevolorum nequitia infami Theomachorum albo inſertos. Nolim tale quid de Eraſmo Roterodamo ſuſpicari, aut Lucianiſmi eum cum quibusdam accuſare temerariis. Aliud ſanè in illo fuit religionis, lectionis ſacræ & rerum divinarum ſtudium, & quamvis judicio nonnullorum fuerit quandoque in negotio religionis nimis politicus, inque doctrinâ de Trinitate ſcepticus, inde tamen nemo evincet, illum atheis ipſis eſſe accenſendum, aut infami Luciani cujusdam recentioris nomine traducendum, quo etiam probro anonymus quidam Cenſor Philippū Melanchtonem, ipſumq; Jac. A. Thuanum præter omnem veri ſpeciem infamavit. Ac licet aliqui eruditorum atheiſmi propterea fuerint participes, quod cauſam pietatis perperam agendo atheiſmum imprudentes promoverint, ideò tamen atrociſſimi illius criminis peragere reos, nimis inhumanum, nimis rigidum, imò extremæ temeritatis opus haud abs re videretur. Non exiguus

Conf. Epiſt. de rad. ath. p. 14.

Author anonym. animad. verſ in Hiſtor. Thuan. c. II. p. 4.

guùs forsitan inter doctos est numerus *tentatorum*, qui substitutis immotæ veritatis fulcris erigendi potius, quam veluti putida ac emortua membra statim resecandi. Multa multa sunt, quæ in excellentis doctrinæ hominibus sanos de religione sensus corrumpere solent, cum vero valdè simile sit, eos qui frequenter gentilium libros volvunt, colorem quempiam trahere profanitatis, à quo nescio annon ipse sibi aliquando metuerit Hieronymus, dum narrat se pro tribunali divino in somnis vapulasse, quod Ciceronianus magis quam Christianus esset. Et cum Doctorum Ecclesiasticorum tam veterum quam recentiorum scripta comparanti mirabilis occurrat dogmatum dissensio, & variæ hinc suboriantur dubitationes, fieri facilè potest, ut literatus solida veritatis cognitione destitutus, suisque actus cupiditatibus in ea incidat, quæ fidem ejus labefactare, & periculosum quendam γογγυσμὸν καὶ διαλογισμὸν *murmurationem & disceptationem* concitare queant, neque propterea tamen atheismi accusarem tales omnigenæ eruditionis supellectile instructissimos Viros. Is in scripturis ἐμπαίκτης nuncupatur, h. e. irrisor seu atheus, qui omnem revelatam veritatem, redargutionem pariter ac demonstrationem eludere flocciq́ue facere non dubitat, & putidos quosque fucos infrunitæ suæ substernit libidini, absurdis insuper suis philosophematis ita sæpè indul-

indulget, ut tantum non omnia ſcepticis Lucianiſtisque concedendo in profundiſſimum atheiſmi barathrum ipſe tandem prolabatur. Optandum equidem foret, ut in cenſum hunc nemo ex ordine literatorum eſſet referendus, utque pernicioſa iſta exitioſaque labe caruiſſent cuncta doctrinæ abſtruſioris ſacraria! Fuêre equidem multi ſtupendæ eruditionis Viri ipſis profeſſionis fideique ſuæ ſociis non præter rem atheiſmi nomine ſuſpecti, quod conquiſitas doctrinæ multivariæ opes ad ſtabiliendam deſperatam τῶν ἀθέων cauſam duxerint adhibendas. Quemadmodum de Cæſare Cremonino non ignobili Philoſopho Patavino diſertè Jo. Imperialis in Muſeo ſuo hiſtorico enunciavit, *cum deteriores & reprobatiores de rebus phyſicis ſenſus acrius defendiſſe, quam orthodoxæ fidei alumno liceret, divinos nimirum hominum ſpiritus cum brutis communes feciſſe, corruptionique obnoxios reddidiſſe veſano rationis auſu.* Nec Cremoninum ſolum, verum etiam Jacobum Zabarellam impenſius impugnaſſe animæ immortalitatem, ac ſimul haud obſcura latentis atheiſmi documenta dediſſe, idem Imperialis eſt conteſtatus. Quæ de Angelo Politiano, Hermolao Barbaro, Hieronymo Cardano, aliisque literatoribus atque poëtis vulgò perhibentur, talia equidem ſunt, quæ Lucianiſmi eos vel Epicureiſmi

Jo. Imper. Muſ. Hiſt. p. 174.

Idem l. cit. p. 117.

suspectos reddere queant, convincere verò minimè. De Angelo Politiano quidem Jo. Pier. Valerianus scribit, exitum ei obtigisse professione illa execrabili longè dignissimum, *cum sub vitæ finem in tantam inciderit ægritudinem, ut in multis & variis molestiis cogitationibusq; consolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore mœstitiaque confectus expirarit, quodque illi longè fuit infelicius, quidam mortis etiam voluntariæ causam universo terrarum Orbi magna cum ejus infamia propalarunt.* Tantum verò abest ut casu hoc Politiani cautiores melioresque facti sint literatorum alii, ut potius (dicente Theophilo Raynaudo) *ita naturæ repugnarint, ut passi sint sibi ex animo exsculpi etiam quam illa mentibus nostris impressit Dei cognitionem, quod scelus ætate sua duo flammis expiarint in duabus præcipuis Galliæ urbibus*; nimirum Godofredus à Valle, libri nefandi *de arte nihil credendi* author, Parisiis combustus, & Julius Cæsar Vaninus, scelestus ille atheismi Apostolus, Tolosæ anno ævi currentis decimo nono ad flammas damnatus. Quis hujus farinæ homines literatos, omnium INFELICISSIMOS nuncupare dubitaret, quippe qui nobilissimas ingenii sui doctrinæque haud vulgaris copias ad fidei ac religionis excidium scele-

Jo. Pier. lib. II. de infel. lit. p. 137.

Theophil Rayn. in limine Theol. nat.

ſceleratiſſimè adhibere, atque SS. Numini (novorum Gigantum inſtar) bellum indicere non ſunt veriti, cumprimis infamis ille Vaninus, qui aliquamdiu virus ſuum ita texit, ut nova quâdam methodo atheorum præ ſe tulerit convictionem. Magno ſiquidem in ſpeciem molimine, libroque peculiari, quem *Amphitheatrum vocavit æternæ providentiæ divino-magicum*, providentiam divinam adverſus Philoſophos veteres, Epicureos cumprimis, Peripateticos & Stoicos defendere inſtituit, revera tamen ubique turpiter deſtituit, atque proſtituit, id agens ſollicitè, ut incautiores, [ſi videāt tantum Atlantem tam raris atque tam novis ex Philoſophiâ pariter ac Theologia machinis adhibitis, argumentorum ab atheis confictorum momenta & pondera ſuſtinere non potuiſſe] in ſcepticiſmum imò ipſum atheiſmum ſponte ſua prolabantur. Hoc ſcil. noviſſimum illud eſt τοῦ μυριοτέχνου inventum, quod Vaninum infeliciſſimum tantoperè obfaſcinavit, ut ad extremum usque vitæ ſuæ terminum ſceleſtam propugnare ſententiam, atque de DEO pro lubitu ſuo ſtatuendi libertatem poſtulare non deſierit. Cumque more ſolito imponeretur illi, ut à DEO, Rege, & juſtitia veniam poſtularet, negavit ſe id facturum; non à DEO, quandoquidem eum eſſe certum non eſſet, nec ipſe crederet, non à Rege, quod nihil in eum peccaſſet, non à juſtitia ſive judicibus, quod nec in

Confer. Scrutin. noſtr. p. 19. ſeqq.

Amphitheatrū hoc Vanini prodiit Lugduni 1615.

eos deliquisset, si diaboli essent in inferno, ut quidem hoc credi & dici soleat, se devoturum judices, ut ab illis auferantur. Alii perhibent scelestum illum dixisse, se potius deprecaturum ut vindicaret, sed quia certum non esset DEUM & diabolos esse, ideò nec veniam à DEO & judicibus petiturum, neque vindictam imploraturum. Memorabilis etiam extat de hoc Vanini supplicio relatio B. Grammondi celebris Gallorum historici in h. m. *Erat illi in extremis adspectus ferox & horridus, inquieta mens, anxium quodcunque loquebatur, & quanquam philosophicè mori se clamabat identidem, finiisse ut brutum nemo negaverit. Antequam rogo subderetur ignis, jussusque sacrilegam linguam cultro submittere, negat, neque exerit, nisi forcipum vi apprehensam carnifex ferro abscindit. Non alias vociferatio horridior, diceres mugire ictum bovem. Reliqua absumsit ignis, in aêrem sparsi cineres. Hic Vanini finis, cui quanta fuerit constantia probat belluinus in morte clamor. Vidi ego in custodia, vidi in patibulo, videram antequam subiret vincula. Flagitiosus in libertate, & voluptatum sectator avidus, in carcere Catholicus, in extremis omni philosophiæ præsidio destitutus, amens*

B. Gram. lib. 3. Histor. pag. 210.

amens moritur. Vivens arcana naturæ sectabatur, Medicumque sapiebat magis quam Theologum, quanquam pro Theologo audiri amabat. Capta cum ipso supellex omnis, inventusque inclusus vase crystallino immanis inter aqas bufo. Objicientibus veneficium, respondit ex vivo bufone postquam ad ignem liquatus fuerit, malo remedium esse etiam lethali. In carcere sacramentis frequenter utebatur, dissimulans astutè conscientiam, ubi videt ereptam spem vitæ, larvam exuit, qualisque vixerat, moritur. Et cum infamis hic atheorum literatorum aquila Vaninus antequam Tolosæ vivicumburio esset è medio sublatus, publicè fassus sit, Neapoli tredecim emissos, qui venenum hoc per omnem Europam spargerent, sibi autem designatione certa Lutetiam contigisse, ubi strenuè execrabili isto functus sit munere; mirum adeò non est, quod ab eo tempore ejusmodi nebulonum societas in immensum excreverit numerum, solaque Lutetia Mersenno teste circa annum ævi hujus tertium & vigesimum plusquam quinquaginta τῶν ἀθέων millia comprehenderit, inque unica domo sæpè duodecim reperti sint istam vomentes impietatem. *Ne quis suspicetur me injuria conqueri, vel paucos vel nullos esse qui DEUM negent, sciat velim non solum*

Mars. Mersenn. Comm.

lum in Gallia, sed etiam in aliis regnis tantam esse nefandorum atheorum multitudinem, ut jure mirari possimus, quomodo DEUS eos vivere sinat, quippe qui bonitatem infinitam in eis ad resipiscentiam expectandis effundit. Quis verò tantam atheorum turbam hominibus literatis credat fuisse destitutam, præsertim cum eodē Mersenno teste non pauci insanis interrogationibus & spiculis tartareis à Cacodæmone fabricatis fideles sæpè hunc in modum sint aggressi: UBI EST DEUS TUUS? Cur alium tibi fingis præter rationem? An Numen aliquod abest, si sit prudentia? Nunquid omnis cultus ideò fictus est, ut populus in officio contineatur? &c. Quinam alii quam eruditi, qui eodem authore tradente, *nullum credunt verè DOCTUM, qui non sit ATHEISTA?* Nec leviter hactenus literis tincti fuere illi Gallorum DEISTÆ, qui Deum absque justitia fingunt atque providentia, & omnia quæ Sacræ profanæque paginæ de illo referunt, fabulis accensenda pronunciant. Magis verò horrenda ea sunt, quæ non obscurus adeò ævi hujus scriptor Petrus Firmianus, de nefario quodam literatorum atheorum gymnasio à multis intempesta nocte Lutetiæ olim frequentato prodidit, quæ cum non usque adeò trita sint aut vulgaria, nec parum lucis huic de Literatorum Atheïsmo conciliare Commen-

in Genes. p. 671.

Conf. ejusd. Mersenni præfat. oper. ad Johanne Franc. de Gondy Arch-Episcop. Paris.

Idem Mers in præfat. ad lectorem.

Idem l. c p. 1830.

Petrus Firmianus in Genio Seculi.

mentationi videantur, ideò cum pluribus denuò ea duxi communicanda:

Ignota (*scribit ille*) vobis loquar. Etiam impiæ fortitudinis (*h. e. nequitiæ atheisticæ*) schola fuit. Urbem quæritis? Ea est, cui nomen seu à luto (*Lutet. Paris.*) seu à luce rectissimè impositum, nihil enim illa præclarius, si fortunarum, si munerum, si ædificiorum dignitatem spectes, nihil si vias ipsas lutulentius. *Et post alia:* Hæc loci dispositio erat; in amplissimo cubiculo exilis lucerna noctem ita amovebat, ut non tota abscederet, lunam esse putares, orbe imperfecto vix inter densissimas nubes pallida cornua proferentem, nec viatoribus ita consulentem maligna luce, ut securè possint iter capere. In cubiculo adesse non paucos, plus ex vestigiis se prementibus, quam ex aspectu aut vario vocum tenore tremens tyro agnovit. In loci ambitu cathedræ plures (inter quas una remotior,) tacentes exceperunt, ipse qui novus accedebat, amico monstrante in una sellarum acquievit, mox ille qui locuturus secesserat, ubi nulla exigui lumi-

nis possset timeri proditio, de DEO & providentia ita differere cœpit, ut non sine pietatis sensu audiretur ab eo, quem cæteri mox suum fore præmaturo gaudio existimabant. Media pars horæ in iis, quæ de DEO, de animarum immortalitate, de judicio futuro credimus, ferè consumta est, nec argumentis, quibus religio firmaretur deerat illa quæ affectus movet orationis vehementia, ut nihil eorum quæ pietatem quoquo modo mentibus humanis infundant, sincerus homo, causam ipsius agens de industria omisisse videretur. Posthæc admirationi datus est locus, dictumque submurmurantibus suffragiis: Quicquid veteres Patres, quicquid omnis Theologorum chorus in hoc argumentum solidioris doctrinæ adducerent, illo sermone comprehendi. Reddito silentio, vox eadem audita est, majora se verioraque habere professa, quæ de religione diceret, à commiseratione impius sermo incepit, pessimum servitutis genus illud esse, quo animus humanus cogeretur incredibilia credere, & quæ sentienda essent de DEO ita accipere à majoribus,

ribus, ut nefas eſſet ſimpliciſſimæ ætatis pietatem vel leviter nimiæ credulitatis inſimulare. Ita quemlibet hominem naſcri, ut jus ad rationem habeat, nec fidei leges juſtè nobis imponi ab eis, qui ideò ſolum ſapientiores exiſtimantur, quia priores nati ſunt. Plura dixit in gratiam libertatis; Inde ad argumenta illa ventum eſt, quibus oppugnatam religionem adverſus impios tuemur, quæ ut diſſolveret callidus homo, primum ratiunculis uſus, quarum tota vis in gratia verborum & eloquentiæ imagine, ſenſim venit ad illas argutias quibus olim Chriſtiana religio apud dicaces infideles ſcurriliter traducebatur. Nihil nobis reverendum, nihil ſanctum, quod non luderet urbanus Evangelii obtrectator, impietatem ideò ſalibus condiens, ut venenum cujus horror eſſe poſſet ſi ſolum, voluptatis ſocietate ad guſtum accedens ſumeretur fidentius. Sic exhilaratis animis, ita poſtea diſſeruit de Chriſto, ut ipſe Julianus Apoſtata deſertionis ſuæ crimen diluens, & Lucianus in DEUM facetiis ac ox impietate vincerentur. Interea per vices audito-

ditorum risu incitabatur scenica Viri eloquentia, laudem ex sacrilegio captans, & quam placeret cachinnatione indicans semper in progressu impudentior. Finito sermone, qui propiores novitio homini fuerant, blandè petierunt, quid sibi de doctrina ista videretur? Sed anxiè, nec ad expectationem satis respondebat, integræ adhuc conscientiæ minis prohibitus ne tantæ impietati suffragaretur. Laudavit tamen Viri in dicendo copiam, seq; dixit amico multum debere, qui viam sibi præiisset ad honestissimorum (*scilicet*) Virorum congressum & stupendæ eruditionis arcana. Non placuit perplexa laudatio verbis ea arte dispensatis, ut ne scires eamne doctrinam monstrum diceret an miraculum? Frigidius ergò noctivagi abierunt quam venerant, nec Magistri facta est epiphania, qui non nisi credentibus suum vultum exhibere solitus erat, ut & apud illum visio esset fidei merces. Hæc mihi ab eo relata sunt, qui nocturnæ concioni interfuit, ita feliciter mixtus nequissimis Viris, ut deinceps religiosior esset, impietatis enim atrocitate commotus

tus & ex periculo prudentissimus effe-
ctus, ne nomen quidem Virorum fortium sine stomacho audiebat. Nuper Vir religiosus nomine Nicon, unum ex istis obvium habuit in itinere, qui ex veste Deo sacrum agnoscens, admotis equo calcaribus, ut velociori cursu ad eum pergeret, mox ut potuit audiri; Et heus Tu religiose inquit: mene nosti? Cum ille negasset; Ego retulit homo Arrebatius vocor, eá vi mentis famosus, quam vos impietatem appellatis, & vos miseri, qui futuram vitam expectantes, præsentem damnatis, & à DEO, qui (*proh scelus!*) NUSQUAM EST, mercedem laborum præstolamini. Nonne stant comæ, cum hæc Petro Firmiano perhibente audimus, vel dicimus relata? Toti profecto exhorrescimus, cum infrunitam adeò infelicissimorum illorum literatorum, vel tenebrionum potius Gallicanorum audaciam imò insaniam nobis revocamus ad animum, præsertim quod detestandis assertionibus quasdam illi subjicere rationes, aut fucos potius fumosque addere non dubitaverint.

IV. Neque verò Galliam solum, urbemque Parisiorum tot nefariis scatere tenebrionibus, sed ubivis locorum innumera seculi hujus man-

mancipia (literarum etiam artiumque studiis imbuta) reperiri, dubitare nos neutiquam sinunt frequentissimæ Theologorum & Concionatorum diversarum partium Nationumque memorabiles querelæ. ITALORUM cumprimis eruditorum ingenia satis libertina esse, *suis tantum placitis fidem habentia, animamque humanam tantum pro salis grano venditantia, quod corpus à corruptione tutum servet, atque in hoc unicè incumbentia ne homines videri queant*, quidam non infimi subsellii scriptor est contestatus. Nec facilè quispiam ibit inficias, renascentibus in Italia bonis literis, antiqua quoque Lucianica, Epicurea, Horatiana &c. recocta, exulta, adauctaque fuisse, quemadmodum resuscitata philosophia græcâ nec non Medicinâ & Mathesi, nonnulli earum disciplinarum professores unà cum illis atheismos suos priscæ authoritatis prætextu propinarunt, ut proin eâ ipsâ de causâ in Italia olim tot tractatibus pro vindicandâ animæ immortalitate fuerit decertandum, imò peculiare in Concilio Lateranensi Leone X. præside faciendum decretum, *quo reprobantur omnes, animam intellectivam mortalem esse asserentes, aut unicam in cunctis hominibus, & hac in dubiũ vocantes &c.* ex quo clarissimè colligitur, pudendum illum, ipsique atheismo sociatum de mortalitate animæ errorem nullibi vulgati-

Petr. Matth. lib. VII. narrat. 2. § 8. in Hist. Henr. IV.

Concil. Later. Sess. IIX. die 19. Septem. 1513. hab.

orem

orem quam inter Literatos ac Professores Italos à longo annorum decurso tempore fuisse. Si somniis, non quidem stultorum sed sapientum, quæ laudatus modo Firmianus multo cum sale finxit fides est adhibenda, ita se à Flavio quodam de pietate fugitivâ agens informari passus est: *In his habes Italica pietatis fidelissimam itonem. Multa insignis est, conspici vult, ita sine arte nihil agens, nisi sua gentis genium omninò exuerit, ut etiam dum videtur simplicior, apud sagaces suspicione* (fraudis scil. hypocriseos imò atheismi ipsius) *non careat, &c.* Cæterum inter Italorum doctiorum atheistas præter infamem illum Vaninum eminuêre illi Duumviri infelicissimi, Nicolaus Machiavellus, qui omnem religionem ad statum civilem, continendosque intra officii fines subditos accomodari voluit; & Petrus Aretinus, libri de tribus impostoribus nequissimi sive author, sivé fautor singularis, ad cujus tumulum Venetiis in Ecclesia S. Lucæ hoc epigramma (Laurentio Crasso teste) fuit compositum:

Conf. Scrutin. atheismi pag. 18. & Cl. Reiseri epist. de orig. & progressu atheismi p. 244. Cujus etiam epitaphii

Condit Aretini cineres lapis iste sepultos
Mortales atro qui sale perfricuit.
Intactus DEus est illi; Causamq; rogatus,
Hanc dedit: Ille, inquit, NON MIHI
NOTUS ERAT.

Quid quod negato DEO ipse sibi homo pessimus

meminit Claud. Clemens in extruct. Musei l.1. sect. 8. c. 4. p. 269. Jac. Gaddius Tom. I. de scriptor. p. 13. Thomas Lansi. Orat. contra Ital. p. 782. 783.

mus quandam arrogaverit divinitatem, atque cusis monetis DIVUS ARETINUS voluerit nuncupari. *Cur verò sibi* [ita in libro de Scriptoribus non-Ecclesiasticis Jacobus Gaddius] *arrogaverit aliorum consensu divinitatem, nescio, nisi forte DEI munus exercuisse dicendus sit, cum summa capita velut celsissimos montes fulminaverit, linguâ corrigens & mulctans, quæ ab aliis castigari nequeunt.* Utrum Petrus quoque Bembus doctis Italorum atheis sit accensendus, *eò quod omnes Pauli epistolas* (teste Thoma Lansio) *palam condemnaverit, easdemque deflexo in contumeliam vocabulo Epistolarias ausus sit appellare, cum nimirum amico author esset, ne illas attingeret, vel si cœpisset legere, de manibus abjiceret, si elegantiam scribendi & eloquentiam adamaret,* judicent alii, dispiciantque accuratius, qualem tum Philippus Faber Faventinus, tum ipse Campanella homines aliàs doctissimi in convincendis con futandisq; atheis habuerint intentionē. Non equidem desidero curiosam in celebrium hujusmodi Virorum ulcere habere manum, neque mentis ingenuæ indicium existimo de quibusvis eorum gestis ipsaq; intentione animi ferre calculū. Et quamvis plures diversarum Nationum nominari possent eruditi, passim pudendo atheismi notati

Conf. laud. Dn. Reiser. l. 6. de orig. & progr.

tati stigmate eos tamen silentii peplo potius duximus involvendos, ne atheistarum numerum temerè adauxisse videamur. Durius licet nonnulli de Johanne Bodino, Guilielmo Postello, Roberto Fluddio, Taurello aliisque doctioribus judicarint, nobis tamen integrum haud est illos ob suspiciones quasdam leviores nequissimorum mortalium inserere albo. Extrema dies Orbis universi conspectui sistet cunctos empæctas literatos, Judexque venturus risus eorum Sardonios æterno fletu stridoreque dentium infernali remunerabitur. Tanto periculosius etiam est de occultis cordium eruditorum recessibus ferre judicium, quanto diligentius animi sui sensa literati quidam tenebriones tegere, suumque dissimulare virus laborant, non quidem ex ullo DEI timore aut reverentia, sed quod reformident retrò omnium seculorum & sapientum consensum, ne desipere soli videantur, hinc cum Barlæus Vanini infelicissimi mentionem in epistola quâdam fecisset, summæ eum imprudentiæ accusavit, quod TALIS CUM FUERIT, SIBI SOLI NON FUISSET. Tantum verò abest ut doctrinæ quam profitentur athei literati arcana semper dissimulare, aut in imâ tantum mente detestanda sua axiomata submurmurare possint, ut potius variis ea signis prodant atque criteriis, mox quâvis arreptâ occasione negantes aut in dubium vocantes supernaturalia, mira-

ath. pag. 141. sqq. & Gisb. Voetii Tom. 1. Dispp. sel. de atheis. p. 141. seqq.

Casp. Barlæus Epist. CLXII.

racula, prophetias, operationesque spirituum, cunctaque ad naturalem vim, sympathias, & antipathias, ad fictas crasses, & peculiaria hominum temperamenta referentes; mox Sacræ Scripturæ authoritatem tam in historicis quam dogmaticis suspectam contemptamque reddentes; mox metum omnem justamque omnibus sollicitudinem excutientes; mox atheismos aliorum cupidè enarrantes, aut frigidam eorum rejectionem, aut elumbem refutationẽ subjungentes, aut tanquam ἄλυτα quædam admirandasque subtilitates relinquentes in medio, publicas etiam atheorum impugnationes ægrè ferentes, à cunctis animarum pastoribus summopere abhorrentes, illosque veluti styges aut aves infelices declinantes, religionem aut pietatem (quam titulotenus præseferre videntur) nunquam, aut rarò ac parcè admodum exercentes; denique pro lubitu suo Religionem permutantes, atque de Secta in sectam, non veritatis sed ventris & gulæ amore transeuntes, summamque sibi pariter ac aliis in hâc vel illa religione amplectendá permittentes libertatem, siquidem [juxta maleferiatĩ cujusdam informatoris monitum,] *uni religioni neutiquam ita sese mancipare velint, ut ei adhæreant pertinaciter, sed potius pro temporis & loci necessitate sive hanc, sive illam (citra levitatis tamen notam) ducant amplecten-*

Vid. anonymi Hom. Politic. c. 2.

plectendam. Hæc nimirum est decantata illa in Orbe literato pseudo-PRUDENTUM RELIGIO, diversas religiones, earumque partes miscens, jam ex hâc, jam ex alia, quod congruum videtur arripiens, inque rem suam vertens, hæc Neo-Pyrrhonica illa est σκέψις, pudendo credendi libertinismo sociata; hæc Philosophica illa fides, cujus Sectatores instar Philosophorum in nullius verba volũt jurare Magistri. Sicuti gentes quædam religiones habent annuas, eas mutantes cum Calendario, ita & illi pseudo-prudentes vertumnos agere volunt, citra tamen levitatis [si Diis placet] notam evidentiorem. Dictu equidem incredibile est, quam multa à divinis abhorrentia scripturis omniq́ue pietati repugnantia ex tam infausto principio, quo humana divinis, sacrisq́ue profana miscentur, & quæ sunt inferiora anteponuntur dignioribus, consequantur. Nonne ejus farinæ homines literati tandem planè fateantur necesse est, se nulli religioni studere, nulli favere ex animo, nec sese Religioni, sed religionem suis accomodare commodis, exemplo nimirum Senecæ asserentis, *Romanorum religionem magis ad MOREM quam ad REM pertinere, eamq́; à sapiente servari, tanquam legibus jussam, non tanquam DEO gratam.* Siq́ue omninò hanc animi sui de religione nefariam sententiam pseudo-prudentes illi literati propalare recusent, planum tamen sa-

Conf. D. D. Kromayeri diss. de Relig. prud. sub fin. Locor. Anti-Syncretist. p. 313.

tisq; exploratum est, ejusmodi omnium Religionum homines in pectorum suorum scriniis detestandũ fovere atheismi monstrum. Quid quod id ipsum è quorundã eruditorũ sermonibus & actionibus, veluti patentibus fenestris sæpè ita sese præbeat conspiciendum, ut datâ quasi opera illi omnem religionem conculcare, & SS. Numinis splendorem detestandis süis sarcasmis extingvere laborent, cum Gottofredo à Valle execrandam illam NIHIL CREDENDI ARTEM publicè profitentes, atq; [præclarè dicente Ambrosio] *pravâ quâdam impunitatis cupidine illecti vim sua ad DEI imaginem conditæ naturæ inferentes.* Et cum Justino Martyre benè observante, nihil magis contendant ii qui dæmones vocantur, quam ut homines à DEO conditore suo, & primogenito ejus Christo abducant, eos quidem qui se humo tollere nequeunt, terrenis & manufactis affigendo, eos vero qui ad RERUM DIVINARUM contemplationem se erigunt, [nisi modestè sentiant, & puram liberamq; à perturbationibus vitã degant] ELIDENTES, IN IMPIETATEM præcipitando; hinc liquido constat, qua fraude diabolica eruditorum plurimi fascinentur, inque horrendũ atheismi barathrum detrudantur. *Eos* [repeto notatu dignissima Justini verba] *qui ad rerum divinarum contemplationem se erigunt, (nisi modestè sentiant, & puram liberamq; à pertur-*

Ambrosius lib. 1. de offic. c. 14.

Justin. Martyr in Apolog. ad Anton. Pium. conf. epistol. nostr. de eradicãdo atheismo p. 21.

turbationibus vitam degant) elidentes in impietatem atheiſmum *præcipitant.* Quamprimum ſcil. docti homines faſtu ſuperbiaq; turgidi, excelſiora ſuo ingenio ac faſtigio audere,& proprio inhærere judicio incipiant, omnia præclarè dicta, ſcripta, factaque aliorum alto ſupercilio deſpiciant, ſua duntaxat æſtiment, ament, atque in pretio habeant; tunc dæmonem omnī curare ſtudio, ut DEI ipſius reverentiam in iis extingvat, blasphemiarum ac tentationum horribilium pondere eos opprimat, ſuosque ita expediat dolos, ut in impietatem ſeu atheiſmum illi [literatorum omnium infeliciſſimi] immaniter proturbentur.

V. Cæterum haud ingratam dæmoni ad ſubvertenda doctiorum hominum ingenia operam præſtant duo perquam vulgata eruditorum hominum vitia: SINGULARITATIS nimirum carnalis affectatio, quâ plurimi quâvis viâ modo non tritâ & vulgari incedere volunt, ardua quæque, imò planè impoſſibilia ſecum agitantes, nil niſi quinteſſentias parturientes, imò vix abſtinentes, quin majus aliquid homine perpetrare, & aliis vel intacta, vel infeliciter tentata expedire in animum inducant. Quantam ſæpè pietati perniciem pudenda illa SINGULARITAS creaverit, exemplo ſuo miſerabili eruditorum hominum plurimi docuerunt, qui Curiositate etiam, ſive immodica ſciendi agendiq; ſiti ita frequenter laborarunt, ut

Conf. epiſt. ad D. Meibomium de radice atheiſmi p. 24.

ut vix sui capaces diduci inq; omnes terræ plagas extendi concupiverint. Sæpius pestiferæ hujus Curiositatis (quæ altera magnorum ingeniorum labes est) adminiculo dæmon doctissimis etiam hominibus veritatis eripuit decus, fidei religionisque maculavit integritatem, pudoris abstulit verecundiam, & quicquid pii ingenuique ex divino favore superfuit, exibilavit, suffocavit, ac nefandâ adeò incredulitate commutavit, ut nulli amplius authoritati, nulli antiquitati, nulli apparentiæ, imò vix apodixi ulli fidem curiosi isti literatores adhibere voluerint. Hinc alius non dubitavit Pindari lyram Cytharæ Davidis præferre, alius eum qui Paulinas epistolas interpretaretur, nugis studere asseruit Viro gravi indignis, alius manifesto perjurio Romulum coluit pro Christo, natalem urbis pro natali Salvatoris; alius Christianum se esse, etiamsi nulli se Christianorum cœtui applicaret, posse credidit, OMNES *scil.* [ut Firmianus scribit] *Religiones ex opinione esse indubiè putans, & principum industria in subsidium legum inductas*, imò ut idem post alia addidit, Religionem autumans utilissimam generi humano fabulam, quæ continendæ plebi inventa, hoc solum à sapiente obtineat, ut FACIETENUS patiatur se CHRISTIANUM haberi, de cætero liber, nec sese religioni, sed sibi potius accomodans religionem, ut eam sequi velle, vel non repudiare

Conf. ult. Commentationem de noxia literator. curiositate.

Petrus Firm. in Seculi Gen. p. 165. Idem p. 167.

vide-

videretur, cujus sectatores usui sibi futuros intelligat. Porrò haud ita levis ejusmodi CURIOSORUM Literatorum numerus reperitur, qui cœleste Verbum quidem recipiunt, veritatemque suspiciunt revelatam, non verò ad DEI gloriam suamque salutem sempiternam, sed ad scientiæ duntaxat suæ expletionem, vanamque eruditionis ostentationem, ideò Sacris invigilare studiis gestientes, ne aliis in eo quoque doctrinæ genere inferiores videantur. Sæpissimè equidem accidit, ut homo multa naturâ scire desiderans, omniumque disciplinarum & artium cognitionem affectans, ipsi Sacrosancto Theosophiæ studio non eo fine operam navet, ut se pariter ac alios magis magisque perficiat, verum gloriam potius majorem, honores & authoritatem consequatur, quâ de profanè doctorum quorundam stultitiâ non malè Bernardus; *Sunt qui scire volunt* (nimirum sacra etiam & Theologica) *eo fine tantum ut sciant, & turpis curiositas est, sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, & turpis quæstus est; & sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est, sed sunt quoque qui scire volunt ut ÆDIFICENT, & charitas est, & sunt qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est.* Quo ipso tamen summæ prudentiæ charactere neutiquam illi gaudent literati, qui Sacra pro-

Bern. Serm. XVI. in Cant.

sanè satis tractantes, non nisi nudam historicam cognitionem eorum acquirunt quæ verbo cœlesti seu revelato continentur. Constat equidem abunde vanos ejusmodi turgidosque literatos haud aliter Sacras evolvere literas, ac historias æthiopicas Heliodori, Æneida Virgilii, Declamationes Sophistarum, quinimò potiorem ut plurimum profanis authoribus assignare locum, atque cum longè majori animi voluptate Scholasticis, Philologicis, Poëticis, Historicis, Philosophicisque [utpote ipsorum judicio magis admirandis] quam Sacris illis & divinis operam navare studiis, cum tamen illa ambitionis ut plurimùm vanæque ostentationis pabula existant. Et cum sæpè [eheu!] salvificæ fidei dono profani ejusmodi literiones sint destituti, nullâ certitudine, evidentiâ, delectationeque spirituali gaudeant, steriles adhæc bonorum operum, fertiles invidiæ, superbiæ, contentionis &c. breviter, sint carnales terrenique, interdum etiam in religione instabiles, desultorii, omniformes, instar cothurni, protei, polypi, lunæ aut chamæleontis; nemo facilè vitio vertere poterit Viris zelo pio flagrantioribus, si ejus farinæ literatos IMPIORUM nomine designent, etsi à DIRECTI (ut vocant) ATHEISMI sive publica sive privata professione paulò sint alieniores. Utut veram fidem ac religionem non profiteantur solum, verum etiam doceant alios, masculeque

leque adversus contradicentes defendant, zelo in speciem tumultuque maximo; abominabilis tamen in conspectu DEI ea est professio atque oppositio, si ad ambitionem duntaxat tendat victoriamque, proximi confusionem & supplantationem, non ad ædificationem, gloriæ cœlestis incrementum, fratrumque emolumentum dirigatur. Facilè nimirum tota illa veritatis defendendæ docendæq; scena mutabitur, si lucri bonus odor absit, aut grave quoddam inde emergat periculum, si ex voto & palato illis omnia neutiquam eveniant, tum Juda Julianoque præeuntibus non pauci è Christi discipulis, verbique divini lectoribus, in veritatis proditores, irrisoresque IMPIENTISSIMOS degenerabunt.

VI. Præter geminam autem illam SINGULARITATIS & perniciosæ CURIOSITATIS catapultam, triplicem aliam Dæmon ad subvertenda inque impietatis & atheismi voraginem detrudenda nobiliora doctorum hominum ingenia machinam adhibet. Principio quidem nefariorum operâ PRÆCEPTORUM sive Magistrorum abusus, qui (ut alibi etiam sumus conquesti) sive gratis ad ingenioli ostentationem, ut facundi & cæteris doctiores appareant, sive didactri spe, sive ad turbandas pacatiores respublicas, ordinemque omnem inter homines tollendum, passim quoscunque possunt disciplinæ suæ nefandæ h. e. atheis- *Conf. Scrut. ath. pag. 53. seqq.*

theiſmi faciunt alumnos, veram de DEO fidem evertere, & ex familiarium, quibuscum verſantur animis tollere ſingulari ſtudio laborantes. Et cum fanatici, imò nefarii hujusmodi doctores aliunde confluentes, non benignè ſolùm excipiantur, verum in deliciis etiam ſummoperè habeantur, multi ſive morum exterarum urbanitate, ſive ingenioli alicujus oſtentatione, aut qualiquali eloquentia loquentiave, ſalibus etiam & jocis tantoperè oblectentur, ut hæc hujusque farinæ alia veræ pietati, ſapientiæque ſolidiori longiſſimè antepo-nant, mirum ſanè non eſt, quod fertilis adeò atheorum, epicureorum, neutralium atque libertinorum etiam in hominum eruditorum cœtu proventus reperiatur. A talibus verò nefandis impietatis atheiſticæ magiſtris & præceptoribus [quibus præter Vaninum cumprimis tenebriones illi Pariſini, ſtylo Firmiani antea infamati ſunt adnumerandi] ut mens Deo ſtudiisq; melioribus ſacrata ſibi tantò diligentius caveat, probè advertat, quam callidè illi ac fraudulenter ut plurimum in diſſeminando pernicioſo errore ſuo ſoleant verſari, ſiquidem acerrimos initio ſeſe τῶν ἀθέων ſimulent hoſtes mox velut indignabundi eorum objectiones referant, urgeant, deniquе tam malè & diminutè iisdem ſatisfaciant, ut ex frigidis adeò ſolutionibus imperitiores neſcio quas ſiniſtras de veritate religionis concipiant opiniones,
quin

quin imò concludant tandem nullam esse rationem quæ divinum stabiliat cultum plurimas verò quæ contrarium prorsus evincere videantur. Quem etiam in censum haud abs re infidi illi an invidi referendi sunt christiani populi pseudo-doctores, qui juxta memorabilem Marii Mersenni querelam ægerrimè ferunt atheorum detectionem & increpationem, nescio cujus prudentiæ larva suam obtegentes impietatem: *DEUS bone, quis temperet à lacrymis, dum non solum impios nobis insultantes nosque interrogantes audit, quis est DEUS tuus? Sed etiam illos qui Catholici esse videntur ÆGRE FERRE intelligit, quod athei atque Deistæ refellantur, quod illorum arma proferantur ut æternum obtundantur atque comminuantur.* Et post quædam alia: *Facessant istiusmodi homines, neque doleant si impios exarmemus, nisi cum illis partem habere, & hocce nostrum de se judicium audire velint; nolle ut illæ tenebræ detegantur, quibus IPSI DETINENTUR, nolle ut atheorum & Deistarum rationes & libri discutiantur, ne ipsi scrupulis & synteresi exagitentur, & DEUM esse fateri cogantur.* Dubium equidem nullum est, malèferiatos hujusmodi doctores [quocunque nomine veniant] non

Mar. Mersennus Comm. in Genes. p. 1830.

non minus ſtrenuam dæmoni in propagando alendoque atheiſmo operam navare, quam ipſos illos impietatis deteſtandæ ſive publicos ſive privatos PROFESSORES.

VII. Altera, quam nequiſſimus ille humani generis adverſarius ad ſubvertenda doctorum hominum ingenia adhibet machina, eſt LIBRARIA, ſcriptis omnigenâ IMPIETATE refertis onuſta, quæ inter palmarium locum tractatus ille horrendus ſibi vendicat *de tribus impoſtoribus*, quo athei ſvadere conantur, Moſen & Chriſtum inſtar Mohammedis impoſtores fuiſſe, ſuisque legibus nobis impoſuiſſe, liber item ſupra notatus Gottofredi a Valle de arte nihil credendi, ſceleſta illa *Simonis cujusdam religio*, incerto authore in Polonia edita; liber neſcio cujus Valei nefarius: *Cur receptum ſit Evangelium?* execrabile inſuper MUNDI [ita dictum] CYMBALUM, quod latinè primò conſcriptum Bonaventura de Perez gallicè vertit, quatuor conſtans dialogis, quorum argumenta alibi recenſuimus. Quo etiamloco habendi, imò abjiciendi potius ſunt libri non directe quidem, ſed per cuniculos duntaxat atheiſmum introducentes, ut libri *Charontis de ſapientia*, variæ pſeudo-politicorum inſtructiones, quibus religionem nullo loco ducendam, ſed fortunâ variante tuto variandam eſſe ſtatuunt, ipſis Principibus infau-

Confer. Scrutin. ath. p. 55. ſeqq.

Scrut. p. 56.

Plura de hujus farinæ libris infra monebimus.

infausta adeò suggerentes consilia, ut religionem etiam Turcicam vel Judaicam vel paganam aut aliqua ex iisdem recipiant & amplectantur, si aliter statum suum conservare non possint &c. Utrum infernalibus hujusmodi foetibus adnumerandæ etiam sint novæ illæ minusque solidæ atheorum impugnationes, quæ dum ab una parte atheismo occurrere videntur, ab altera omnes ei aperiunt fenestras, viderint alii. Vel unicum illud impii Vanini *Amphitheatrum æternæ providentiæ divino-magicum* [cujus supra fecimus mentionem] argumento & documento sit, cane pejus & angve obtusa hujusmodi tela, minusque solidas τῶν ἀθέων impugnationes esse devitandas, saltim non minori cum cautione legendas ac evolvendas, quam ejusdem theomachi libros *de admirandis Naturæ Reginæ Deæque mortalium arcanis*. quibus author improbus omnia naturæ insolidum (excluso Numine) tribuere, sicque regiam atheismo viam sternere non dubitavit. *Naturam scil.* [ut benè Gramondus ante laudatus notavit] *pro matre optimâ & omnium nutrice adorans, eamque omnium Deam profiteri haud quaquam erubescens.* Taceo innumeros alios sive in lucem editos, sive manu scriptos malè doctorum & malè coctorum hominum commentarios, apertè vel occultè atheismum omnemque impietatem vomentes, qui passim per impiorum aut incautorum manus disperguntur,

Gramõdus lib. III. Histor. p. 210.

ut

ut mentes hominum à verâ religione quæ DEUM omnipotentem providentem omnibus, vindicem justissimum, ejusque filium hominem propter homines factum colit & adorat, planè avertant, horrendis impietatis nebulis pectora mortalium offundant, sempiternisque ea involvant tenebris. Quis denique damnatæ adeò memoriæ librorum syllabo facilè eximat cunctos libros obscœnos, impuros, variô idiomate hactenus ad propagandum practicum atheismum divulgatos, quales sunt opera

Rablæs. ed 1559. Bonavent. Peres. ed. Rhotom. 1606.

nequissimi illius Francisci Rablæsii, nec non Bonaventuræ Peresii recreationes dissertationesque, meris morologiis, vanitatibus, obscœnitatibus, pudendisque divini nominis abusibus refertæ, nec aliud quid, quam pingves Epicuri de grege porcos efformantes. Utriusque sanè Scriptoris Rablæsii & Peresii genium facetè atheum redolent dictorum librorum singulæ ferè paginæ, *quibus dum* [dicente alicubi

Th. Rayn. de bonis & mal. libris p. 22.

Raynaudo] *pleriq́; jocos captant, & remittere ingenium quærunt, atheismi virus sensim combibunt, & res sacras nauci habere, ac sacra quæq́; jocos ducere condocefiunt.* Experientia equidem sæpissimè docuit unam vel alteram hujusmodi librorum paginam extremum pietati attulisse periculum, omnemque in legentium cordibus SS. Numinis reverentiam extinxisse. Quis itaque alteram illam, sive

LIBRARIAM diaboli in subvertendis literatorum hominum mentibus machinam non toto detestetur pectore?

IIX. Superest Tertia & Ultima; cujus nomine COLLOQUIA veniunt prava ac scandalosa, sub specioso tamen veritatis titulo effusa; quibus animi improvidi nec satis muniti, non in errores modo, verum extremam etiam impietatem illiciuntur. Sive illa exercitii duntaxat causa, sive ad ingenii ostentationem, sive sub aliena instituantur persona, angvem tamen sub herbâ semper habent latentem, præsertim si sermonibus ejusmodi familiaribus, vel negentur aut in dubium vocentur supernaturalia, vel divini verbi præcones tanquam homines fanatici traducantur, atheorum verò libertinorumque dotes in cœlum usque evehantur, cupidè eorum referantur Lucianismi, historicè pariter ac oratoriè edisserantur, aut tanquam ἄλυτα quædam & admirandæ subtilitates in medio relinquantur. Noxiis hisce atque pestiferis colloquiis accensendæ, imò cum iisdem potius proscribendæ atque configendæ sunt scepticæ eruditorum quorundam de rebus divinis disputationes, quarum occasione non pauci in profundum atheismi barathrum sunt deturbati, *siquidem* (præclarè scribente Erasmo) *sæpenumero fiat, ut omnia curiosè magis quam piè investiganti, quædam rationes occurrant quæ*

Vid. Scrut. ath. pag. 61. seqq.

Erasmus de ratione vera Theol. f. 84.

quæ nonnihil convellant ac labefactent fundamentum & fidei robur. Quid quod libetica illa disputatione Romæ olim coram Leone X. habita fuit pestilentius, ubi ex duobus alter omnibus rationibus probavit esse DEUM, alter negavit? aut insana Thurvaii jactantia tetrius, *quâ totum se scire Christi Evangelium, & improbando posse illud annihilare*; quid denique auditu horribilius, quam quod non unicum tantum quendam Diagoram, sed integram aliquando Academiam, Oxoniensem scil. dæmon ita fascinaverit, ut maximis rixis disquisiverit: *An etiam DEUS esset?* quod referre dubitarem, nisi id ipsum à Monacho quodam memoriæ proditum fuisset his verbis: *Agnellus Vir humilis ac beatæ vitæ, cum & ipse studium in Oxoniensi conventu instituisset, & post tempus modicum audivisset semel inter se clamosè disputantes, utrum ista sit vera: DEUS EST, zelo accensus, ac multum turbatus exin studium revocavit.* Hinc etiam factum ut Jo. Casus Philosophus Oxoniensis in proleg. suis physicis gravissimè studiosos contra atheismos tunc grassantes præmonuerit, ita scribens inter alia: *Horrendum est dictu quidem (& tamen dicendum) multi sunt hodiè incredibiliter stulti, qui audeant, cætera quis nescit? totus horreo verba repetere, qui*

Lang. in Chronic. Citiz. f. 305.

qui inquam audeant dicere (ô tempora!) NON ESSE DEUM. *Istos si oraculis divinæ philosophiæ urgeas, fanatico quodam spiritu & furore perciti hæc ipsa negant, & certè non mirum, cum etiam DEUM ipsorum authorem negent. Si non vidissem, si non audissem hæc monstra (Haketum blasphemum illum atheum, aliosq; ab inferis furenter excitatos scorpiones & locustas intelligo) certè tam multus, vehemens, & copiosus in hâc causa non fuissem. &c.* Nec malè Gvil. Postellus [cum forsitan accepisset, Perronum habitâ coram Rege Henr. IV. pro existentia DEI oratione, obtulisse se die sequenti contrarium probaturum,] id tolerabilius esse judicavit, si ad publicam tantum rerum administrationem opinionum varietas pervaderet, dolendum autem esse, quod ipsum illa petat fundamentum. *In utramq; enim* [notanter addit] *partem disceptari de divinis rebus cœptum, de quibus ambigere nefas sit, ut par occasio cuivis quodvis definiendi facta esse cernatur, si semel quis* RATIONEM HUMANAM AUTHORITATI DIVINÆ *præferat.* Hæc sanè causa irruentis in Orbem literatum atheismi est palmaria, hinc tantus atheorum literatorum est proventus, nimirum *quod rationem humanam Divinæ authoritati præferre non dubitent*

bitent plurimi, contrariasque ſententias defendere geſtientes, eò tandem delabantur, ut religionem omnem putent pro mero habendam eſſe figmento. Non præter rem quidem Verulamius exiſtimavit primam peſtiferæ iſtius arboris radicem plures eſſe circa religionem diviſiones, *cum unica diviſio Zelum utriusq; partis adaugeat, numeroſæ verò atheiſmum introducant*; nimirum ſi profana ſeculi mancipia variarum religionum ſectarumque profeſſores alloquantur, & unumquemque eorum affirmare audiant, quod ex ejus parte ſtet veritas, pro quâ mortem ipſam ſubire ſit paratus, alios verò ſectari falſitatem, inde Protei illi concludant, melius eſſe nihil ex iis, quæ ad religionem ſpectant, quam aliquid credere, cum nondum ullo ἀναμαρτήτῳ judicio deciſum ſit (ô abominandam theſin, omnem uno ictu religionem & Eccleſiis & hominibus profanè auferentem!) à quorum parte veritas conſiſtat: At verò magis laborat diabolus atheiſmum in Orbem literatum invehere per inſignem illam nõnullorum doctorum malitiam, qui humanam rationem ubique DIVINÆ anteponunt AUTHORITATI. Hinc illæ ipſæ cogitationes nefandæ, atque exſpuendæ quorundam voces, qui pietatis aram calcibus petere non dubitant.

Verulam. Serm. fidel. XVI. opp. p. 1166.

IX. Quanto vehementius autem communis humani generis hoſtis LITERATOS VIROS iſtis nequitiæ ſuæ machinis & catapultis impu-

impugnare, atque in deteſtandam adeò proturbare impietatem laborat, ut quidã omni SS. Numinis metu ſenſuq; abjecto, vim ipſi naturæ ſuæ ad DEI imaginem conditæ inferre non vereãtur; quantoq; majori impetu peſtis illa noſtro ævo in Orbe (etiam erudito) graſſatur: tanto impenſius hominibus doctrina meliori excultis curandum eſt atque invigilandum, ne & ipſi eâ labe corripiantur, atque omnium nequiſſimæ ſectæ (atheiſticæ ſcil.) imbuantur placitis. Provida ſanè, provida ſolersque cura doctis eſt adhibenda, ſi effugere velint illam extremi ac ſempiterni exitii voraginem, atque ruptis tot tantisq; portarum infernalium vinculis, ad veram LITERATORUM hominũ aſpirare FELICITATEM. Supra notavimus, magnam inter eruditos TENTATORUM reperiri frequentiam, qui ſubſtitutis immotæ veritatis fulcris erigendi potius ſint, quam pudendo atheiſmi ſtigmate temerè infamandi. Diabolico igitur aſtu tentati literati, ſi iſtos evadere laqueos, cœleſteque fidei conſequi donum velint, apprimè obſervent conſilium quod Juſtino Martyri ante ſuam ad DEUM veramque pietatem converſionem Vir quidam ſpecie venerandus verbis ſequentibus ſuppeditavit: *Ante omnia DEUM deprecare tibi ut portas lucis aperiat. Neq; enim conſpici iſta, neq; intelligi promiſcuè ab omnibus poſſunt, ſed ab iis duntaxat, quibus ea facultas à DEO* *Juſt. in Dial. cum Tryph. Jud.*

sit concessa. Quid enim monito hoc observato mox in se senserit eo usque profanè doctus, variisque dubitationum procellis jactatus Justinus, ipse Tryphoni Judæo hunc in modum enarravit: *Confestim post Senis illius verba ignis quidam succensus est in animo meo, & amor Prophetarum, eorumq; Virorum, qui Christi sunt amici, me incessit; cumq; verba ejus Senis mecum ipse tacitus pervolverem, hanc ego solam esse tutam atq; utilem philosophiam, quæ mihi ab illo proposita esset, deprehendi.* Hujus igitur *SUPREMÆ PHILOSOPHIÆ* potius quam PHILOSOPHICÆ illius RELIGIONIS amore studioque teneantur literati, si è densissimis atheismi tenebris erui, atque sempiternæ salutis aliquando fieri velint compotes, precibus nimirum ardentissimis initio illum invocent, qui Spiritum sapientiæ & illuminationis se daturum precantibus disertè promisit, neque de DEI natura doctè solum disserere studeant, sed & ejus observare voluntatem, id omni tempore agentes, quod vellent novissimè, DEUM semper ob oculos habentes καρδιογνώστην, suaque dicta & facta omnia ad gloriam ejus, utpote palmarium ultimumque finem dirigentes, quin imò divini amoris igne magis magisque ita inardescentes, ut præter eum nihil amplius habe-

habeant, quo ſuum curis ſtudiiſque ſeverioribus defatigatum animum relaxare poſſint.

X. Atque ut tanto magis appareat, quænam Literato HOMINI ab ATHEISMO ſeu infidelitate ad veram DEI veri cognitionem tendenti via ſit ineunda, memorabile FRANCISCI JUNII (laqueis iſtis ad tempus irretiti, ſed cœleſti beneficio tandem aliquando liberati) exemplum eruditis omnibus dabimus expendendum, ut Viri illius doctiſſimi periculo edocti, ipſi quoq; ſalutari horrore percellantur, ruptisque cœleſti auxilio atheiſmi vinculis, omnigenæ valedicant impietati. Sicuti enim (ut ſupra monuimus) plurima ſunt quæ in excellentis doctrinæ hominibus ſanos de DEO ſenſus corrumpere ſolent, & turpi quodam profanitatis eos tingere colore, ita ſingularis felicitatis loco haud abs re laudatus ille JUNIUS duxit, quod ex ſpiſſis ἀθεότητος tenebris tandem emerſerit, atque priſtinæ mentis reſtitutus ſit integritati. Hiſtoriam totam ipſius Junii verbis duximus exponendam, ne quid temerè finxiſſe videamur: *Franc. Junius in deſcript. vitæ ſuæ ed. à P. Merulá, atq; opp. Junii præfixa.*

Invictus (ſcribit alicubi Franciſcus JUNIUS) ab illa adoleſcentiæ peſte, (*libidine ſcilicet ad quam nefariæ illum Lugduni invitaverant mulierculæ,*) alteri malo ſuccubui planè, atque in eo jacui, donec miſertus eſt mei optimus ille cœleſtis Pater, qui me elegit in Chriſto ab æ-

terno ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ. Illud malum eſt 'Α Θ Ε Ο' Τ Η Σ, malum graviſſimum, in cujus conſenſionem & approbationem ſenſim perductus ſum aliena audacia, & imprudentia meâ. Memini quum libros M. Tulii de legibus per illud tempus, authore & ſvaſore Bartholomæo Anulo (qui Gymnaſio Lugdunenſi tum præerat) expenderem, & notas quasdam in eos animadverſionesq́ue colligerem, venire hominem ad me, & illa Epicuri verba quæ libro primo extant, *nihil curare DEUM, nec ſui nec alieni*, multis quam diligentiſſimè confirmare. Ad quæ ego non ratione judicioq́ue certo reſpondebam, ſed aſſenſionem paulatim adhibens, ſentiebam venenum ſerpens quod imbiberam confirmari in me, & cum auctoritate hominis, tum argutiis dictorum ejus præceps eò deferrebar, ut meus animus in iſto malo hærens occalleſceret, totusq́ue fieret ἀναίσθητος. Recordatus es Domine mi ſervi tui, & pereuntem miſerè ſervaſti gratiosè miſericordia tuâ! Iſta horribili impietate conſtrata erat quotidie menſa, perſonabat domus,

mus, circumstrepebant omnia aures meas, adeò ut jam iamque ad alia omnia obsurdescerem. Nam quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus (inquit Tullius) etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus. *Orat. pro Sexto Rosc.* Ex isto autem immani perditionis barathro mirificè me eripuit DEUS, postquam amplius annum his perditissimis luxuriassem deliciis - - Evenerat mirifica DEI providentia ut pater Regia authoritate compulsus, nobiles quosdam Viros ex Burgundici Ducatus agro comprehensos Lutetiam deduceret, ex quibus prout sermones ultro citroque in expeditione illa habebantur, pater cognoverat illorum ἀθεότητα deploratissimam, quibus adolescentiam meam commiserat, quæ res sollicitum eum efficiebat, & cruciabat plurimum. Laborabat enim maximè de ratione certa quâ & me ex pestilente illo consortio honestè eximeret, & animum meum à mortifero illorum veneno, si quid fortè indulsissent illi artificio suo, liberaret. Prius ergò quam me

reduxiſſet domum dabat pater operam, ſi quâ ratione obtineri poſſet, ut tum mentem meam in pietatis ac religionis cauſa ac ſenſum cognoſceret, tum curaret leniter, ſi quid hæſiſſet mihi de iſtâ lue perniciosiſſima. Viſitabat libros, ſtudia recognoſcebat, conſortia obſervabat; aliorum, quos mihi familiares putabat fore operam adhibebat, ut de meo ſenſu per illos fieret certior, cum præſertim cerneret me nativo illo pudore detineri, ne quid præſente aut audiente ipſo liberius dicerem. Tandem eò devenit, ut me ad παῤῥησίαν aliquam provocaret ultrò. Docebat me jam eâ ætate eſſe, qua de iſto pudore inurbano decidi aliquid oporteret, ſi qui in mensâ ſermones habebantur, tempus eſſe ut interdum aliquid de meis ſtudiis & obſervationibus conferrem in medium, neque ad omnia obmuteſcerem. Si fecero, ipſi & aliis de ſtudiorum profectu conſtiturum, & me habitum meliorem in dies mihi ad juſtum illorum ſtudiorum uſum actioneſque, in quibus laus virtutis conſiſtit, paraturum. Crebris & amantiſſimis monitis adductus confir-

mavi

mavi ipſe me, ut interdum menſam paternam ſermone aliquo ſed pauciſſimo aſpergerem. Brevi aſſecutus eſt, quod volebat Pater, non enim diu continui me, quin ſpecie inanis ſcientiæ ſermonem aliquem de foetidiſſima illa ἀθεότητος fæce evomerem. Hic verò DEUS bone, quâ gratia, quâ auctoritate inconſideratum meum ſermonem repreſſit pater! non objurgans aut invehens in me, non de re diſputans, ſed piè, ſanctè, doctè, leniterq; docens τὸ ἐπέχειν in iis rebus quæ nondum ſatis mihi cognitæ aut exploratæ eſſent, & doctorum hominum judicia ante audienda quam prodendam temerè inſcientiam, ita me graviter compreſſit, ut ex eo tempore legem ἐποχῆς mihi fermè ſemper indixerim in ſermonibus judiciisq; omnibus, donec rem cognoviſſem penitus. Demoſthenem narrant, quum adoleſcens quidam inter pocula nugaretur multis & tacere nollet, dixiſſe percommodè, heus tu adoleſcens, quomodo non didiciſti ab eo tacere, à quo didiciſti loqui? utrumq; optimè hoc pacto docebat pater. Sed jam alter illi & gravior reſtabat labor, ut gra-

viſſimum illud retectum in me & compertum curaret malum. De curatione cogitantem diligentiſſimè aliud agente me, levavit modo extraordinario DEUS. Nam cum eodem anno publicæ conciones haberi cœpiſſent in Gallia, accidit ut Magnus ille Juris Conſultus Jacobus Cujacius (ad cujus lectionem audiendam de more properaveram) die quodam præpeditus certis occupationibus à lectione ordinaria abſtineret. Erat autem mihi è ſcholis redeunti domum faciendum iter ad ædes illas, in quibus erat plurimum concio, ingreſſus concionem, perfunctoriè audio, nec inde proficio hilum. Regredior domum, incertus quid agam, qvid legam, quo ſtudio occuper. In Novum Teſtamentum incido, quod pater legebat frequens, & in conclave illud ſubjecerat oculis meis legendum, (ſi fortè gratiam DEUS hoc modo faceret) prudentiſſimè mentem ſuam de me & animum ſuum diſſimulans, ex quo lethalia impietatis illius ſemina, quæ ante radices egerant in me, animadverterat. Sciebat enim Vir ſapientiſſimus, non intrudi pietatem, ſed

doceri, non cogi, ſed ſvaderi velle, ac propterea cum ſilentio & diſſimulatione incredibili procuravit omnes vias, quibus me ad verum caſtæ religionis ſenſum & pium cultum adduceret. Hîc ergo Novum illud Teſtamentum divinitus oblatum aperio: aliud agenti exhibet ſe mihi aſpectu primo auguſtiſſimum illud caput Johannis Evangeliſtæ & Apoſtoli: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, &c. lego partem capitis, & ita commoveor legens, ut repente divinitatem argumenti, & ſcripti majeſtatem authoritatemque ſenſerim longo intervallo omnibus eloquentiæ humanæ fluminibns præeuntem. Horrebat corpus. ſtupebat animus, & totum illum diem ſic afficiebar, ut qui eſſem, ipſe mihi incertus viderer eſſe. Recordatus es mei Domine DEUS mî, pro immensâ miſericordia tua, ovemque perditam in gregem tuum recepiſti. Ex eo tempore quum in me DEUS tam potenter Spiritus ſui virtute irruiſſet, alia frigidius ac negligentius legere ac tractare cæpi, de his verò quæ ad pietatem pertinent cogitare amplius, & ardentius in eis ver-

ſari;

ſari. Atq; hoc quidem ſtudium ut animadvertit Pater, non mediocrem ex eo voluptatem cepit, tantum de meo regreſſu ad pietatem ſibi gratulatus, quantum ex diſceſſu transfugioq́ue ad impietatem doluerat. Hactenus memorabilis hiſtoria JUNII, qui caſu ſuo periculoq́ue graviſſimo cunctos edocuit literatos, quâ via rationeq́ue maximè horrenda ſalutis diſcrimina & facilè incurrere & feliciter evitare poſſint, tandem ad optatiſſimam veræ Sapientiæ pertingere metam. Non minus feliciter periculoſiſſimam illam Principis tenebrarum catapultam (atheiſmum ſcil. vel potius ſiniſtram de chriſtiana religione opinionem) retudit Weſſelus ille Gansfortius Groningenſis, vulgò lux mundi appellatus, quod tenebras ſeculi barbari eruditionis lumine diſcuſſiſſet. *Cum eum (teſte Gerbardo Geldenhaurio in primo de illuſtribus inferioris Germaniæ Viris libro) nonagenario majorem quidam inviſeret amicorum, utque valeret interrogaret, reſpondit ſe pro ſua ætate & morbi moleſtia utcunq́; valere, ſed unum ſibi apprimè eſſe moleſtum, quod variis cogitationibus & argumentationibus circumactus, demum de veritate Chriſtianæ religionis ſubdubitare inciperet: obſtupeſcebat ille, cœpitq́; hortari,*

G. Geldenhaurius l. 1. de illuſt. Germ. infer. Viris.

ut

ut animo alacri ejusmodi cogitationes curasque in Christum Servatorem rejiceret unicum, sed cum admonitionem hanc ei molestiorem sensisset, magno cum animi mœrore discessit. Post unam verò alteramque horam redientem ad se cum Wesselus vidisset, alacri animo dixit exultans: Gratias ago DEO, abierunt omnes illæ cogitationes, nihil scio nisi JESUM, & hunc crucifixum, moxque DEO animam reddidit.

XI. Quod si verò pari in evitanda atroci illa diaboli machinâ felicitate gaudere velint cuncti sacratioris doctrinæ cultores, necesse est ut cane pejus & angve semper devitent tum nefarios quoscunque, & atra illa loligine tinctos PRÆCEPTORES, detestandos scil. atheismi apostolos, tum perniciosa corruptorum sodalium COLLOQVIA; tum denique LIBROS exitiosâ ista labe pollutos, ut inquam pestifera isthæc ac perniciosa τῆς ἀθεότητος seminaria effugiant, nî tandem horrendi exitii barathrum, h. e. sempiternam incurrere velint confusionem. Et cum non uno Præceptorum, Librorum Colloquiorumque noxiorum genere IMPIETAS inter eruditos sua capiat incrementa, necesse est ut circa singula illorum genera tum dignoscenda tum devitanda insignis cautio adhibeatur. Caveant inquam sibi pie-

bi pietatis sinceræ studiosi (I.) à PRÆCEPTORIBUS, LIBRIS ATQ; COLLOQUIIS SACRI CODICIS elevantibus AUTHORITATEM, ac præter θεοπνευςίαν omnem etiam humanam illi fidē derogantibus, Sacraq; Biblia pro farragine tantum diversorū tractatuū ausu privato conscriptorum venditantibus, cujusmodi blasphema effata alibi prolixè recensuimus, & summoperè sumus detestati. Increpet DEUS Satanam illum incarnatum, qui infausto quodam atque æternis flammis mancipando libello monuit, *Biblia sacra neutiquam cum devotione legenda esse, ut vulgò, sed cum judicio, esse ubi impingat Paulus, esse ubi cespitet Petrus, evolvenda potius esse legendaq; Biblia quemadmodum legatur Livius, Froschmeuselerus, & Arcadia Comitissa de Bembrok ut quadam laudentur, quadam negligantur, & honestè prætereantur &c.* Talia inquam ejusq; farinæ alia τῶν ἀθέων de dubia suspectaq; Scripturarum fide pudenda effata neutiquā literati christiani sibi persvaderi patiantur, ne & ipsi confirmentur in impietate, præsertim si detestandis præceptionibus quasdam subjectas rationes aut fucos potius fumosque deprehendant. In promptu potius sint Theosophorum fundamenta rationesque, quæ solidè evincant Sacram Scripturam divinitus inspiratam, anti-

Conf. Scrut. atheismi pag. 64. seqq. & epist. de ath. eradic pag. 7.

qui-

quitate pariter ac authoritate scriptis omnibus esse longissimè anteponendam. Prodiit ante annos aliquot in lucem scriptum quoddam anonymi sub titulo TRACTATUS THEOLOGICO-POLITICI, * DE LIBERTATE PHILOSOPHANDI, cujus infelicissimi fœtus author lucifuga [ferunt autem Benedictum Spinosam esse, natione Judæum, hominem ut res ipsa loquitur perfrictæ frontis, fanaticum, & ab omni religione alienum] palmariam in impugnando Sacro codice inque explodenda omni revelatione divinâ posuit operam, eò progressus impudentiæ ac impietatis, ut PROPHETIAM dependisse diceret *a fallaci imaginatione prophetarum, ac in uno quoq; pro dispositione temperamenti ac ratione præconceptarum opinionum,* [quibus DEUS, quod ad speculativa attinet se accomodaverit] *variasse, adeoq; prophetiam nunquã prophetas doctiores reddidisse, sed eos in suis præconceptis licet falsissimis opinionibus reliquisse, ac propterea nos iis circa res merè speculativas minimè debere teneri: Apostolorum epistolas non ex revelatione & divino mandato, sed tantum ex ipsorũ naturali judi-* *Anon. de libert. philosoph. c. II.* *p. 144.*

* *Editus est hic anon. de libertate philosoph. tract. non Hamburgi, ut mendax inscriptio habet, sed Amstelod, ubi auctor vixisse dicitur.*

cap. XI. p. 139. seqq. *cio ſcriptas fuiſſe; eos accomodaviſſe religi-*
nem quoad fieri potuerit hominum ſui tem-
poris ingenio, ſuperædificâſſe illam funda-
mentis tum temporis maximè notis & acce-
ptis: Exin (quod diverſis fundamentis
religionem ſuperædificaverint) *ortas eſſe*
multas contentiones & ſchiſmata, quibus Ec-
cleſia jam inde ab illorum temporibus indeſi-
cap. XII. p. 144. seqq. *nenter vexata fuerit; DEI æternum ver-*
bum & pactum veramq́; religionem hominum
cordibus, h. e. humanæ menti inſcriptam eſ-
ſe, quod autem in ſcripturis contineatur, eſſe
mendoſum, truncatum, adulteratum, & ſibi
non conſtare, maximè in hiſtoriarum & pro-
phetiarum circumſtantiis, miraculis rebusq́;
ſpeculativis. Quid quod nulla prorſus
cap. VI. p. 69. seqq. MIRACULA & opera ſupernaturalia in Scri-
pturis agnoſcat, ſed quæ talia dicantur, dici
contendat reſpectivè ad hominum opiniones,
& nihil aliud illorum appellatione intelligi,
quam opera naturalia, quorum cauſam igno-
remus, vel explicare non poſſimus, vel quæ ex-
plicari eo modo non poſſint quo vulgus res
naturales explicare ſoleat. Hinc deniq; conclu-
Ib. p. 77. dit: * *Omnia quæ in ſcripturis verè nar-*
rentur

* *Anonymo huic Libertino in Belgio ſcripto pecul. ſe oppoſuit Jacobus Batalier, edi-*

ventur contigiſſe, ita ſecundum leges naturæ, ut omnia, neceſſariò contigiſſe, ſi quid verò reperiatur, quod legibus naturæ repugnet, aut ex iis conſequi non poſſit, id à ſacrilegis hominibus literis ſacris adjectum fuiſſe. Quo magis verò illa DEO ac revelatæ ejus veritati inimica impietas non in peregrino tantum, ſed in Germanico etiam noſtro ſolo radices agere conatur, ut verendũ ſit, ne brevi tempore aliquam in communi patria noſtra (quod hæc aliaque portentoſarum opinionum commenta attinet) Italiam, Galliam aut Belgium ſimus habituri; eò diligentius doctis omnibus proſpiciendum, ne & ipſi à nefariis hujusmodi præceptoribus, librisque aut diſſertationibus tanta impietate refertis corrumpantur, tandemque extremum τῆς ἀπιστίας ſubeant periculum. Cujus evitandi causâ (II.) magnâ imò maximâ cũ cautione ipſis legendi evolvendiq; ſunt LIBRI MACHIAVELLISTARUM SEU PSEUDO-POLITICORUM, qui omnem Religionem ad artes referre politicas, omnique id agere ſtudio conantur, ut terrenum regnum

tis vindiciis miraculorum per quæ divina relig. & fidei Chriſt. veritas olim fuerit confirmata; in Germania verò ſcripti ejusd. refutationem Jenæ D. Joh. Muſæus haud ita pridem eſt meditatus.

Regno DEI, Ecclesia seculo, pietas civili politiæ fœda servitute subjiciatur. Religionem illi duntaxat pro vinculo habent, quo vulgus hominum coerceatur, pro frœno, quo perdomentur rebellium insultus, pro terrore, quo percellantur qui Magistratûs authoritatem non adeò magni æstiment, pro nexu, quo amor subditorum cum Imperantibus devinciatur; pro compedibus, quibus affectus malorum optimè compescantur, pro unico medio, quo quidvis svaderi, quidvis excusari queat, imò quidvis defendi, modo è singulari quodam religionis zelo factum perhibeatur: † deniq; de religione non aliter statuunt, quam de Comœdiis, in quibus talem quisque personam assumat, quam & sibi convenire & à se debito modo geri posse existimet, ut sic Principes ac Magistratus eam amplecti debeant religionem, quam & statui

† *Omittimus alia pseudo-politicorum seu Machiavellistarũ pudenda effata alibi à nobis commemorata. Conf. Scrut. ath n. 20. p. 85. seqq epistol. de radice ath. p. 27. seqq. & de atheismo eradicando pag. 7. seqq. non est, ut ibi dicta cum gravi lectoris fastidio repetantur. Adde si lubet Dn. Reiseri Epist. de Orig. Antitheismi p. 315. seqq. Dan. Clasen lib. de Relig. Polit. Menoch. Hieropol. Hier. Osor. institut. Reg. Raynaud. de bonis & malis libr. erotemate IV. p. 28. & alios plurimos.*

tui congruam & ſuo judicio conſentaneam intelligant. Et cum tibias hujusmodi diabolicas potiſſimum Nicolaus Machiavellus inflaverit *libris Diſcurſuum* ac *de Principe*, usque eò tetris, ac projectæ in religionem audaciæ, ut *ſatis eſſe docuerit pietatem ſimulatione præſe ferre, imò in eundem finem revelationes falſas tanquam à DEO derivatas confingendas eſſe, & ſpargendas in vulgus; factiones alendas inter ſubditos, pravis moribus implendam civitatem*; hinc omnes atq; ſinguli literati vel me tacente intelligent, quanta curâ ſtudioque ipſis perniciosæ ejusmodi dæmonis fiſtulæ ſint devitandæ, ne ab iisdem improvidi dementent ur, atque parem aliquando cum impiiſſimo Machiavello (qui blasphemans reprobum ſpiritum emiſit) habeant exitum. Caveant etiam ſibi à muſteis ejusmodi muginatoribus, qui religionem omnem habent veluti indifferentem, quibusque jam olim faces prætuliſſe videtur Procopius ille Cæſarienſis, dum cuique potius concedendum exiſtimavit, ut pro libidine ſua de DEO ſentiat, quam Reip. procellas videre, quibus tum (Imp. ſcil. Juſtiniani ætate) Romanum Imperium ob varias de fide quæſtiones jactabatur. *De DEO* (ajebat) *nihil ipſe præterea affirmaverim, niſi quod bonus omni ex parte ſit, resque univerſas ſua poten-* *Procopius Caeſ. lib. 1. Gothicor. conf. præfat.*

L 2 *tia*

tia complectatur, de controversiis verò ita quisque vel sacerdos vel privatus homo loquatur, quemadmodum illi sentire libuerit. Videant pietatis veræ studiosi, ne ad hujus farinæ magistros se conferant, qui licet in speciem Christiani videantur, nullique sectæ velint addici nominatim, privatis tamen rationibus vel Reip. commodis religionem pietatemque metiuntur, neque de verâ DEI cognitione ac cultu multum sunt solliciti.

quam H. st. Arcanæ Proc. Nicolaus Alemannus præfixit, fol. XI.

XII. Si insuper verè sapere eruditi, & omni IMPIETATE conculcata ad supremam aspirare velint PIORUM hominum felicitatem, necesse etiam est ut caveant sibi (III.) à scriptis consortiis atque colloquiis pestiferis eorum Philosophorum, qui molimine summè temerario omnia intra NATURÆ terminos compingere, causasque duntaxat secundas, posthabita illa PRIMA præcipuaque DEO Ter O. M. observare respicereque solent communiter. Horum (ac nominatim ipsius Jul. Cæs. Vanini isthoc potissimum nomine infamati,) ingentia pericula illos reddant cautiores, doceantque, haud faciliorem viam ad atheismum patere, quam per impias ejusmodi atque detestandas Naturalistarum assertiones, quibus imbutus literatorum quidam, in horrendam atheismi voraginem miserè adeò est prolapsus, ut (Viro quodam egregio teste,) voces hasce detestandas emiserit: *Quamdiu ingenio ac judicio*

Conf. Du. Clas. Rel. polit. c. V. p. 66.

meo

meo uti potui, nihil dementius mihi quicquam visum fuit unquam, atq; plerosque docere dari aliquem DEUM, supremum Numen, cujus nutu fiant & regantur omnia. Quæ fiunt NATURÆ vi ac operatione fiunt, pluviam producit Natura, Natura producit herbas & plantas, ad quarum generationem tamen concurrit siderum influxus, qui tam necessarius est, ut aliter se habere non possit - - Si Natura & præcipuè astrorum influentia valet diversimodè, nunc pluet, nunc serenitas erit aeris, preces utique pluviam cœlitus non trahent, sic & ægrotus moritur, natura in ipso debilitata quamvis mille pro ejus salute orent, neque credas tuam orationem ægroto revalescenti reddere sanitatem. Interim si hæc fiant ad vulgus imperitum detinendum, non improbo consilium istud satis prudenter olim à priscis politicis suggestum. Aliàs & doctis ista velle obtrudere stultitia est &c. Sic nimirum horrendo DEI judicio in im̃anissimum atheismi barathrum dilabuntur plurimi abstruso rerum naturalium studio mancipati, existimantes nullum planè esse Rectorem, sed res suopte genio hos & illos cursus peragere, hanc aut illam suæ durationis periodum

Conf. Scrutin. ath. n. 25. p. 108. seqq.

riodum ex se ipsis obtinere, omnia denique ad omnium causarum connexionem æternam esse referenda. Et cum inordinato adeò studio multi eorum occupentur, ut solis niti velint experientiis, ne scil. si quid absque prævia experientia credant, sese errandi exponant periculo, atq; decipiantur, mirum non est quod hujusmodi illiberalium artium magistri in extremā tandē prolabantur incredulitatē, ac ebriis planè similes, nulli amplius authoritati, nulli probatæ rationi, imò vix apodixi ulli fidē ducant adhibendam. Quo ipso in luto non ignobiles Naturæ mystas, Medicos cumprimis ac Philosophos quosdam Italos hæsisse, indeque atheismi nomine haud abs re suspectos ipsis fidei ac professionis suæ sociis fuisse alibi notavimus. Quippe latens virus satis superque illi per infrunitam atque impudentem demonstrationis atque evidentiæ in supernaturalibus postulationē prodiderunt, non alias nisi demonstrationes mathematicas admittentes, & quidem τῦ διότι seu potissimas, pari impudentiæ passu semper in examinandis rimandisque Dei operibus, Angelorum bonorum ac malorum naturâ, animæ humanæ (cumprimis separatæ) statu indagando perquirendoque procedentes, nec attendentes quod accuratissima etiam philosophandi ratio sæpè inductiones atque experientias, cognitiones τῦ ὅτι gradusque inferioris demonstrationes admittat, imò tota vitæ

Scrutin. ath. p. 109. seqq.

com-

communis orbita nudæ fidei humanæ axe sustentetur. Præclarè Petrus Firmianus in supra laudato seculi genio; *Quanta* [scribit] *sit animi imbecillitas nihil eorum credere, quæ fides proponit, evidentissimè apparet cuilibet propius inspicienti. Ille ne fortis animus, qui adeò carni mancipatus est, ut nihil credat nisi quod retulerint SENSUS, ita falsitati obnoxii, ut videre Te sæpissimè persvadeas, quod omninò non vides, & audire quod non audis? supra sensus ferri, ut ad veritatem, quæ illis altior, accessus fiat, maxima est fortitudo, sed & certè præclarior, si supra rationem ipsam assurgas, ubi illa irrito labore ad confessionem sui adducta & in ipso conatu deficiens, quid assequi non possis ejus viribus Tibi fateatur.* Quicquid verò hujusmodi profanis naturæ scrutatoribus objiciatur, quocunque rationum plausibilium apparatu infrunita eorum reprimatur audacia, semper tamen antiquum obtinebunt, tantoque licentiosius de DEO, Angelis, de Miraculis, atque mortuorum resurrectione argutabuntur, quanto fœdius pudendâ ista τῆς ἀπιστίας labe sunt contaminati.

Petrus Firm. in sec. Gen. p. 173.

XIII. Quandoquidem verò validissimum (maximorum etiam Theosophorum judicio) adversus ATHEOS motivum à MA-

Conf. Epist. de eradic. ath. p. 138. seqq.

GICIS desumatur effectibus, cum exin Spiritualis quædam (materialibus opposita) natura non incommodè concludatur, quæ essentiæ pariter ac efficientiæ ratione à superiore quâdâ dependeat; hinc ab iis (IV.) sibi pie-literatus caveat pseudo-doctoribus, librisq; & colloquiis, quibus omnes effectus ejusmodi supernaturales, omnesque malignorum Spirituum cum hominibus conventiones veluti anilia explodúntur figmenta, ubique vis obtruditur imaginationis, magneticis itidem, astralibus, sympatheticis influentiis ea tribuuntur, quæ sive mediato sive immediato Dæmonis influxu fuêre perpetrata. Perversæ illius opinionis œstro nostra ætate quidam in Anglia nobilis, Reginaldus Scotus ita fuit percitus, ut omnes dæmoniacorum effectus vel ad naturales melancholiæ insultus, vel nefarias hominum, figmentis & præstigiis suis illudentium artes, vel ad imaginationes stolidas, vanasque magorum fictiones referre sit ausus in libro apud Anglos Jacobi Regis jussu publicè combusto, *Discoverie off Witheraff* quod idem est, ac si dicas *Detectio artis magicæ*, quâ omnem omninò Magiam septem impugnare libris proposuit, nec sine deplorando successu, cum ex indicio viri cujusdam egregii constet plurimos in Belgio doctos pariter ac indoctos lecto illo libro nefario fluctuâsse, imò eò ignorantiæ & impudentiæ prolabi cœpisse, ut nullas non

Dæmo-

Dæmonum apparitiones & operationes ſuaviter exibilarint, tanquam anicularum fabellas, aut ſuperſtitionis meticuloſæ phantaſmata, iiſdemque ut plurimum decertaſſe armis, quibus Abrahamus Palinghus ſagas adverſus juſtam judicum ſeveritatem defendere atque Johannes Wierus evincere conatus ſit illas neutiquam eſſe puniendas. Quo de pudendo conatu non malè Bodinus judicavit, *Authorem divinis adverſus DEUM nefariè uſum fuiſſe*, eò quod libro ſuo blaſphemiis horribilibus referto, nonnulla de DEO & lege ipſius interſeruerit, ſuamque impietatem pietatis & compaſſionis cujuſdam chriſtianæ velo tegere auſus fuerit, ſed & inſigne fraudis diabolicæ documentum hinc elucere, nec gratiores ſatanam miniſtros habere idem judicavit, quam eos, qui omnem Magiam, omneque malignorum ſpirituum cum hominibus commercium eant eliminatum, & qui impedimento ſint ne pœnas meritas ſatanica luant mancipia. Quid quod interdum à ſatana maleferiati quidam ſint ſubornati, qui voce pariter ac ſcriptis tradere non dubitârunt *Magica omnia eſſe fabuloſa*? Memorabile exemplum Petrus Mamorius attulit dè Magiſtro Guilelmo Lurano Doctore Theologo, accuſato magicarum artium, condemnatoque duodecimo die Decembris 1453. ſed & teſtimoniis pariter ac confeſſione propria convicto, quod diabolo promiſiſſet ſe

Bodinus in confut. opinion. Wieri ſub fin. Dæmonom.

Petrus Mamorius in libello de Laniis.

prædicaturũ (ut fecit) fabulas esse quidquid de MAGIS dicatur, quin etiam penes ipsum mutuæ obligationis instrumentum fuisse deprehensum, quo egregius iste Theologus dæmoni fidem dedit, juravitque se publicè prædicaturum nullam prorsus ejusmodi de sagis sermonibus fidem esse tribuendam. Hoc pacto (addit Mamorius) Magorum cessavit punitio, Regnumq; Satanæ augescente in infinitum magorum numero fuit confirmatum. Sed & Toleti (ubi Magistrorum diabolicorum schola habebatur olim) quosdam ejusdem criminis affines vixisse homines Bodinus in præfatione Dæmonomaniæ suæ enunciavit, qui effusè ridere cœperint, si quando quæstio de magis haberetur, totiusq; coronæ risũ urbanis suis dictis salibusque commoverint, imò constanter affirmaverint, fabulas esse & *ἀδύνατα* ea omnia, hisque sermonibus Judicum ita mitigaverint animos, ut omnes Magi fuerint absoluti. Et cum ipse Wierus * fateatur se Joh. Trithemii Steganographiam exscripsisse, quam in Museo MAGISTRI SUI AGRIPPÆ reperisset, librum orationibus dæmonumq; invocationibus plenum maximeq; detestabilem, hinc Bodini animum cogitatio subiit, Wierum ejusdem

* Wier. de Lamiis cap. 36. *Cum bona* [scribit] *venia mei olim HERI & Praeceptoris venerandi Agrippæ, hæc mera inania esse, adeoq; ridicula, cum Cardano liberè assero.*

dem farinæ hominem extitisse, & ad mitigandas Magorum pœnas sicque augendum illorum numerum à dæmone fuisse subornatum. Neque hoc solum, sed & aliud sententia illa detestabilis Regno infernali affert emolumenmentum, dum regiam ATHEISMO viam parat, inque culpa est, ut pro anilibus figmentis tandem habeantur omnia, quæ de Rebus spiritualibus, Angelorum pariter ac dæmonum actionibus, cunctisque effectibus præternalibus hactenus fuere memorata. Quod non solum probè intellexit Serenissimus Angliæ Rex Jacobus, dum impietatis illius Doctorem suumque subditum Reginaldum Scotum *novum nuncupavit Sadducæum*; verum etiam doctissimus Bodinus, dum in egregia adversus Wierum disputatione gravissimè scripsit: *Quicunque ante hâc dixerunt id* (quod de Magia traditur) *esse à melancholia, NON ESSE DÆMONAS putaverunt, NEC FORTASSE DÆMONAS DEUMVE ULLUM CREDIDERUNT SUBSISTERE.* En ipsam detestandi ATHEISMI radicem, fructumq; opinionis (passim eheu invalescentis,) pestiferum! Tanto equidem majori impetu (liceat cũ lectoris amici venia haud adeò impertinentẽ ad literatos atheos convincendos convertendosq; nunc facere digressionem,) quidã atheismi nefandi apostoli validũ illud adversus impi-

Bodinus l. c. p. 431.

impios telum nobis eripere conantur, quanto certius huc usque cognoverunt, perditissimos homines ab atheismo facilè revocari, dum mirabiles magicarum artium effectus illis ponuntur ob oculos, ostenditurque, præter ea quæ sub aspectum cadunt, aliquid spirituale, & potentioris esse virtutis, quo admisso, facili⁹ Numinis existentiam confitentur. *Sunt autem* (ita præclarè in diss. de sagarum denunciatione scribit D. Mauritius) *hæc omnia, quæ sc. de contracta cum dæmonibus hominum amicitia eruditi hactenus communi ferè sententia crediderunt, talia, quæ ratio non capiat, quomodo naturaliter fieri possint, sed etiam quæ percipiat, non posse nisi PRÆTER NATURALITER, ac viribus aliis, quam humanis solis, effici: Nec DEUM tamen habere authorem, aut Angelos bonos, quod fæda sint quæ fiunt, Deo adversa; & ipsorum confessione, qui rem optimè sciverunt, non DEUS sed Diabol⁹ ex pacto eorum author indicetur. Nec de Historicâ fide dubium, cum illa, quæ ipsi & plures alii viderint, & quidē viri graves, eodem quo acciderunt tempore literis mandarunt, ubi nihil facilius quam tot testes in reb⁹ publicè gestis advocantes, falsitatis in re sens⁹ judi-*

D. Eric⁹ Mauritius tr. de denunciat. Sagar. p. 39.

judicio manifesta convincere. Hactenus D. Mauritius, qui etiam studio singulari omnium ferè Nationum ac Gentium, Ebræorū, Græcorum, Latinorum, Asiaticorum, Africanorum, Americanorum, Europæorum, Italorum, Gallorum, Germanorum, Danorum, Suecorum, Anglorum, hac de re consensum evicit. *Quotquot enim* (ait Augustinus) *in Mundo fuerunt sectæ, pœnas in Magos decreverunt*, adeoque pro fabulis merisque ludibriis vulgatos de iisdem sermones neutiquam habuerunt. Absit igitur, ut res post omnem hominum memoriam ab annis quater mille de Magis exploratissimas, imò divinæ etiam Legis (quæ perditionem interminatur populis qui Magos non castigaverint) authoritate insinuatas, nunc demum in recentiorum quorundam, & à Dæmone circumagitatorum hominum gratiam negemus aut vocemus in dubium. Nec magni ponderis aut momenti ea sunt argumenta, quæ pro periculosi illius pestiferique dogmatis confirmatione hactenus sunt allata: Possit licet res incorporea corporeæ ordinariè haud sociari, nec quicquam ab ea capere detrimenti; ex communi tamen Doctorū sententia, ipsaq; multorum seculorum experientia abunde constat, malignos Spiritus sibi cum opus est formare corpus aspectabile, ut id quod volunt σωματικῶς efficiant. Porrò etiam-

August. lib. XIII. de civitat. Dei.

Lev. XX.

etiamsi multa effecta pseudo-magica sæpè aut ab hominibus mendacibus improbè fuerint conficta, aut à simplicioribus nimis credulè accepta, hinc tamen neutiquam colligere licet, nullas prorsus esse hominum cum dæmonibus conventiones, nullos reales dari magorum effectus, similis equidem hæc conclusio illi esset paralogismo: Sæpè Hypocritæ, mali, hæreticique dicuntur, qui revera tales non sunt; ergò nulli unquam hypocritæ, perversi hæretici, schismaticique extiterunt. Maxime infirmum illud quoq; est R. Scoti pro temeraria sua assertione argumentum: *Valde stultæ essent Lamiæ, quibus Judices tamen astutiam tribuunt, si Diabolo animam & corpus perpetuo cruciandum traderent, nullis receptis divitiis, vel commodis aliis.* Sed revera illas adeò stultas fuisse, infinita forensium judiciorum documenta, sagarum confessiones, factis per omnia respondentes, convictionesque publicæ clarissimè comprobarunt. Quem insuper latet humanæ naturæ in casibus adversis summa infirmitas, quâ immissas afflictiones doloresque gravissimos tam ægrè fert, tamque anxiè ex angustijs liberari desiderat, ut parum sæpè attendat, quas inire debeat rationes, quasve admittere conditiones, dummodo mitigationem vel medicinam, (quâ adversitates suas nonnihil leniat) invenire possit. Animadvertens itaque Dæmon, homines in tan-

Scotus lib. III. c. 6.

tis

tis difficultatibus esse constitutos, promptè illis insidiatur & avidè, suoque instituto eos accomodatos perspiciens, mox sese insinuat, suamque ipsis pollicetur operam, levationem spondet & remedium, dum modò talibus uti velint medijs, qualia ipse ad hanc rem præscripserit. Nullum tunc homini ψυχικῷ sive animali remedium tam atrox apparet & execrabile, quod non sponte arripere, nulla conditio tam horrenda, quæ illum à societate dæmonis (operam suam promittentis,) revocare possit. Lubentissimè tandem ille assentitur, dummodo in istis anxietatibus auxilium & relaxationem invenire queat. Neque tamen inficias ibimus, multos utriusque sexus mortales vel parentum vel aliorum nequitiâ in tenera etiam ætate seductos, miserrima Diaboli mancipia evasisse, & in temporalis pariter ac æterni exitij barathrum incidisse. Sic Aquitana quædam adolescentula (teste Flor. Remundo) sponte sua 1594. fatebatur, se teneriore ætate à quodam Italo corruptam, postea in agrum quendam abductam, hirco cuidam grandi atroque oblatam fuisse; hircum ab Italo quæsijsse, quæ isthæc foret puella? respondisse, nunc eam à se adductam, ut in suarum numerum hircus illam referret, quo facto se ab Italo in locum priorem reductam fuisse. Sic & Joanna Harvilleria [quæ Bodino occasionem conscribendæ

Flor. Remundus lib. I. de Antichr. cap. 7.

Jo. Bodin. in præfat. Demonom.

dæ Dæmonomaniæ præbuit] inde à duodecimo ætatis suæ anno, diabolo, (qui specie hominis atri staturam humanam excedentis apparebat) *à matre fuit oblata* atque desponsata, ille promisit se optima fide filiam curaturam, atque [si Diis placet] etiam beaturam. Ac licet inter omnes magos convenire scribat Bodinus, non cogi à Satana quenquam ut Deo renunciet, aut se Diabolo devoveat, sed puram potius liberamque à subditis suis eum exigere voluntatem; attamen Nicolaus Remigius quædam manifesta certisque indiciis testata habet exempla, quod Satan interdum illis pericula gravissima intenderit, magnasque opposuerit formidines, quos blanda oratione permovere nequiverit. *Claudius Morelius* (scribit laud. author) *Serra damnatus veneficii, cum rogaretur, quæ res maximè illum impulisset, ut se primum addiceret dæmoni, respondit, non ante verbis, quicquid lenocinaretur, vinci potuisse, quàm ubi de uxoris liberorumq. nece terrorem injecisset.* Antonium item Welschium, cum de obtorquendo collo, ni in iis quæ jubebat pareret, minas dæmon illi intendisset, non ausum fuisse quicquam amplius denegare; Alexiæ etiam Driegæ, cum eam nullis prorsus pollicitationibus obsequentem sibi posset adjungere, tandem interminatum esse muri ædium quas illa inhabitaverat ruinam, quæ etiam paulò post sit consecuta. Sicuti verò rarius & infrequentius tam horri-

l.c. pag. 456.

Nic. Remig. Dæmonolatr. lib. I.

Remig. lib. I. c. I.

horrido malarum impulsionum genere dæmon utitur, ita plerumq; suaviores longè inescandi perdendique hominis arripere solet occasiones, à vitiosis potissimum affectibus subministratas. Vel enim libidinibus amorique nefario deditos spe lactat potiundi ostentata, aut pertæsos egestatis diutinæ, larga atque copiosa divitiarum oblatione pellicit, aut ad ultionem, ob acceptam fortè injuriam inflammatos ostentata explendi odii facultate sibi mancipat, aut denique quâvis alia corruptela dulcedineque depravatos confœderatorum suorum gregi sociat, & quamprimum sibi istis passionibus aditum aperuit, ægris illorum animis pabulum suggerere solet lethiferum, assumptaque humana specie aut deambulantes in agris, aut anxios in lectis, sed solos, emissa voce quæ causa sit sollicitudinis? interrogat, & subitum certumque promittit auxilium. Adeoque [ut benè notavit Remigius,] Dæmon non modo occultis ac velut domesticis illis affectionibus in homines grassatur, sed palam etiam, apertoque [ut ajunt] Marte, explanata scil. vocis impressione, ac comparata ad colloquium, quæ sub aspectum cadat, personâ, indeq; vulgò auspicari solet orationem, quod afflicti hominis vicem doleat, cupiatque adesse atque opitulari, sed neutiquam id se præstare posse, nisi is prius rupto quod in baptismo pepigerit fœdere, velit in suam transire potestatem.

tem, ſicque diu ante obſeſſos afflictosque animos facilè in deditionem accipit, inque infernalis exitii barathrum præcipitat, inito nimirum horrendo fœdere ſeu PACTO, manu & ſanguine futuri mancipii proprio conſignato firmatoque, cui veluti baſi ſeu fundamento ſubſequentes operationes magicæ innituntur. Aſtutiæ equidem debetur diabolicæ, quod non ad cujusvis nutum & imperium paratus ſit & expeditus, niſi prius de mercede ſua certior redditus fuerit, id quod ſola conſequitur PACTIONE, quâ tum infenſum ſuum contra DEUM odium, tum execrandam adverſus homines malitiam abundè teſtificatur. *Quinque* (ait Bodinus) *Inquiſitores in malleo maleficarum, omnium ſagarum, quas morte affici curarunt in Germania, confeſſione compertum habuerunt, fœdus ipſas inire cum Diabolo.* Quinimò [teſte Binsfeldio] omnia maleficorum opera effectum ſortiuntur ex pactò expreſſo vel tacito cum Dæmone, ita ut ſemper, quando vult maleficus operari, expreſsè vel tacitè invocet Dæmonem in auxilium ut concurrat ex pacto. Scripto autem id ipſum ſæpè confirmari, dæmonemque efflagitare, ut paciſcens inſtrumentum obligationis & chirographum proprio ſcriptum & ſubſcriptum ſanguine exhibeat, non ex omnium ſolum de re magica ſcriptorum conſenſu, verum ipſarum etiam ſagarum unanimi conſtat confeſſione. Quam horrendis

Bodin. in Refut. opin. Wier.

Binsfeld. confeſſ. malef. p. I. prælud. VI. in princ.

dis atrocibusque conditionibus infaustus ille Faustus Dæmoni sese mancipaverit, DEO miserit repudium, & pactum sponsionemque cum diabolo sancitam proprio sanguine ex leviter vulnerato pollice emisso, se totum ipsi adscripserit, docet apographum, post miserabilem ejus ex hâc vitâ exitum in museo repertum, & à Georgio Rud. Widmanno divulgatum, hæc inter alia continens verba: Zur Bekräfftigung meiner Verheissung will ich diesem allem treulich nachkommen/ und dieweil unser aufgerichte Bündnuß zwanzig Jahr seyn soll/ so denn die verschienen und verloffen/ so soll er diß sein Pfand Leib und Seel angreiffen/und darüber zu schalten und zu walten haben/ soll auch kein Wort GOttes/ auch nicht die solches predigen und fürtragen hierinnen einige verhinderung thun/ ob sie mich schon bekehren wollen. Uhrkundt dieses Brieffs/ hab ich den mit meinem eignen Blut bekräfftiget/ und verschrieben. O pactum nefarium horrendum & execrabile! quo miserum dæmonis mancipium seipsum tenebrarum obligat principi, DEO, sancto illius verbo, stipulationi in baptismate factæ, & suæ per CHRISTUM redemptioni renuntiat, eâdemq; opera in diabolum crediturum, opem & auxilium ab illo expectaturum, accepturum, & in vitæ fine corpus & animam ei traditurum dato chirographo, vel aliqua sui sanguinis particula velut confirmandæ pactionis pignore & arrha pollicetur

G R. Widman. in Hist. Fausti part. I. c. 10.

cetur. Diabolus viciſſim pro ſua parte promittit ſe mancipii ſui nutum & voluntatem ſedulo obſervaturum atque executurum, ita ut quocunque tempore in creaturæ alicujus figura & ſimilitudine appareat, ad deliberandum & conſultandum cum ipſo, ut vel in aliquo adjuvet negotio, vel ad deſideratarum voluptatum, honoris, opum, dignitatis & amplitudinis conſecutionem provehat, tunc ejus cauſa proficiſci, hominem quocunque libuerit circumferre, & (ut brevi comprehendam omnia) in illius gratiã præſtare quicquid juſſerit haud invitus velit. Ad cujus rei probationem alia aliaque adferre poſſem⁹ documenta, ni longâ experientiâ id adeò eſſet compertum, ut in dubiũ ſine inſigni impudẽtia vocari nullo modo queat. Haud præter rem verò Mart. Delrio adnotavit *nefariæ hujusmodi pactionis non unum ſed triplicem modum eſſe & rationem.* Primus modus fit ſolemnitate varia, & ipſi Cacodæmoni viſibiliter in corporea aliquâ forma apparenti coram teſtibus fidelitas promittitur, cujusmodi pactum inivit Nobilis ille ditionis Leodicenſis narrante Cæſario Heiſterbacenſi, ubi Dæmon loquens audiebatur ſed non cernebatur, cui [divitias honoresque ampliſſimos promittenti] miſer homagium præſtitit, ſuumque abnegavit Creatorem. Secundus modus per libellum fit ſupplicem, quem diabolo gehennæ candidati exhibere haud verentur, quâ ratio-

Mart. Delrio Diſquiſ. mag lib. II. c. V. qv. 4. fol. 117.

ratione nostra ætate Mantenses in Normandia Magi libellum conscripserant, Sybillis, magiæ necromanticæ præsidibus eum oblaturi, cujus summa: Se orare Dominas, uti dignentur libros suos magicos consecrare, ut mali spiritus per omnia ipsis obediant, ut supplices reddantur tuti à judicum insidiis & punctione, ut cœpta omnia & studia illis prosperè in aulis & amicitiis Principum succedant, denique ne inimici ipsis nocere valeant, vicissim polliceri sese, quod prædictas Sybillas pro Dominabus & principibus suis perpetuo sint habituri, & quotannnis animas eis oblaturi, &c. Hos tamen supplices omnes cum ipsis libris captos & Parisiis combustos fuisse Crespetus lib. de odio satanæ narravit. Tertius deniq; modus initur per vicarium, magum videlicet vel tertium aliquem, cum paciscens dæmonis aspectum vel colloquium quidem reformidat, auxilium tamen ejus opemque per alium anxiè efflagitat. Ex his autem tribus pactionis diabolicæ rationibus primam frequentiorem esse, posteriores vero duas rariores & insolentiores, hactenus varii de hoc argumento scriptores, ipsorumque mancipiorum dæmoniacorum confessiones docuere, è quibus etiam planissimè constat, Dæmonem confœderatis suis novitiis peculiarem imprimere characterem, & sæpe non uno illos notare stigmate, quemadmodum sc. servos olim Domini notis curarunt compun-

Crespetus lib. de odio Sat. disc. 15.

gendos, ut in fugam dati, deprehensioni magis obnoxii redderentur; ita sua dæmon mancipia certis servitutis horrendæ signis ac tesseris habere studet insignita. *Ejurato nimirum DEO & baptismo,* [verba Serenis. Angliæ Regis Jacobi adscibo] *notam suam illis imprimit in tectam quampiam corporis partem, cui in proximum usq; congressum nec cicatrix obducitur, nec dolor levatur, at omninò sensus perit sanatæ, quantumvis stimules aut vellices, ut quotidiana probat experientia, hoc veluti documento ostendit, se eum esse, qui & lædere possit, & læsos curare, ut in rebus prosperis adversisq; ab eo solo assvescant pendere, præterea exquisitus ille dolor, relicto ex impressa nota, excitat in sauciis inquies desiderium novi congressus; aliàs forte oblivi scerentur sui præceptoris hi novelli catechumeni, vix benè ad huc posito amentiæ tyrocinio, vel horribilis pacti memoria turbati consilium mutarent, & pænitentiam agerent.* Constat insuper cicatricis locum ita exanguem esse, ac sensu labefactatum, ut ne admissa quidem acus altissimè aut dolorem faciat, aut sanguinis minimum eliciat, idque jam ita pro comperto habent rerum capitalium vindices, ut inde plerumque quæstionis ac

Jac. Rex Dæmonolog. lib. II. cap. 2.

ac tormentorum initium facere ſoleant. *Non ita pridem* [ſic Nicolaus Remigius ſub ſeculi ſuperioris finem notanter ſcripſit] *hoc Spinalii re ipſa fuit comprobatum. Nam cum Iſabella Pandæa ibi ob ſortilegii crimen comprehenſa, urbis præfecto partem corporis ſic à dæmone inſcriptam, indicavit, ſubiit ei in animum experiri, verumne id eſſet, quod de ejusmodi ſtupore ferebatur, ergò juſſit in eam aciculam penitiſſimè infigi atq; inculcari, quod cum in ſatis magna hominum frequentia eſſet factum, & incruentum omninò vulnus apparuit, & nullum ſaga doloris vel minimi indicium aſpicientibus dedit.* Ut proin res hæc tam certa ſit, uti nihil habere poſſit dubitationis, poſtquam non modo qui eam ſuo damno experti ſunt, diverſis temporibus retulerunt, ſed etiam clariſſimis indiciis comprobarunt, dæmonem certis ſtigmatibus ſuos notare diſcipulos, ſicuti jam olim hæreticos rebus magicis ſimul implicitos, certâ nota (Irenæo teſte) inſignivit, quosdam verò (ut Tertullianus prodidit memoriæ) in fronte ſignare conſuevit. *Tingit & ipſe* (ita Tertull.) *quosdam, utique credentes & fideles ſuos, expiationem peccatorum de lavacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithra : SIGNAT AD-*

Nic. Remig. l. c. lib. I. c. 5.

Iren. lib. I. c. 24.

Tertull. de præſcript. adverſ. Hæretic. poſt med.

HUC IN FRONTIBUS MILITES SUOS. Tam vetus igitur origo illius nefarii est stigmatis! Eo autem [ut diximus] impresso inustoque, diabolus ingentem præse ferre solet in promissis suis fidem, læsis abominandas ultionis vias, miseris & egenis fœdas flagitiosasque ditescendi artes commonstrat, pecunias iis ipse suppeditat, quæ tamen ut plurimum sublatis præstigiis, fimus, testæ, folia, monetæ spuriæ, aliæque id genus quisquiliæ esse deprehenduntur. Nec immeritò multi mirantur, quod auro argentoque vero & solido tantoperé destitutus sit dæmon, cum tamen vulgò maximos quosque thesauros defossos ac reconditos asservare, inque sua credatur habere potestate, ast nihil unquam illorum depromere, non stare promissis, ac toties jactatam apud suos munificentiam liberalitatemq; re & opere ipso comprobare possit; aut si quid verè ostentet, non hoc agat, quo ejus fruendi ullam faciat potestatem, sed magis ut tali velut esca illectos, ludificatosque homines perdat, & ad certissimum deducat interitum. Neque verò illud parsimoniæ, aut rei (cujus alioqui nihil indigent dæmones) retinendæ studio id fieri credamus, sed potius singulari DEI providentia immensaque bonitate hactenus id contigisse, ne si veras solidasque diaboli suppeditarent divitias, majori apud homines avaros & auri cupidos sint in pretio, & ne plures pericu-
losa

losa hâc inescandi perdendiq; occasione interirent. *Ergò* (ut præclare Psellus ait) *dæmones nihil eorum quæ promittunt, ex se tradere possunt*, sed visu tantum quædam inania suis cultoribus afferunt, varia prorsus & instabilia. Sic saga quædam Remigio perhibente, accepta à dæmone pecunia (ut sibi videbatur) gestiens domum properè rediit, eam ut numeraret, sed excusso sacco, nil nisi testas ac carbones reperit, aliæ arborum invenêre folia, quædam Joanna à Banno cum nummum aureum charta convolutum in via reperisset, uti dæmon eventurum prædixerat, atque eum marito cupidè ostentaret, tandem non sine pudore advertit, pro auro nactam se calculum ferrugineum, qui primo etiam contactu facilè in frusta dissiliit. Etsi verò dæmones in erogandis pecuniis suos ad hunc modum frequentissimè decipiant, non æquè tamen in aliis rebus, præsertim oblatis vindicandi odiique explendi occasionibus, illis fucum facere solent, imò ipse satan (uti ab initio homicida fuit) miseros suos asseclas ad cædes ac parricidia impellere minimè cessat, sed dolis suis medicato pulvere, virgis, unguine, variisque id genus venenis (quorum alia mortem, alia morbum tantum, quædam etiam sanationem afferunt) instruere omni laborat studio, imò experientia sæpè comprobatū esse scribit Remigius, Sortilegos suas habere officinas, bestiolis, plantis, ac metallis venenatis refertissimas, virgas etiam eos possidere un-

Psellus in cau. cur Dæmones timeant minas?

Remigius Dæmonol. l. 1, c. 2.

unguine aut re quapiam alia perniciali illitas, quibus ceu joco ſæpè obvios feriant homines, quos perditos velint, nec irrito innoxioque conatu, ut ſua confeſſione teſtatum reliquerint plurimi. Verum ſingulari Numinis optimi benignitate accidit, ut pharmaca illa diabolica nec ſemper nec omnibus fuerint noxia, ſed quibusdam fruſtra aſperſa, iis maximè, qui in maleficos capitalia exercuêre judicia. Sic quædam Catharina Ruffa (laud. authore teſte) non ſemel ſe à dæmone inaudiſſe retulit, ſibi neutiquam infinitam in omnes eſſe poteſtatem, & Aſinaria Nancejana indignabunda dixit: Quam benè agitur vobiſcum ô Judices, quod nobis in vos nihil quicquam licet, nam nulli ſunt mortalium quos tam lubenter inſidiis noſtris appeteremus, qui ſic gentem noſtram omnibus pœnis ſuppliciiſque proſequimini. Fruſtra etiam inſidiis ſuis hactenus divini verbi præcones (de magorum converſione ſalvationeque ſollicitos) petierunt diaboli, neq; odii adverſus eos explendi tutam facilemq; invenere rationem, ſed omnes conatus recidêre in nihilum, eò quod illi in cœleſtis Domini tutela ſint ac præſidio, quo unicè freti, non ſolum ſalvi mansêre & incolumes, ſed ardua ſæpe cum rugiente illo Leone habuêre certamina, & hoſtem poſt ſeriam mancipiorum diabolicorum contrítionem occupatis ſedibus diviná adjuvante gratia feliciter expulerunt.

At

At verò ne extra gyrum diutius ambulasse videamur, & reliquisse id, quod de convincendis literatis atheis (motivo ab effectibus magicis sive dæmoniacis desumto) dicere instituimus, non solum testimonijs doctorum virorum innumeris, verum quotidianis etiam experimentis satis constare arbitramur, quanta & quam exitiosa sit dæmonum [ut de pactis illorum cum hominibus nihil dicamus amplius] potentia, quâ cient tempestates, morbos immittunt, homines convertunt in lycanthropos, segetes & arbusta transferunt, spectris homines territant, & perplexis oraculis consulentes ludificantur, erroribusque implicant. Perijsset sanè dudum genus humanum, tot pessimorum hostium injurijs obnoxium, nisi ab alicujus supremæ potentiæ nutu penderent dæmones, quæ rabiem eorum huc usque frœnavit, suæque providentiæ cancellis inclusit. Apage igitur nefaria quæque τῶν ἀθέων volumina pariter ac colloquia, quibus validum hoc adversus impietatem telum nobis eripere, & veluti mera nefariorum hominum figmenta præstigiasque ea explodere conantur, quæ tot tantisque comprobata fuêre experimentis. Caveant inquam sibi mortalium doctissimi à pestiferâ adeò pudendæ ἀπιστίας labe, ne ipsis gentilium magistris hac in parte videantur deteriores. Etsi enim profanus ille, ac ferè [an potius verè?] atheus Plinius artem ma-

magicam] haud veram, sed intestabilem, irritam inanemque esse statuerit ex eo, quod Nero Imp. illi operam dederit, & falsam vanamque deprehenderit; constat tamen alios (damnificis licet umbrarum gentilium tenebris obnuptos mortales) conspectis arte magica dæmonibus, DEUM etiam credidisse, veluti Plutarchus Præsidem quendam Ciliciæ atheum, cum Mopsi oraculum consuluisset, dæmonque obsignatæ respondisset quæstioni, DEUM credidisse est contestatus. Videant igitur apprimè literati christiani, ne [ut antea monui] ipsis idolorum cultoribus hac in parte sint deteriores, neve pudendæ adeò ἀπιστίας macula sese deinceps pollui patiantur.

Plutarch. in tract. de orac. defectu.

XIV. (V.) Denique cura sollicita pectoribus piè eruditis est adhibenda, ne decipiantur ejusmodi LIBRIS atque colloquiis, quibus vel omninò negatur, vel in dubium valdè vocatur ANIMARUM NOSTRARUM IMMORTALITAS, *atque in hoc* (insigni quodam scriptore notante) *unicè incumbitur ne homines videri queamus*. Non sine maxima equidem cautione legendi evolvendique illi sunt authores, qui principiis atque philosophematis quibusdam suis absurdis ita indulserunt, ut sive scientes, sive inscientes animæ sustulerint immortalitatem, cui ordini præ aliis Pomponatium & Hieronymum Cardanum aggregandos esse, utriusque scripta in publica luce

Petrus Matth. Histor. Gallus, lib. 7. narrat. 3. §. 8. Conf. Scrut. ath. p. 121. seq.

luce proſtantia, diſertè loquuntur. Quamvis enim prior non abſolutè ac ſimpliciter mortalem animam humanam cenſuiſſe videatur, (pariter ut philoſophaſtri illi Itali, damnati à Lateranenſi Concilio, aſſerentes, animam rationalem ſecundum fidem eſſe immortalem, at ſecundum philoſophiam eſſe mortalem, adeoque ſimul mortalem ex philoſophia & immortalem ex fide pronunciantes] ſed tanquam dubium quoddam & ἄλυτον reliquerit in medio; haud obſcurè tamen ſcepticis ſuis diſquiſitionibus aditum ad funditus negandam animæ immortalitatem patefeciſſe videtur, quapropter Venetos illud Pomponatii opus [quod ipſe author mutata mente improbaſſe dicitur] ignibus addixiſſe, nec de *immortalitate*, ſed de *mortalitate animæ* inſcribendum fuiſſe, eruditorum quidam prodidit. Et cum [Mirandulano judice] idem Pomponatius in alio de *incantationibus volumine*, nec philoſophum ſe bonum, nec Chriſtianum bonum exhibuerit, cum effectus omnes mirificos cœlorum influxionibus adſcripſerit, adeò ut & religiones & leges, earumque latores ab iis voluerit dependere, [quâ cum fatuâ de fato ſententiâ atheiſmum utplurimum ſociari, eaq; admiſſa vix ullum divinæ vel exiſtentiæ vel providentiæ amplius concedi locum, alibi oſtendimus] multusque inſuper fuerit in evertendâ cooperatione DEI nobiſcum, nemo facilè dubita-

Vid. Contareni Card. opus de immortal. anim.

Sylveſter lib. 5. de Strigimaſtigis, cap. 5. Ioh. Pic. Mirand. lib. 6. everſ. ſing. certam. Conf. epiſt. ad D. Meibom. de atheiſmi radice. p. 46. ſeqq.

bitabit, Pomponatium etiam altero illo de anima opere regiam quandam atheiſmo viam ſternere voluiſſe, eaque propter illud pariter ac cætera clancularıorum atheorum ſcripta eſſe proſcribenda, ſaltim ſingulari cum cautione evolvenda. Eundem in cenſum ſcripta veniunt Cardani, quippe quem apertè & abſque ambagibus animæ mortalitatem compoſito eâ de re'libro affirmaſſe, nec palinodiam unquam ceciniſſe, tametſi de premendo, metu infamiæ vel etiam ſuppliciorum, nigro illo opere apprimè ſollicitus fuerit, diſertè Delrio eſt conteſtatus. Sique hujusmodi de Cardano rumoribus fidem adhibere nolimus, eò quod libro quodam peculiari animorum immortalitatem propugnaverit; attamen quæ alibi de *natura hominis* tradidit, aliaque valdè periculoſa à Scaligero notata ſatis evincere videntur, Cardanum ad eandem profanè-philoſophantium, àq; ſtudioſo ſinceræ pietatis devitandorũ claſſem eſſe referendum. Cum ejusdem de animæ mortalitate opinionis peſtilens ſidus olim infelicem illum *Codrum Urceum* [cujus tragœdiam ſupra memoravimus] afflaſſet, parum abfuit, quin & ipſe in atheiſmi voraginem fuerit præcipitatus. Rogantibus enim amicis, quid de *immortalitate animæ* ſentiret? neſcire ſe reſpondebat, quid poſt mortem de ſe futurum eſſet, viveretne animus, ſive anima, an interiret una cum corpore, quæque de inferis homines

Delrio Diſquiſ. magic. lib. 2. q. 26.

Conf. Card. lib. XII. de ſubtil.

Diſſ. præl. p. 11. ſeqq.

Conf. Barth. Bononienſ. in ejus vita.

nes prædicarent, anilia quædam terriculamenta esse dicebat, hinc ipsi amarissimo epigrammate post fata etiam fuit exprobratum, quod non rectè de Christo, inferis, animarumque immortalitate sentiendo, latentis atheismi sui haud obscura documenta dedisset. Haud equidem malè nonnemo observavit, omnes de animâ humanâ perversè sentientes, eamq; mortalem asserentes, sive DEUM ipsum negare, sive in dubium ejus vocare providentiam, quæ negata mentium nostrarum mortalitate omninò destruatur. *Certum est* [Baconis sapientissimi verba adscribo] *hominem brutis cognatum esse quatenus ad corpus, quod si quatenus ad animam non intercedat ei cognatio cum DEO vilis est planè & ignobilis creatura. Cape exemplum à cane & observa, quantos sibi assumat animal istud spiritus, & quantam generositatem induat, cum se ab homine, (qui ei vice est DEI aut melioris naturæ) impulsum perspiciat, quam fortitudinem liquidò cernas tantam esse, quantam creatura illa absque fiducia melioris naturæ quam propria æquare nullo modo possit. Similiter & homo, ubi innititur & spem collocat in divinâ providentiâ & gratia, fiduciam & vires colligit, quales humana natura sibi relicta nequisset attingere. Quare ut ATHEISMUS*

Fr. Baco Verulam. Serm. fidel. XVI. opp. p. 1166.

(omnis-

(omnisque illi vicinus de anima rationali error) *in omnibus odium meretur, ita in hoc, quod privet naturam humanam facultate se ultra fragilitatem suam attollendi.* Quod cum pariter temerarii quidam Pseudo-Chymici agere tentareque videantur, ipso Paracelso præeunte contendentes, non esse difficilius ut aliquis homo generetur aut suscitetur, quam ut vermis, culex, rana, aut quidpiam simile nascatur, artemque se tenere edicant, quâ veri homines absque opera maris & feminæ producantur, industrii artificis chemici ministerio; quilibet vel me tacente intelligit, ejusmodi nefaria artificia, pariter ac cunctos eorum laudatores cane pejus & angue esse fugiendos ac proscribendos. Illorum in censum Arnoldum de Villa-Nova referendum esse Johannes Mariana in opere de rebus Hispanor. disertè pronunciavit, testatusque est, eum ex humano semine quibusdam in vase medicamentis corpus hominis efformare studuisse, pravisq; adeò opinionibus maximam suam fœdasse eruditionem. Quis obsecro Scriptura asserente, opus creationis ac resuscitationis DEO insolidum non tribuere mallet, quam putidis ejusmodi incertis atque obscuris pseudo-chymicorum experimentis? Et cum anima rationalis immortalis sit, corpusque hominis tale, ut alia via formari nequeat, fidem ejusmodi impostoribus nemo piè-

Conf. Epist. de radice Atheismi p. 54. seqq.

Joh. Mariana rer. Hisp. l. 14. c. 9.

pie-literatorum adhibebit, quin potius eos veluti detestandi atheiſmi apoſtolos; eorum verò ſcripta [qualicunq; tandem colore ſeu fuco potius ſint illita] ut certiſſima peſtis ejusce ſeminaria averſabitur. *Par eſſet*, (Theodoreto egregiè monente) *omnes planè mortales, imò & omnes res creatas armari in ultionem tantæ atrocitatis, & DEO pro innumeris nominibus, quibus illi omnes obſtringuntur ſtipendiarium hoc pendere obſequium.* Et cum veteris Eccleſiæ Doctores Origene præeũte [quem ea propter Thaumaturgus Gregorius ſummoperè laudavit] ita nos philoſophari juſſerint, ut omnia quotquot extant, veterum tum philoſophorum, tum poëtarum ſcripta colligentes, nihil rejiceremus præter ea quæ ATHEORUM eſſent, qui â communi hominum ſeuſu diſcedentes, DEUM aut providentiam ejus vocent in dubium, [hæc enim ne digna quidem eſſe quæ legantur, ne quâ fortè re inquinaretur nobis animus, qui quum pietatem colere debeat, ſermones audiat divino cultui repugnantes.] hinc etiam atque etiam apparet, quo in numero illi libri habendi ſint, qui expeditiſſimam ad atheiſmum viam commonſtrare videntur. Cadit planè in ejusmodi opera, quod ſigillatim de pudendis Theodori Mopſueſteni voluminibus, blasphemiarum & atheiſmorum plenis quinta Synodus œcumeni-

Theodoretus initio ſermonum de providentia.

Gregorius Thaumat. in Origenis laudat.

V. Synod. collat. 8. ca pronunciavit: *Cum in medium prolatæ sunt blasphemiæ codicibus insertæ, mirati sumus DEI in his potentiam, quod non divino igne statim incensa est lingua, & mens quæ hæc eructavit; & nunquam concessissemus procedere lectorem prædictarum blasphemiarum, pro sola memoria illarum indignationem DEI timentes, (utpote una quâque blasphemia, magnitudine impietatis antecedentem superante, & mentem auditoris funditus permovente;) nisi eos, qui talibus blasphemiis gloriantur, videremus indigere confusione, per manifestationem earum eis inferenda: Ut nos omnes zelo blasphemiarũ contra eum expositarum incensi, & in medio lectionis, & post ipsam, inclamationes & anathematismos contra Theodorum ut viventem & præsentem faceremus: propitius sis Domine dicentes, nec Dæmones ausi sunt talia contra Te loqui. O intolerabilem linguam illam! O pravitatem! O altam illam manum, quam extendit contra Creatorem suum! Scripturas scire miser ille pollicitus, non meminit Oseæ Prophetæ, dicentis: Væ illis quoniam exilierunt à me; famosi facti sunt, qui impii facti sunt in me, iniqua locuti sunt adversum me excogitan-*

gitantes locuti sunt (scripserunt) *pessima. Ideò cadent in framea, propter improbitatem linguæ suæ. Hic contemptus eorum in sinu eorum, quia transierunt testamentum meum, & adversus legem meam impiè egerunt.* Quanto vel ipsi gentiles ardore correpti sint ad librorum atheismo sordentium proscriptionem procurandam argumento est, quod Athenienses Protagoræ Abderitis libros [quibus divinitatem in dubium vocavit] publicè exusserint, autoremque è suis expulerint finibus. Ipsosque Tullii libros de natura Deorum, quod multitudine Numinum abrogatâ, atheismum inducere censerentur, à nonnullis quidem ob luculentiam verborum retentos, à plerisque tamen prorsus repudiatos, & dignos visos fuisse, qui publico edicto abolerentur, Arnobius * hunc in modum est contestatus: *Sed quid aucupia verborum, splendoremq́ sermonis peti ad hoc dicam, cum esse non paucos sciam, qui aversentur, & fugiant ejus libros, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum præsumpta vincentem: cumq́ alios au-*

Confer Lactant. lib. de ira DEI c. 9.

* *Arnobius lib. III. n. 5. conf. Lactant. lib. I. instit. c. 22. SC. adversus libros atheos & improbatæ religionis recitat Livius Dec. III. lib. 5. conf. August. l. VII. de C. D. c. 34. 35.*

os audiam mußitare indignanter, & dicere oportere statui per senatum, ut aboleantur, ne vetustatis opprimatur auctoritas. *Hi* (ut subdit Arnobius) *tametsi errore ducti, tamen* (intercipere scripta, & publicatam submergere lectionem) *rebantur justissimum, quippe pertinens ad defensionem divinitatis.* Testatur item Justinus decretam apud Ethnicos fuisse mortem contra eos, qui Hystaspis & Sibyllæ & Prophetarum libros legerent, quod inde everti ritus patrios & induci atheismum criminarentur. Sic Alexander Vates apud Lucianum Epicuri librum tanquam atheismi nefarii fermentum medio in foro combussit lignis ficulneis, ipseque Plato Poëtarum [de DEO indigna scribentium] volumina exterminari mandavit, eò quod latam atque expeditissimam atheismo parent viam. Quod si igitur damnificis umbrarum tenebris obnupta gens, tantam in supprimendis τῶν ἀθέων monumentis posuit operam fervoremque ostendit, quidni nos potius, in meliorem beatitatis sortem Servatoris beneficio genitos par vocatione nostra zelus verset & cogitatio, quo dignam christianis literatis in eradicandis pestiferis ejusmodi zizaniis diligentiam præstemus, eandemq; in profligando teterrimo illo monstro sequamur rationem, Majestati christianæ haud decorum reputantes, circa omnis boni aucto-

Justin. in apol. ad Anton.

Lucianus in Pseudomante, confer. Cleomedes lib. II. Cyclicor. theorem.

auctorem asserendum ea negligere, quæ profana religione imbuti pagani, in minimis Deastrorum suorum pseudo-sacris vindicandis tanta cura studioque perficere laborarunt. Optimi sanctissimique Numinis nostri venerationi pia hæc sollicitudo inserviat, ut gratos addictosque animos illi testemur, quod profanus atheusque furor è creaturarum suarum rationalium animis protinus ejicere, cujusque cultum ac venerationem sceleratè impiè ac sacrilegè profligare neutiquam veretur.

XV. Sublata igitur adulterina illâ, imò sacrilega plantatione, spurioque vitulamine exciso, h. e libris atheorum ad orcum unde provenêre relegatis, ea piè literatus studiosè sibi comparet, evolvat, æstimet magnorum virorum volumina, quæ ad salutarem DEI T.O.M. cognitionem ac cultum manu quasi ducunt legentes, Theomachos ab impietate sua revocare, atque è densissimis Satanæ tenebris erutos, lucis sempiternæ reddere queant claritati, è contra verò omnes sinceræ pietatis studiosos, tanto cœlestium rerum amore imbuere, ut eis cuncta sordeant terrena, totique divini amoris igne (sacro Spiritu faces subdente) inardescant. Et cum ea sit veræ fidei divinique amoris, pectora meliora inflammantis vis, ea Spiritus Sancti, affectus commoventis operatio, ut una cum illo Felicis ejusmodi Pieque Literati animum ardens proximi CHARITAS subeat, in-

gensque alios convertendi, & ad pietatem à profanâ vanitate ipſaque impietate atheiſtica deducendi deſiderium; hinc Doctor ſacro-ſancti iſtius amoris face accenſus omni curâ (divino accedente auxilio) laborabit, ut etiam alii ab exitioſæ illius ignorantiæ malitiæque atheiſticæ nebulis & peſtiferorum errorum tenebris liberentur, inque pietatis ſolidioris exercitiis magis magisq; proficiant ſodales ſvavi amoris cultusque divini incendio recreati. Nullum equidem argumentum eſſe arbitror, in quo verè θεοφιλὴς ſe & ſeculo hocce dignius operetur, quam quod atheis aut profanis literatis in viam revocandis impenditur, quod illos tenebrarum filios luci, lucem illis conciliat, eorumque ſalutem impenſius curat promovetque. Cum verò arduum adeò & grave hoc ſit opus, ut inter primæ notæ miracula ſit numerandum, ſi quis atheorum literatorum ad ſaniorem mentem redierit, [ſiquidem arctioribus vinculis eos robuſtus ille armatus teneat conſtrictos quam ut ea debiliori, quam divina eſt gratia & potentia vi perrumpi queant] cum inquam immenſæ prorſus difficultatis opus ſit tenebrionum illorum ad lucem Evangelicam converſio, hinc tantò fervidius DEUM piè literatus invocet, ut miſeros iſtos ab impietate ſua revocare, & pro immenſa bonitate ſua è duriſſimis Satanæ vinculis liberare velit, quo debitos DEO honores impendere atque ſem-

Conf. Epiſt. de eradicando atheiſmo p. 25. ſeqq.

ſempiternæ ſalutis aliquando compotes fieri poſſint. Non ſine fructu equidem ſingulari DEI cauſam adverſus atheos aget quilibet ſincerâ pietate & charitate præditus doctor, DEUM ſemper ob oculos habens καρδιογνώστην, omniaque dicta factaque ſua ad ejus gloriam ut primarium ultimumque finem dirigens, aſt pietati etiam *Curam* jungens *ſeriam*, ſummamque ſollicitudinem, quam veteres εὐλάβειαν dixêre, quæ ſcientiæ lumen adhibeat negotiis, abſtruſa penetret, revelet operta, illuminet obſcura, cunctosque DEO ſacratos hortetur ut dignam officio diligentiam præſtent, neq; incurioſi aut imparati ad tanti momenti negotium (ſcil. τῶν ἀθέων converſionem) accedant, ſed & veræ ſinceræque animi ſtudeant demiſſioni, hujusque virtutis pretioſiſſimo ſale ſingulas ſuas aſpergere laborent actiones. Memorabile Nazianzeni Saleſiiq; [inſigni lenitate ſua atheorũ quendam in viam unde exerraverat reducentis, ac pene abolitam DEI cognitionem perditæ illius animæ poſtliminiò imprimentis] exemplum alibi commemoravimus, oſtendimusque eos qui absque verâ hominique chriſtiano neceſſaria animi moderatione DEI & religionis cauſam ſint aggreſſi, in vanum plerunque laboraſſe, nec ſcopum præfixum feliciter aſſecutos fuiſſe. *Optimè ſaluberrimum illud* [ita olim in quâdam de atheiſmo eradicando epiſtola

Conf. vit. Saleſ. c. 3. vid. epiſt. de atheiſmo eradic. p. 33. ſeq.

scripsi,] *conversionis tractabitur negotium, si athei, vel de atheismo vulgo suspecti initio moneantur, ut praeposteram istam cogitationem excutiant, nec adversus DEUM, ipsam naturam ac propriam suam utilitatem dimicare pergant, quin potius certum eligant & verissimum, eos qui DEUM verè colunt contemplentur, quam exhilaratum habeant vultum, quam pacato ac quieto semper sint animo, quantum oblectamentum iis vera afferat religio, quam magna fideles repleat laetitia quod vero DEO, tam excellenti, tam bono & in omni genere infinito deserviant, impii contra, horrenda plerumq; & tetrica tristitia afficiantur. Igitur deinceps navigium suum h. e. se ipsos sapientius regant, ac firmissimè credant, revera DEUM esse, qui eos ad resipiscentiam saepius provocet, eaque propter illum non ut crudelem & tetricum apprehendant, sed potius summè misericordem, qui peccata sua confitentibus benignè parcat & sublatis conscientiae stimulis mentem pacatam iis restituat. Animum itaq; ad eum erigant, sublimius aliquid de divina ejus cogitent majestate, nec verae religionis lumen scelera detegere existiment ut cruciet.*

sed

sed vulnera aperire ut persanet, tantummodo pœniteant, quod tam detestando errore hactenus fuerint impliciti, nec deinceps ad eum revertantur. Quandoquidem verò hâc christianæ lenitatis viâ non semper ad optatæ conversionis metám deveniatur, imò multorum atheorum [literatorum cumprimis] pectora longè sint duriora, quam quæ veritatis cœlestis pietatisq; sinceræ cedant impetui, hinc non contemnendæ aut negligendæ, sed adhibendæ potius usurpandæq; aliæ sunt atheomastigum methodi, atque præstantiora artium ac scientiarum subsidia, quorum per magna in convertendis impiis illis utilitas esse videtur. Et cum athei literis imbuti ut plurimum profanis, potius philosophicis quam sacris & divinis nitantur decretis, hinc operam divinæ gloriæ zelo flagrantes doctores adhibeant indefessam, ut ingeniosâ aliquâ disputatione illos constringant, & tanquam alteros Goliathos proprio quasi gladio jugulent. Haud abs re Socrates olim scientias artesque liberales commendavit πρὸς τὴν γυμνασίαν τοῦ νοῦ, quasi mens iisdem ad majora subeunda corroboraretur, magisque scitè Basilius; *Sicut* (ait) *tinctores ut perfectum purpuræ colorem panno inducant, inferiorem alium colorem subtexere solent; ita se habere humanas scientias ad divinam sapientiam.* Notius est, quam ut prolixiori egeat

Conf. Epist. de atheismo eradicando p. 35. seqq. ubi de variis atheomastigum methodis prolixè disseruimus.

Basil. M. in orat. ad adolescentes.

geat demonſtratione quantum lucis rei Theologicæ ex diligentiori artium ac ſcientiarum tractatione accedat; quantum inventionis capitibus, ut totidem argumentorum domiciliis, quantum variis ſyllogiſmorum generibus [quibus nequiſſimis illis empæctis ora impudentiſſima obturamus,] ſit tribuendum; quam commodè apteque Dialecticæ beneficio ſingula adverſus atheos digerantur, membratimque retexendo, omnium quaſi ſiſtantur conſpectui. Meridiano Sole clarius eſt, neminem ad illam ſcientiarum Reginam ſapientiæ nomine digniſſimam, (Metaphyſicam intelligo) animum rectè applicare poſſe, quin cuncta tranſcendat, rerumque omnium quoddam admittat principium, bonorum omnium fontem, cauſarum ſupremam cauſam, præcipuum metaphyſicæ objectum. A primâ philoſophiâ ad naturalem tendentibus, duplicem atheos convertendi modum ſuppeditari [alium quem vulgus amet, alium quem doctiores & philoſophi ſequantur] alibi notavimus. Nec minus Geometriæ, Aſtronomiæ, Arithmeticæ, aliarumq; tum liberalium tum mechanicarum artium & diſciplinarum beneficio atheos ad agnoſcendam aſſerendamque tandem divini Numinis exiſtentiam adduci poſſe, Marius Merſennus quondam diffuſo illo opere demonſtravit, quod quæſtionum in Geneſin celeberr. titulo divulgavit. Si cui verò hæc per totius

Conf. Epiſt. de eradic. ath. p. 60. ſeqq. Mar. Merſen. qu. celeb. in Gen. à p. 15. ad 576?

us Encyclopediæ campum ſeſe diffundens atheos convincendi convertendiq́ue ratio nimis ardua prolixa ac operoſa videatur, eam eligat, cæterisque anteponat methodum, quam ipſe Sanctus Spiritus in Sacro codice oſtendit, ipſeq́ue uſurpavit, AB EFFECTO NIMIRUM AD CAUSAM, ſeu ab operibus ad opificem rerumq́ue omnium conditorem argumentatus. Optimè omnium Paulus divino dictante Spiritu oſtendit, quibus gradibus homo intelligentiæ lumen ſecutus ad æternam usque DEI potentiam ac divinitatem agnoſcendam colendamque deveniat. *Primo etenim animalis homo res conditas contemplans huc perducitur ut aliquem eſſe fateatur à quo hac omnia ſint condita, & cujus virtute adminiſtrentur; inde verò ad æternam ejus potentiam ac divinitatem provehatur neceſſe eſt, ſiquidem eum qui omnia condiderit, rebus omnibus conditis antiquiorem ac proinde æternum eſſe oportet; & incredibilis iſta vis, quæ tanta regenda moli ſufficiat, excellentior ſit neceſſe eſt, quavis aliâ etiam præſtantiſſima virtute, id ipſum eſt quod DEUM vocamus.* Conf. cit. epiſt. p. 65. Hinc etiam Juſtinus, interroganti olim, unde notum ſit eſſe DEUM aliquem? ſcite reſpondit: *Ex rerum quæ extent conſtitutione & perſeverantì diu-* Juſt. M. in Qu. Græc.

tur-

turnitate id intelligi: Non enim extarent ea, quæ extant, nisi ante ea DEUS extitisset, qui partes creaturæ omnes utiliter ex usu & commodo universæ creaturæ ordinarit.

Minutius Felix in Octavio.

Quid potest esse tam apertum (inquit Minutius Felix) cum oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infra circave lustraveris, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide quam late tenditur, quam rapidè volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem Sole illustratur, jam scies quam sit in eo summi moderatoris mira & divina libratio. Enim verò ut siquis Bibliothecam libraria supellectile instructissimam contempletur, in quâ structi foruli, libri in ordinem digesti, omnia tersa & munda, & aptè disposita, non est credibile quendam esse posse tam excordem, ut censeat hæc casu ita facta esse, & non potius hæc tribuat humanæ industriæ; At nulla est Bibliotheca tam aptè digesta, nec tam ornata ac locuples, ut posset ullatenus cum hujus machinæ structura & perfectione comparari. Ver æque cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata authorem suum parentemque testatur. Hoc inquam genus argumenti (quod præter Minutium alii etiam priscæ Ecclesiæ Doctores, cumprimis Athanasius & Au-

& Augustinus egregiè tractarunt) probè observet, ac sibi perquam familiare reddat quisquis in convincendis convertendisque atheis divino urgente zelo spirituq; operam collocare velit salutarem. Nec minus ipsi perspectum sit quomodo DEUS ratione sui non possit esse nisi Unus & Trinus; ratione loci nisi imensus; ratione temporis nisi æternus; ratione intelligentiæ omniscius, ratione operum omnipotens, ratione actionis optimus, maximus, liberrimus sapientissimus. Cumprimis autem circa demonstrandam atheisque inculcandam DEI unitatem totus occupetur philotheus, idque facilè evincet, si profanis illis sæpius revocet ad animum, imperfectionis maximum argumentum fore, si divina substantia multiplicaretur, cum nec individuorũ multitudo reperiatur nisi in rebus quæ sunt corruptioni obnoxiæ, quæque re ipsa intereunt, & partem sui quandam, ut propagatio fiat, prius amittunt. Cum igitur communi notitiæ repugnet ut vel in DEUM cadat corruptio, in quem ne quidem corruptibilis generatio cadere possit; nec ulla re DEUS indigeat, ullaque imbecillitate laboret, UNUS tantummodo sit oportet, nullum habens socium essentiâ diversum. Et cum ipso experimento satis dilucidè constet, supremam omnem potestatem esse consortis impatientem, consentientibus in id etiam omnibus sapientioribus viris apud Lactantium, quorum eâ de DEO effata circumferuntur:

Athanas. lib. advers. Gentiles. August. lib. X. confess. c. 6. & alibi. conf. epist. de eradic. ath. p. 68. seqq.

Lactant. lib. 1. Inst.

UN-

UNUS qui solus DEUS est
Unus profectò verus est unus DEUS;

Et si qui sapientes fuêre qui plures posuerint DEOS, ut de Platonicis & Plotino perhibetur, illi ministros solumDeorum intellexerint, quorum tamen unicus esset princeps, aliorumque author; cum insuper abunde doceat ratio, omnem legitimum ordinem aut ab uno esse, aut ad unum referri : ea propter tandem palam fateantur admirenturque necesse est illi damnificis umbrarum tenebris obnupti mortales præter sacrosancti Numinis existentiam, æternam etiam ejus & immutabilem UNITATEM. Atque ut tanto majus discrimen inter Theologos christianos & Philosophos veteres (philosophiam à fabulis & Poetis mutuantes, apud Homerum, Hesiodum, & Ennium, qui Deorum suorum natales, conjugia, progenies, imperia usurpata, obitus & sepulturas prædicarunt) deprehendatur, id etiam velut consequens fide & ratione docendum erit, DEUM immortalem esse, æternum, omnique ortu & interitu carentem, *Omnis enim* (ipso Lucretio canente) *per se Divum natura necesse est, immortali ævo summa cum pace fruatur.* Neque est quod diu pie-literatus hæreat ut DEUM quoque INTELLIGENTEM ostendat, cum DEI nomine nemo non quippiam eximium seu summè excellens concipiat, & inter omnes rerum gradus emineat gradus intelligentium

gentium; necesse igitur est, ut quantò illius substantia seu mens est omni alia purior, tantò perfectius ille intelligat, sicque cum nos multa offusi caligine, nihil sincerè perspiciamus, sed gradatim unum post aliud, varia per varias consequutiones deducendo cognoscamus, ipse intuitu simplici, nulla indigens ratiocinatione cuncta perspiciat, intelligat atque cognoscat. Præter hæc piè-literato atheomastigi laborandum est ut ostendat DEUM æque potentem ac scientem esse, adeo ut nihil uspiam reperiatur quod ejus virtuti non cedat, tanta etiam libertate præditum, ut à nullius cogatur arbitrio, nullius legem suscipiat, aut subeat potestatem. In promptu etiam sint oportet præcipua rationum momenta, quibus demonstremus DEUM res creatas omnes admirabili sua conservare PROVIDENTIA, & unam quamque earum ad finem dirigere sibi convenientem, imò sine providentia nec Deum Deum esse posse, cunctasq; res creatas istam Dei providentiã necessariò exigere, nec puncto quidem temporis durare posse, ni à conditoris sui vi atque potentia iisdem succurratur. Postremò in omnium quantum fieri potest τῶν ἀθέων animos à Theosopho christiano inducendum est, DEUM & in se beatissimum esse, & totius beatitatis authorem, cum ipsa dictet ratio, eum non posse non beatissimum esse, qui bonorum omnium fons sit, nullaque molestia turbetur, quod ipsi etiam agnove-

re philosophi veteres, DEUM ita felicem prædicantes, ut illius felicitati nihil neque adjici, neque adimi valeat, juxta id quod etiam de diis stoicorum dictum est apud Lucretium:

Lucretius l. III.

Apparet divinum Numen, sedesque quietæ
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat, semperque innubilus æther
Integit, & largè diffuso lumine ridet.

Conf. Epist. de erad. atheis. p. 112. seqq.

XVI. Quandoquidem verò melior longè atque sublimior THEOGNOSIA ex Verbo DEI revelato petenda sit atque haurienda, siquidem is, qui se rudiori in naturali lumine ac creaturarum speculo adumbravit, idem se in sacrâ Scriptura vivis expresserit coloribus; hinc cura studioque singulari dispiciendum, qua ratione irrefragabilis illius authoritas miseris ac infelicibus atheis ita poni possit ob oculos, ut documenta Verbo DEI revelata facilius illi agnoscere avidiusque arripere possint. Ac licet inter primarias authoritatis irrefragabilis notas, atque θεοπνευστίας criteria facilè præcipuum sit ipsius Spiritùs S. testimonium, seu vis ejus arcana, occultis aculeis fodicans corda legentium & audientium, omnique ratione potentior; ab ea tamen [ut alibi etiam monuimus,] in reductione atheorum haud quaquam faciendum initium, nec jubeantur expectare donec Spiritus S. in ipsorum cordi-

bus

bus imediatè de Scripturæ authoritate testetur; verum pressius urgenda interna cœlestis authoritatis indicia, utpote antiquitas Scripturæ infallibilis, cum nulla Religio vetustiorem Scripturam scriptoresque habeat quam Israelitica, & quæ eodem fundamento nititur Christiana, imò omnis liber quantumlibet antiquus, novus sit si cum Scripturæ antiquitate conferatur. Commendetur porrò admirabilis Scripturæ S. harmonia, & pulchra librorum omnium congruitas, quod licet non ab uno authore, nec uno eodemque tempore ac loco conscripti fuerint, sed à primo scriptore ad ultimum aliquot annorum millenarij interjecti, suavissimus tamen totius corporis concentus, & concatenata universi codicis παναρμονία ubique deprehendatur. Nec minus evidentissimum SACRORUM VATICINIORUM ostendatur complementum, cum disertis semper Prophetarum Sanctorumque hominum prædictionibus eventus exactissimè responderit, ijque de rebus longissimè absentibus & futuris tanquam de præsentibus imò præteritis sæpè sint locuti, nec unquā fefellerint. Quam maximè etiam urgenda sunt miracula quæ per Mosen & Prophetas in Veteri, Christum & Apostolos in Novo Testamento patrata, quorumque fama non ad gentiles tantum propagata, sed etiam cum illustriore gradu ad Ecclesiam essent vocandi apud ipsos verbo annunciato, miraculorum re-

Conf. Epist. de erad. atheis. p. 117. seq.

ſpectu fides eò facilius impetrata fuerit. Urgenda deniq; in arduo cum atheis literatis conflictu Sacri codicis inter tantos ſatanæ furores per tot annorum millenarios conſervatio, & ad noſtra uſque tempora propagatio, quamvis enim non ſemel, ſed iterum iterumque Orbis & orcus junctis quaſi copiis in ultimam doctrinæ hujus ſanctiſſimæ perniciem conſpiraverint, furensque dæmon in quasvis occaſiones intentus, totque damnorum regno ſuo per Scripturam illatorum memor, partim aperta violentia, partim operta fraudulentia protinus eam evertere laboraverit, ſalva tamen & ſuperſtes usque quaque manſerit, nec ad eam extingvendam omnium tyrannorum ſævitia vel ipſæ inferorum portæ quicquam valuerint.

XVII. Quodſi verò motivis hujusmodi occupatus profani literati animus, ſublimius aliquid & auguſtius de Sacro codice rebusq; in eo contentis cogitatione conceperit, omni curandum ſtudio, non ſolum ut exin ad ſalutarem SS. Numinis CHRISTIQUE Salvatoris cognitionem, ſed etiam CULTUM in verbo revelato præſcriptum, morumque corruptiſſimorum emendationem & correctionem ille manu quaſi ducatur. Colendus nimirum à literato ad pietatem converſo eſt DEUS velut ſummus omnium pater, cujus amore univerſa cohærent, omnisque ſtat rerum in Orbe compages, colendus eſt [inquit Agatho] quia Pater eſt juſtiſſimus, fortiſſimus, temperantiſſimus,

mus, ſapientiſſimus, colendus quia primum bonum eſt, primum verum & primum pulchrum, omnia avertens mala, omnia creans bona. Cane pejus & angue literato fugienda eſt fucata illa atque ementita religio quam ille petebat ab Apolline:

Jane Pater clare, clarè cum dixit Apollo
Lubra movet metuens non audiri, pulchra Laverna Perſ. ſat. 2.
Da mihi fallere, da ſanctū juſtumq; videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubē.

Apage inquā nefarium ejusmodi cultum, alius longèq; præſtantioris religionis vi ad DEUM attolletur eiq; conjungetur quilibet veræ Theoſophiæ candidatus, ſi ſcil. ad ſinceræ ſolidæq; pietatis [ſpreta profanæ doctrinæ & vitæ vanitate] culmen ac faſtigiū adſpirans, feriò deſideret petatq; mentem ſacro horrore præditam, & animum reverentem erga ſanctam DEI faciem, arcaniſſima cordium penetrantem, ſingulasque actiones, conſilia, imò verba etiam cogitataque minutiſſima obſervantem, neq; deinceps exiſtat rarus adeò parcusque (profanorum more) pietatis cultor & infrequens, ſtudioſeq; caveat ne eandem impietatis labem contrahat, quâ olim inſignis ille literator Joh. Sturmius fuit notatus:

- - - decemq; per annos
Sturmius in Templo bisve quaterve fuit;

Adhæc non ſolummodo de DEI natura cultuq;

doctè disserat, sed etiam ej⁹ observet voluntatē, vitam hanc fragilē inter preces, meditationes, & lectiones sacras consumat, id omni tempore agens, quod vellet novissimè, DEUM semper ob oculos habeat vindicem, omniaq; dicta scripta & facta sua ad ejus gloriam ut primarium ultimumq; finem dirigat. Licet enim DEUM è verbo ejus revelato literati etiam atq; etiam cognoscant, inque supremo Theosophiæ studio singulares faciant progressus, ast corda sua DEO subducant, totosque sese huic Mundo devoveant, mandatis cælestibus oblitis, & eorum obedientia excussa, DEI contemptores osoresqne impii vel ipso Christo judice habentur, qui eos meliores olim non ducet, quam puros putos atheos, apertosque gloriæ suæ hostes ac contemptores, usque dum scelestos suos mores studiosè correxerint. *Quemadmodum enim* [ita notanter alicubi Cyprianus] *bona opera profitentur DEUM, ita mala quodammodo loquuntur NON EST DEUS, nec est scientia in excelso.* Quid interest utrum DEUM neget literatus, aut infamet? Infamat autem maximè DEUM, qui pudenda vitiorum colit idola, ipsoque supremo Numine spreto divinum decus ad nequitias suas transferre non dubitat. Apud veteres unica manu quæ dextera esset ad osculum admota adorabatur Numen ne falsa esset Religio, aut Numen multiplex coleretur; Nos potius DEO vero nati sacra-

tique

tique cuncta detestemur factitia numina, caveamusque sollicitè, ne ore solo [ut Apostolus loquitur] DEUM profiteamur, *factis* abnegantes, & ne nuda duntaxat cognitionis præsumtione fascinati, in solo religionis nomine, solaque christianismi umbra acquiescamus, vera interim pietatis solidæ exercitia omninò negligentes. Falsò equidem literati [atq; Theologi etiam] dicuntur christiani, qui Christi vitam neutiquam imitantur, nisi fortè novo quodam nomenclatore vocetur atheus Ein Christ/ beanus ein Artist/ uti nonnemo belle est jocatus. Non solùm igitur cuilibet veræ consummatæque felicitatis candidato curâ singulari omnis omninò abneganda est IMPIETAS, verum danda etiam opera, ut primùm piè quidem vivat, tum sobriè, denique prudenter, pungenda & excitanda sæpius ipsi est conscientia, ut summum illud vitiorum & malorum omnium *Impietatem* scil. magis magisque execretur, soli pietati locum relinquat in animo, ejusque sincero captus amore, cunctas inanes profanasque vitilitigationes [impietatem ut plurimum generantes] omni ingenio studioque declinet. In nemine equidem literatorum fides veraque religio reperitur, nisi cujus cor Spiritus Sancti luce illuminatum ejusque virtute regenitum, DEO suo adhæreat unicè, & in ipso parta felicitate fruatur.

XIIX. Gema PIETAS est omni superior æstimatione, auro etsi non fulget, nihil tamen pro-

pterea ei decedit dignitatis, siq; vel ipso literario ornatu careat, non minoris fit à negotioso illo mercatore, qui nihilominus eam cunctis suis facultatibus duxit anteponendã. Et quanta sit veræ sinceræque pietatis præ sciendi acumine excellentia ac dignitas vel inde apparet, quod rudes sæpè indoctiq; illuc evolarint, unde doctissimi & perspicacissimi scientiarum omnium *Luciferi* excidêre. Sempiterno suo & irreparabili damno dæmon didicit sanctæ integritatis, & emunctæ subtilitatis notabile discrimen, postquam de supremæ felicitatis sede illustris ille, scientiæque omnigenæ facibus totus ardens & fulgurans angelus esset deturbatus, atque tenebrarum addictus imperio, qui stulto ambitu cœli dominium affectarat. Nec Lucifer solum, verum primus etiam homo ab ipso Orbis exortu expertus est, quantum detrimenti scientia solida virtuti pietatique nonsociata afferre possit. Quam primum scil. primævus innocentiæ nitor occidit, serpentis infernalis lenociniis interemptus, splendidum illud sapientiæ cœlestis habitaculum in vile & rusticanum tentorium transiit. Quid quod scientia virtute & probitate destituta nunquam fuerit stabilis & diuturna, sed brevissimam ut plurimum habuerit vitam, in ipsis vivendi exordiis suffocata? Licet quidam indolem habuerint ad literas planè factam, brevi tamen disparuêre, cum vitiis irrepentibus mentes

atque

atque ingenia eorundem corrupta & depravata fuissent. Sæpe autem eâ gloria DEUS pietatem literarum expertem decoravit, ut rudi sermone & solæcismis (dicente Theodoreto) philosophantium omnium argumenta eliserit. Et cum SS. Numen CAPUT à mortalium nemine, COR verò ab omnibus requisiverit, eo ipso innuere voluit floccipendendā esse omnem *ingeniosam* terrenamque sapientiam, ni probi cordis integritati ea fuerit sociata. Ut ut igitur indocta etiam pietas summo in pretio sit habenda, multoque melior literato probus existat; ille tamen omne punctū tulisse videtur, qui JUNCTAM CUM DOCTRINA SINCERITATEM possidere omni cura studioque laborat. Terque quaterq; FELICEM ejusmodi LITERATUM alterum quendam dixeris Baptistam, qui ARDERE simul & LUCERE desiderans, cum lucidissimis doctrinæ suæ RADIIS emittit spargitque ardentissimas etiam virtutis pietatisque solidæ FLAMMAS. *Ipse est LUCERNA ardens & lucens; Non ait Christus* (ita præclare in rem nostram Bernardus) *lucens & ardens, sed quod ante ardebat, dein lucebat. cum LUCERE solum videatur olere hypocrisin & vanitatem, verum ardere sit SOLIDÆ & VERÆ VIRTUTIS nota & indicium* Hoc autem charactere illi præ cæteris LITERATI sunt conspicui, qui de socianda eruditioni *Pietate* unicè sunt solliciti, primum Ipsi flagrantes, vivis divini Amoris flam-

Ioh. V.

Bernard. serm. in nativit. Ioh. Bapt. opp. Tom. II. fol. 102.

mis accensi, dein nobili sua lucentes doctrinâ, opeque cœlesti efficientes, ut alii quoque dulcibus flammis & suavi sinceræ pietatis igne accendantur. Ad summa quæque feliciter aspirabunt excelsi ejusmodi Doctores, cum non solùm PENNAS (scientias scil.) ad volatum extentas, verum etiam MANUS sub pennis ACTUOSAS habeant. Hi collectum & conquisitum è COELO pariter ac TERRA favum feliciter adeò distribuent, ut de illius MELLE pietatis vitæque cœlestis suavitatem haurire possint animi, de cerâ verò LUMEN doctrinarum iisdem suggeratur. Quidni par illud optime compositum, nimirum *copulata scientia pietas* ARCA DEI duobus ornata cherubinis posset appellari? Vèrè *osculatur cœlestis sponsus* talem animam *osculo sui ORIS*, atque genuinum intimorum amicorum suorum, ipsiusque sempiternæ beatitatis eidem imprimit characterem. *Cum enixè osculum* [ut scitè Bernardus] *id est Spiritum Sanctum invocet, accipit simul per eum quoq; SCIENTIÆ gustum, & gratia condimentum. Et benè* (pergit) *Scientia quæ in osculo datur, cum amore recipitur, quia amoris indicium osculum est.* Isti [Beda enunciante] sunt VERI LUCIS FILII; quin imò [ut cum Ambrosio loquamur,]

Ita scitè Bartol. in charact. lit. part. I. pag. 84.

Bernard. Sermon. VIII. in Cant.

Beda in Psalm. 18. Ambros. in eund.

mur,) *DEI IPSIUS, quibus pater cœlestis divinitatis suæ eructat arcanum*; sunt iidem ex Origenis judicio lilia fragrantissima, quæ veritatis candorem DICENDO præferunt, AGENDO autem purpuram vel aurum exhibent charitatis. Et cum pius quidem, sed literis carens homo oculo veluti altero destituatur, siquidem ad DEUM *cognoscendum* magnum scientia præsidium conferre soleat; nihil sanè non ille videbit, atque mentis suæ acie assequetur, qui utroque virtutis doctrinæque solidæ oculo sit condecoratus. Neq; verò gemina, aut contraria invicem objecta geminus iste oculus respiciet, sed instar unius videbit, multòq; acutius perspiciet omnia, rerumq; longissimè etiam distantium spatia accuratius multò metietur. Si cognitionis solidioris lumini, FIDEI sinceræ oculus accesserit, literatus utraque luce conspicuus, planè lynceus efficietur, imò effulgebit aliquando ut Stella in perpetuas æternitates, ornabit Civitatem auream veluti inæstimabilis pretii gemma, illisque Doctoribus sociabitur, qui olim sciendi pariter ac vivendi præstantiâ admirabiles extitêre, ad beatissimam tandem solisque fidelibus promissam adspirabit immortalitatem, affatimque Vitæ hujus, tot miseriarum turbinibus agitatæ brevitatem compensatam reperiet, ubi è seculi

Bartol. l. c. p. 87.

hujus tenebris atque infinitarum vanitatum abyſſo, in admirabile cœleſtis gloriæ lumen, optatiſſimumque ſupremæ felicitatis paradiſum fuerit translatus.



COM-



COMMENTATIO II.
DE
LITERATORUM HOMINUM FASTU
SIVE
SUPERBIA.

I.



LTER Satanæ Angelus, à quo ERUDITI HOMINES assiduè impugnantur, & (quod apprimè dolendum) frequentissimè superantur, SPIRITUS ELATIONIS est, pudendaque SUPERBIA, illa sævissima & immanissima bestia, quam Hipponensis Episcopus scitè AMOREM PROPRIÆ EXCELLENTIÆ definivit, Salomon verò divino dictante spiritu omnis peccati initium esse enunciavit, nec initium solùm, *verum* [ut præclarè Prosper addidit,] *finis etiam & causa, quia nullum unquam peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine* SUPERBIA. Quæ sicut origo omnium est criminum,

August. lib. II. de Gen. ad lit.

Prosp. de vita contempl. lib. 3. c. 2.

minum, ita (Isidoro monente) *Ruina omnium virtutum; Ipsa enim* (pergit) *in peccato prima, ipsa in conflictu postrema, mentem per peccatum prima prosternit, novissimè de virtutibus dejicit, inde & omnium peccatorum est maximum, quia tam per virtutes quam per vitia humanam* (præsertim eruditam) *mentem exterminat.* Cumq; superbiâ nihil sit im̃anius, hinc radicale illud literatorum hominum vitium præ cæteris juxta ipsius quidem Bernardi monitum fuit reprehendendum: *Primum* [ait] *vitium increpandum est superbia, unde DOMINUS præcepit: Increpa feras arundinis, id est mentes superbas, quæ feræ dicuntur quia sunt sylvestres ad DEUM, & feræ id est crudeles ad proximum.* Talis fera Literatus superb⁹ cũ plerunq; sibi spondeat maxima, suas tamen neutiquam respiciat vires, sed vanas imò insanas sæpè cogitationes in ea intendat, quibus est impar, altissima cupiat atque conetur; mirum non est si præcipitem quo constitit, locum neutiquam advertat, sed spissam animi incurrat cæcitatem. Quî enim fieri potest ut quidpiam videat, quamvis in artib⁹ literarumque studiis lynceos habeat oculos, qui ne UMBRAM quidem suam præ fastus & elationis caligine cernere valet. Si enim videret, non tan-

Isidor. lib. II. de Summo Bono.

Bern. To. II. Serm. 18.

tantam esse adverteret, ut alii sub eâ latere, vel cæteros ipse præ se contemnere opus habeat. Usque eò enim Superbia propriæque præstantiæ æstimatio & aliorum contemptus sunt contubernales, ut nullus unquam superbus turgidusque literator sit inventus, qui non idem hoc cœno, turpi videlicet aliorum contemptu fuerit maculatus, vanaque & inani opinione sui [quam fatuorum adulatorum sæpè adjuvat magniloquentia] tantoperè sufflatus, ut nutus annutus, renutusque suos jus quoddam esse sibi persvaserit, quo omnes obligentur; Adeò sc. magni & intolerabiles LITERATO SUPERBO sunt spiritus, iidemque tam pravi & pertinaces, cum tamen si intimè sese excutiat, nil nisi ipsam repertur[9] sit inanitatem. *Quam multos videas* (ita appositè scriptor perquam eruditus] *hujus farinæ sapientes, tumidos, superbos, tanquam globos ad perfectam geometriam exactos, vix uno terram contingentes puncto, adeò summis duntaxat pedibus eam libant affectata quâ carent doctrinæ specie planè ridiculi, qui ubi circumspexerint quam præbent sui pompam, Bucephalos putes, ephippiario stragulo tam gloriosè fulgurantes, ut tangi nolint nisi ab Alexandro.* Scitè admodum Petrus Blesensis; *Antiquus* (ait) *ille Cerastes duobus maximè cornibus*

Dan. Bartol. charact. lit. p. 128.

Petrus Blesens. Serm. I. in Adventum Dom.

cunctos

cunctos impugnare mortales solet, ELATIONE ANIMI & immunditia carnis. Validissimo equidem illo Elationis superbiæque ariete nunquam non Viros doctrina eruditioneque singulari conspicuos est aggressus, sumaque effecit tyrannide, ut libera aliàs ingenia miserrimam subierint servitutem, nec bonorum solum & donorum, sed vitæ etiam, famæ, æternæque felicitatis fecerint jacturam. Ut igitur maximum illud ruinæ literariæ, mundanæque fallaciæ elementum magis cognoscamus, cœlestique gratia adspirante eruditis omnibus persvadeamus, ut omni fastu abdicato, seriæ demissionis studio invigilent, vel impuro illo aëre quodammodo infecti, ad meliorem vitæ, christianæ scil. transmigrent regionem, initio Comentationis hujus INFELICES quosdam, fastuq; turgidos literatos, suis pridem sepultos tenebris ad vitam quasi revocabimus.

II. Exitiosa illa SUPERBIÆ peste cuncti olim laborarunt Gentilium Philosophi, solo ferè excepto Epicteto, qui ab omni fastu & arrogantia alienissimus, maximæ apud omnes existimationis & famæ extitit, & cum totius Philosophiæ summam duobus hisce contineri statuerit, ἀνέχου καὶ ἀπέχου i. e. *Sustine & abstine*, quantum sincera animi demissio curæ sibi cordiq; fuerit, egregiè comprobavit. Alia longè mens cæteris fuit Gentilium Magistris, quos fastus animique elatio ita inflavit & excæca-

coecavit, ut nec se ipsos agnoscere, nec aliis veræ philosophiæ documenta dare potuerint, qui imò prudentiorum sapientiorumque omnium sannis expositi fuerint atque irrisioni. In hunc censum cumprimis olim venit PALÆMON Grammaticus, postquam gloriatus esset secum natas esse literas, ac secum quoque morituras, publicas etiam obire vias mundique calamitatem lugere non dubitasset, eò quod post suum è vivis discessum Orbem eadem quæ prius exceptura esset ignorantia. Tumidæ huic prædictioni in tantum respondebat eventus, ut ad epitaphium mortuo scribendum nemo ullam adhibuerit LITERAM. Quo arrogantiæ morbo summoperè etiam laboravit Menecrates Medicus, amplissimam sibimetipsi statuam sive imaginem poni curans, nec aliam ab ægris mercedem requirens, quam ut servos se Menecratis confiterentur, & JOVEM Menecratem adorarent. Sic Cajus Nævius Comœdiographus non solum magnificè ubique ingenii sui monumenta prædicavit, verum tale sepulchro suo inscribi jussit epitaphium: *Immortales si flere fas foret, flerent Divæ Camœnæ Nevium Poëtam, qui postquam orci traditus est thesauro, obliti sunt Romæ latina loqui lingua.* Meritissimo equidem jure fastum tam execrabilem communis excepit derisio, commune opprobrium. Eodem elationis spiritu turgidus Agathocles peripateticus arroganter jactavit sese & solum & primum

Ælian. lib. XII. de var. histor.

Erasm. l. 8. Apophth.

primum esse omnium Dialecticorum; Q. Ennius, qui Homeri animam sibi obtigisse enunciavit, ipseque M. Tullius Cicero, *quem*, Plutarcho teste, *immensa gloriæ cupiditas perpetuò tenuit, quâ plurima ejus facta præclara, consiliaq; egregia frequenter sint interpellata*. Cum idem Romæ adolescentes plurimos eosque nobiles, quod se contra disciplinam militarem gessissent, accusatos defendisset; *elatus* inde, è Siciliâ Romam contendens, in Campania incidit in quendam ex primoribus, ex quo cum quæsivisset, quid de rebus suis gestis cives Romani sentirent? illeque nihil de iis sibi constare respondisset, mox animo concidit, eo quod mentio sui in Urbem tanquam in vastum pelagus delapsa, nihilo se ad gloriam reddidisset conspectiorem. Incertum est utrum Heracliti lacrymis an Democriti risu vulgique sannis dignior fuerit Alexarchus ille sui opinione Grammaticorum alpha, qui suam cœlum arbitrabatur scholam, auditorium stellas, præceptiones suas lucem; nomina, verba, pronomina, signa zodiaci totidem; se verò SOLEM ipsum, quo & dici volebat nomine, & pingi schemate, nec vacabat apud illum culpâ qui fixos in eum mitteret oculos, nec ejus perstringi videretur splendore. Hunc certè Tiberius Mundi cymbalum convenientius nominasset, quam Appionem & ipsum Grammaticum, suique admiratione ita tumidum, ut sensu planè vacuus

Plut. in Cicer.

vacuus evaserit. De Calliphane poëta memorat Athenæus, eum carminum & orationum diversarum initia ad tres tantum aut quatuor versus & conscripsisse, & fastu singulari pronunciasse, quo ab imperitioribus multiscius & eruditus videretur. Ac licet Empedocles non fictæ sed veræ doctrinæ, summæque eruditionis laude conspicuus fuerit, fastûs tamen & arrogantiæ morbo tantoperè laboravit, ut penè pro Numine se coli voluerit, imò Ætnam insilierit, atque medios sese conjecerit in ignes, ut in numerum Deorum translatus videretur. Quemadmodum & Themison Cyprius Hercules dici volebat, eòque nomine sibi rem divinam fieri patiebatur.

Athen. Dipnos. lib. I.

Fulgos. lib. 8. c. 15.

Cel. Rhod. lib. XI. Ant. Lect. c. 16.

III. Sed exemplorum ex gentili Orbe allatorum sit satis, ne prolixitas fastidium gignat, tristes potius quorundam Christianorum & pestilenti superbiæ sidere afflatorum Doctorum casus, horrendasque turgidorum Literatorum & Clericorum tragœdias intuebimur, in ipso Ecclesiæ doctiq; Orbis proscenio peractas; Lumina quædam eruditionis fulgentissima observabimus, quæ superbia fastuque procurante de cœlo lapsa, inque fatuos ignes sunt transmutata, postquam sc. novorum dogmatum, hæresum abominandarum, aliorumq; errorũ sive authores sive fautores singulares extitere. Triste ruinæ hujusmodi documentum post Simonem illum Magum dedit Marcion hæresiarcha, qui [teste

Epiphanio] ad magnam indignationem ac SUPERBIAM elatus orthodoxos hunc in modum compellavit: *Ego findam Ecclesiam vestram, & mittam fissuram in ipsam æternam.* Et revera [addit Epiphanius] fissuram immisit non parvam, non tamen Ecclesiam diffidit, verum se ipsum & eos qui ipsi obediverunt. Sic Tatianus Justini quidem auditor, ac singulare initio fuit noviter in Orbe gentili fundatæ Academiæ Christianæ ornamentum, post præceptoris verò [ut Irenæus tradit] martyrium magisterii præsumtione elatus & inflatus, ab Ecclesia recessit, atque cum Valentino & Saturnino hæresiarchis conspiravit. Novatum quoque fastu & jactantia inani tantoperè elatū fuisse ex Eusebio Nicephoroque discimus, ut sollicitè efflagitarit Ecclesiæ gubernationem, cumque miser ille TUMORE ET AMBITIONE immensa [ut scriptor notanter addit] correptus nihil egisset, in desperationem incidit, & ab Ecclesia se ipsum segregans, proprios cœtus cogere, & novam quandam post defectionem suam hæresim instituere cœpit. Nec minus pulcherrimus ille Lucifer Calaritanus elationis & contentionis spiritu urgente de Christianæ Ecclesiæ cœlo cecidit, magnaque concitata dissensione summum orthodoxis luctum intulit, atque incussit timorem. Quâ etiam labe turpiter pollutus hæresiarcha ille Nestorius, [Theodoreto memorante] *semper suam magis quam*

Epiphanius contra hæres. lib. I. hæres. 42. Iren. advers. hæres Valentin. & simil. lib I. c. 31. Euseb. lib. VI. Histor. Ecclef. c. 43. pag. 242. edit. Vales. Niceph. lib. VI. hist. c. 3. Socrat. l. 3. c. 7. Sozom. l. 1. c. 2. conf. Baron. ad annum 362.

quam Christi gloriam quærere studens, neque ingenuum illum & fructuosum dicendi characterem imitatus, qui hominum animos pascere posset; sed ad popularem auram declinando, & vanum populi applausum aucupando, instabile & abjectum vulgus ad sui desiderium concitavit; imò Socrate addente SE IPSUM OMNIBUS ANTECELLERE existimans, ex fulgentissimo sidere in fatuum ignem est transmutatus, inque pudendam illam erupit hæresin, quâ Mariam vocari vetuit DEIPARAM. Innumeros per omnia secula commemorare possemus doctrinæ christianæ professores, qui singularibus quidem dotibus instructi, ast abominabili illa peste tantoperè fuêre corrupti, ut semper ad altiora aspirantes, sibi & aliis temporalia æque ac sempiterna exitia, Ecclesiæ verò gravissima scandala attraxerint. Licet summus ævo suo Philosophus acerrimusque disputator fuerit PETRUS ABAELARDUS; Superbia tamen ejus fastusq; animi immodicus, (quo altiora se semper scrutari, Ariique Nestorii Pelagii & aliorum damnatos errores defendere, ipsumque D. Bernardum inanis philosophiæ captionibus supplantare cogitaverat) effecit, ut tantum non omnium odio expositus fuerit atque execrationi. Nec ipse quidem in calamitatis suæ historiâ ad amicorum quendam conscripta dif-

Theodor. epist. ad Sporad.

fiteri potuit, *inde graviorem se sustinuisse quorundam indignationem*, indeq; [quæ ipsiusmet * Abaelardi verba sunt] *calamitatum suarum exordia cœpisse, quod supra vires ætatis de INGENIO SUO PRÆSUMENS ad scholarum regimen aspiraverit. Et quoniam* (notanter addit) *prosperitas stultos* (literatos) *semper INFLAT, & mundana tranquillitas vigorem enervat animi, & per carnales illecebras facilè resolvit: Cum jam ME SOLUM IN MUNDO SUPERESSE PHILOSOPHUM æstimarem, nec ullam ulterius inquietationem formidarem, frena libidini cœpi laxare, qui antea vixeram continentissimè. - Cum igitur totus in SUPERBIA atq; luxuria laborarem, utriusq; morbi remedium divina mihi gratia, licet nolenti, contulit, ac primo luxuriæ, dein superbiæ, luxuriæ quidem, his me privando quibus exercebam, SUPERBIÆ verò, quæ mihi ex literarum maximè scientia nascebatur, juxta illud Apostoli, SCIENTIA INFLAT, illius libri quo maximè gloriabar combustione me humiliando.* Etenim quamprimum ejus de unitate

* *Petrus Abaelardus, Epist. I. quæ histor est calam. ejus, extatq; in init. opp. Parif. curâ Fr. Ambœsii editor.* 1616.

nitate & Trinitate divina tractatum, humanis & philosophicis rationibus refertum vidissent legissentque adversarii, crebris suggestionibus Remensem Archiepiscopum commoverunt, ut quendam sub nomine Concili celebraret conventum, ipsumque compellerent ut propria manu librum memoratum in ignem projiceret, quo facto IPSE [ut disertè ait] SUPERBISSIMUS, *nec acceptæ gratiæ memor, de sublimitatis suæ fastigio fuit dejectus, atq; divinæ pietati tandem vindicatus.* Itaque tristi suo Abaelerdus exemplo docuit quanti ponderis sit gravissima illa D. Augustini sententia, *quod scilicet acutissima & excellentissima ingenia tanto in majores utplurimum errores iverint, quanto præfidentius,* (superbia fastuq; urgente) *tanquam suis viribus cucurrerunt.* Magno suo periculo id ipsum ævo superiori didicit Hieronymus Cardanus; Is postquam satis temerè alicubi negasset se quicquam ab aliis inventum sibi adscribere, cum sufficiant sibi propria, atque de iis conqvestus fuisset, qui suppresso nomine inventa ipsius sibi vindicarent, omnes eos AMENTES vocavit, qui nescirent inventa Cardani talia esse, ut A NULLO INVENIRI potuerint, qui non jam fama egregia esset cognitus. Hinc jure meritoq; Superbiam Cardani & ingenium nominis auctoritatisq; desiderio flagrans perstrinxit Gabr. Naudæus,

Augustinus epist. LII.

Cardan. lib. VII. de rer. variet. c. 33.

Gabr. Naud. in Judicio de Cardano, seu præf. libro ejus de vitâ propriâ præfixâ.

dæus, in judicio quod libro Cardani de vita propria præmissum est; *Huc tandem* (ait ille) *redeo ut Cardanum ex intemperie quadam animi nusquam æqualis & compositi, absurda multa fecisse, & minime sibi in omnibus consentanea loquutum fuisse concludam. Scitum est enim melancholicos omnes, cujusmodi eum fuisse in dubio apud me non est,* SUPERBOS ESSE, *nimirumq; sibi blandientes, & elatos, quia melancholia cum halituosa sit, flatus illi ventosa faciunt ingenia, & magnarum rerum, ut nominis, honorum, auctoritatis, desiderio flagrantia, &c.* Neque verò præter rem hæc de Cardano Naudæum scripsisse argumento est, quod ipse in nono de vita propria capite fassus sit, sese frequentem *de nomine perpetuando* habuisse cogitationem. *Perpetuandi nominis* (scribit ibi) *rationem & votum tam citò inii, quam serò spectare potui - - Verum revocatus ratione ab hujusmodi desiderio, ut nihil inanius eâ spe, ne dum voto solo animadverterem.* Utinam à pestilenti illo desiderio omnes pariter revocati fuissent literati, ut nihil inanius ea spe votoq; esse animadvertissent! Utinam nostræ pariter ac superiorum ætatum homines quidam literati turgidorum antecessorum suorum periculis & casibus edocti rectius sapuissent, & dili-

gen-

gentius perniciosam illam principis tenebrarum evitassent catapultam, ne semetipsos, urgente elationis pudendæ spiritu exaltantes, amplissimamque de se foventes opinionem, turpiter à supremæ felicitatis, honorisque sempiterni fastigio decidissent.

IV. Prodeant è cineribus suis Literati plures, malorumque suorum (quæ fastu procurante incurrerunt) nobis, fide dignis usi interpretibus, Iliadem commemorent. Agmen ducat miser ille Simon Thurvajus Anglus, qui cum dialecticus esset acutissimus, & liberalium artium in Academia Parisiensi magni nominis Professor, ast scientiâ *quæ inflat* plenior quam eâ quæ ædificat, temereque in scholis jactitare non esset veritus, se totam Christi legem scire, sed improbando annihilare posse universam; ita oblivione subita fuit percussus, ut elementorum literariorum planè ignarus, ne quidem orationem Dominicam amplius pronunciare potúerit. Consimilem planè calamitatem olim quidam subiit cui nomen Colmanela, homo doctrinæ suæ scientiæque profunditate ita inflatus, ut summa quæque sibi de ingenio suo sit pollicitus; subitò enim omnem scientiam, ac si nihil unquam didicisset perdidit, spissæque ignorantiæ tenebris fuit involutus. Neque ignorantiæ solum, verum sempiterni exitii tenebras ob ingentem animi sui fastum (ut quidam memorant) incurrit subiitque famosus ille Do-

ctor Parisiensis, qui ex ipso feretro accusatum se; judicatum atq; damnatum multis audientibus est professus. Memorat ex Antonio Sen. Martinus Delrio in magicis suis disquisitionib⁹ circa annum Domini 1370. Neapoli in quodam Cœnobio non paucos comparuisse religiosos, qui uno ore sint professi se ordinis cujusdam famigeratissimi quondam Doctores fuisse, Baccalaureos & Lectores, ast ob pudendam anim sui elationem atque superbiam sempiternis flammis esse mancipatos, quo dicto diductis tunicis ardere visi, oculis vivorum sint subducti. Atq; ut evidentiora miseriæ hujus superbis paratæ literatis documenta producam⁹, memorabilem recensebimus cujusdā elati turgidiq; Theologi tragœdiā quam Joseph⁹ Acosta in suo de novissimis temporib⁹ opere, prolixiori stylo est prosecutus; Vixisse eum scribit in amplissimo regno Peruensi, ejusque penè unicum oraculum habitum fuisse, fastu verò impellente tandem eò fuisse adactum, ut de summis Theologiæ quæstionibus feminam à diabolo correptam consulere non dubitaverit, miracula deinceps patrare tentaverit, Angelumque sibi divinitus datum jactitaverit, cujus ope omnia quæ vellet disceret, imo ad DEI ipsius familiaritatem, & immedia-

Martinus Delrio disquis. Mag. c. l. 6. c. 2. Sect. 3.

Josephus Acosta lib. II. de tempor. novis. c. 11.

tum

rum colloquium pertingeret. Neque hæc ſolum ſuperbiſſimum & inſaniſſimum illum hominem pertinaciſſimè aſſeruiſſe, verum (ſatanæ ſuggerente angelo) enunciaſſe, conceſſam ſibi ſanctitatem ſuper omnes angelos & choros cœleſtes, cunctoſque apoſtolos, quin etiam (ſtupeſce qui legis!) oblatam ſibi à DEO unionem hypoſtaticam, ſed ab ipſo non admiſſam; datum quoque ſe redemptorem orbis quoad efficaciam (uti quidem loquebatur ſtultus,) eò quod Chriſtus ſolùm quoad ſufficientiam fuiſſet. Quinimò illum ad tribunal Eccleſiaſticorum vocatũ, ea libertate & facundia perditiſſimam ſuam cauſam defendiſſe, ut omnibus fuerit ſtupori, horrendumque dederit documentum, quo mentem eruditam adigere poſſet peſtis illa ingeniorum ſuperbia ſceleſtiſſima, quam ne imminens quidem ignis ſupplicium minuere potuiſſet, *cum enim* (ait Acoſta) *ad publicum ſpectaculum eſſet deductus, igne ob horrendas blaſphemias conſumendus, ſemper in cœlum intuebatur, ignem in Judices graſſaturum cœlitus expectans, uti quidem ipſi pollicitus*

 erat

erat diabolus ; atque ignis quidem nos nullus ex alto corripuit, illum verò redemptorem & novum legislatorem flamma ex immo rapuit atque redegit in cineres. Neque verò hunc ſolum nequiſſimum diaboli apoſtolum, atque ſuperbiæ deteſtandæ publicum in Peruenſi regno profeſſorem, verum etiam alios quoque eò INSANIÆ deveniſſe, ut Chriſto ſeſe pariter ac Moſi palam præpoſuerint, tragica Davidis Georgii, Henrici cujusdam Nicolai, (qui circa annum 1556. ejusmodi paradoxa Amſtelodami diſſeminavit,) & aliorum fanaticorum exempla, patrum cumprimis noſtrorum ætate docuerunt. Humanum planè ſupergreſſum modum fuit Alphonſi X Caſtellæ Regis ſuperba mens, & plusquam divina ſui confiſio, quam horrida tandem confuſio excepit. Profitebatur ipſe aſtronomum, ut quædam hinc tabulæ aſtronomicæ illius nomine dicantur Alphonſinæ. Quâ tamen in arte nec tantus nec tam potens erat, ut ejus humeris Cœlum Atlas auderet credere, absque periculo ruinæ, attamen cerebro ſuo tantum arrogabat, ut dictitaret ſi DEO adſtitiſſet cœlum componenti, & ſuas ſtellis ſcribenti periodos, meliori conſilio doctурum fuiſſe, quo pacto illum ſuum laborem ordinatius digereret, & proportionibus mutuis convenientius aptaret. Non potuit non offenſum cœlum in eum [qui os ſuum adverſus altiſſimum poſuerat] arcere fulmi-

fulmina, detraxitque DEUS homini coronam de capite, ut ex frontis venâ tanquam stulto sanando sanguis mitteretur. Domo enim pulsus ipsomet à filio & exul in terra aliena vivere desiit. Quo ipso Alphonsi ævo etiam vixêre hominum literatorum alii fastu animique pudendâ elatione ita excœcati, ut non verbis solùm, sed factis etiam turpissimis ostenderint, quantas sæpe lolium hoc pestilentissimum radices in mentibus eruditorum agere, quantoque contemptui Viros doctrinâ aliàs incomparabili conspicuos exponere queat. Paucissimi novissimis hisce temporibus in doctorum hominum inventi sunt cœtu, qui eandem cum Adriano Turnebo demissionis laudem reportarint. Is [ut Sammarthanus ait] licet totius Galliæ doctissimus fuerit, ad quem audiendum ab ultimis orbis partibus frequentissimi concursus instituti, attamen incredibili adeò modestia conspicuus extitit, ut semper vultum virginali pudore demissum gesserit, eoque ipso tanto magis singulos in sui rapuerit admirationem. Alium longe animum inflati illi turgidique literatores induerunt, qui fastus elationisque labe toti corrupti, tandem calamitates gravissimas & fulminantes miserias aspexere. Cum famosus ille Italus atque doctissimi Sigonii æmulus Franciscus Robortellus (scribente Johanne Imperiali) INGENITOS FASTUS deponere neutiquam voluisset, ad hæc alacer lite-

Sammarth. Elog. l.b.11. p. 46.

Jo. Imperial. in

literariæ inhiasset contentioni, tandem graves adeò elationis suæ pœnas dedit, ut Caroli quinti Imp. laudes funebri oratione persecuturus, in ipso dicendi exordio collapsus fuerit animo, sensibusque ita turbatus, ut coactam orationis segetem expandere haud amplius potuerit, sed perægris audientium nictubus, obscurisque omnium sermonibus fuerit exceptus. Paremque cum decessore hoc suo Robortello casum subiit doctissimus quidem, ast inflantis scientiæ cœno æque conspersus Joh. Faseolus Patavinus, utpote qui [teste Antonio Riccobono] in primis orationis prolusoriæ verbis defecit, ut sine orationis recitatione de cathedra descendere necesse habuerit, præsentibus Præsidibus, Rectore, magnoque auditorum concursu, cum turgidus orator verba protulisset sequentia: *Placuit Serenissimo Venetiarum Principi, placuit excellentissimo Senatui, placuit illustrissimis Gymnasii moderatoribus*; statim obmutuit, ita ut à jocosis juvenibus in multis scholarum locis sit perscriptum: *Per verbum PLACUIT, Faseolus DISPLICUIT*: Displicuit non eo quidem, sed immensi potius fastus nomine plurimis ævi sui hominibus literatis Johannes Baptista Marinus, qui multorum inde sibi intestina undique conflavit odia, plurimaque subiit & rerum & vitæ discrimina, cum sui adeò amans, jacta-

Museo Histor. fol 61. 62.

Antonius Riccob. Lib. II. de Gymnas. Pat. c. 46. p. 52.

Jo. Imper. l. c. p. 156.

Jactabundus, procaxq; in cæteros fuerit, ut unáquamque scriptionis poeticæ formulam, vel selectiorem paulò sententiam aliorum prognatam studio, sibi tanquam Caballini fontis vindici protervius arrogare, ac pro novo quodam Musarum parente geniique datore sese venditare non dubitaverit.

V. Ejusdem farinæ inflatos turgidosque literatos plurimos in Pinacotheca sua Janus Nicius Erythræus atro notavit carbone, variasq; Doctorum superborum ideas Orbis conspectui exposuit. Illos inter Johannes quidam Ciampolus Florentinus, qui (teste Nicio) omnia scientiarum ac disciplinarum genera in sua supellectili numerarit, philosophiæ ac poëticæ facultatis Dominus ac magister supremus haberi voluerit, nec affirmare dubitaverit multa in philosophia se reperisse Aristoteli ipsi incognita, doctrinam ac methodum ejus veluti hominis ignarissimi prorsus rejecerit, in versibus autem faciendis tantum sibi tribuerit, ut omnes qui ante ipsum scripsissent, tum Etrusco tum latino sermone rudes & agrestes vocarit, omniique verborum ac sententiarum robore destitutos. Virgilium verò ac Franciscum Petrarcham eo nomine felices

Jan Nicius Erythræus Pinacoth. Vir. illustrium p. II. num. XIX. p. 63.

Thraſo ille appellavit, quod tot ſeculis principes poëtarum habiti eſſent, cum nihil in eis niſi humile & vulgare inveniretur, nec comparandi quidem eſſent ad eos, qui ſua ætate florerent, puta ſe paucosque alios priſcis illis longè eſſe anteponendos. Quo ipſo etiam inſanæ mentis æſtu eodem Erythræo memorante ita abreptus fuit Antonius Maraffa, ut optimè cum iis actum eſſe judicarit, quibus ſive natura, ſive error eam mentem injeciſſet, ut ſe in aliquâ arte eſſe OMNIUM PRIMOS exiſtiment, licet digni non ſint qui in poſtremis numerentur, nam iis ſolis benè eſſe, & quanquam aliis deridiculo ſint, ipſos SIBI plaudere, & ex eo quod didicerint, cum ad id quod eſt in eo ſummum atque perfectum perveniſſe ſe credant, voluptate omnium maxima perfundi; cumque cognati ejus amicique curâ ſingulari iſtum morbum expellere ſtuduiſſent, graviter illos incuſavit, quod ſummam ſibi voluptatem extorquere, & gratiſſimum mentis eripere vellent errorem. In pariter abſurda dicta tractus fuit Johannes Franciſcus Carretonius qui multis audientibus ſæpè gloriatus eſt, perfectu-

Idem Erythr. Pinacoth. ſ. II. n. 45. p. 145.

Idem Erythr. d. l. part. I. n. 93.

fecturum se, ut omnes intelligerent, neminem eorum qui viverent majore quam *ipsum* eloquentiæ cæterarumque virtutum instructu, apparatuque ornatum, ad scribendã historiam accessisse, *sed tam magnificum dictũ* (scribit Nicius) *utpote plenum vanitatis ac spiritus tenues abiit in auras nec adhuc annalia, quæ nemo unquam est inspecturus apparent.* Alexandrum Tassonum etiam tam elato turgidoque ingenio fuisse idem perhibuit, ut Virorum poeticæ facultatis laude clarorum opera ad suæ censuræ rationem normamq; redigere non dubitaverit. Talem insuper elatæ vanitatis utrem qvendam Dichæũ nostro ævo vixisse ex ejusdem scriptoris indicio constat, qui nihil non omiserit, quod à superbi hominis moribus esset alienum, sive ad lævam sive ad dextram se flecteret, sive sursum, sive deorsum moveret, sive aliquo accederet. sive inde recederet, semper sui similem fuisse inventum. Sed & ipsum Trajanum Boccalinum istâ Superbiæ culpâ neutiquam caruisse hominemque revera inflatum ac tumidum extitisse, qui plus aliquanto sibi tribuerit quam veritas

Idem l. c. n. 110. p. 185.

Id l. c. n. 122. p. 117.

Id. num. 149. p. 271.

tas & ratio concesserit, Nicius collegit ex eo, quod gloriatus sit novam à se viam repertam, quam philosophiæ cúpidi sequantur, non salebrosam, & sentibus obsitam, sed placidam voluptuosam, amœnam, floribus herbisque depictam, vel potius SE philosophicarum rerum acorem insvavem ac molestum, lepidis ac prædulcibus inventis tanquam saccaro condiisse, ac bolum conflasse dulcem simul acidumq;, qui satietati fastidioque medeatur, gustuique præter modum jucundus, impura & immunda secernat & depellat, quâ tamen novâ philosophiæ methodo sepositâ spretaque, Bocalinus novam in Parnassi vertice civitatem duxerit instituendam, cui præesset Apollo, apud quem tum literati omnes de suo jure inter se contenderent, tum principum privatorumque acta examinarentur. Et cum librum scripsisset, cui lydii lapidis nomen indiderat, quoque ostendere conaretur, Regis tum omnium maximi ac potentissimi opes ac vires non ita magnas esse ut hominum ferret opinio, sed facilè deleri posse, si quis alius Rex ad eas infringendas labefactan-

Conf. Erythr. pinacoth. III. n. 59. p. 223.

factandasque accederet; die quodam Venetiis ubi se maximè tutum fore speraverit, ab aliquot militibus circumventum, sacculisque plenis arenâ ita contusum, commitigatumque fuisse, ut ex ea verberatione supremum obierit diem, nec ipsum Apollinem (cui summum rerum omnium arbitrium tribuebat,) ab eo infortunio incolumem illum præstare, nec perficere potuisse, quin styli aculeati pariter ac superbiæ ingentis graves adeò horrendasque pœnas dedisset. Quas si non hac, tamen alia ratione incurrit Angelus Angelotius, tanto quondam pollutus fastu, ut pro omnium sapientissimo, communique Magistro ac Domino voluerit haberi, cæterum ita loquax, ut iis, quibuscum una esset, nullam sermonis partem duxerit relinquendam, quâ ipsâ de causa (sæpè laudato Jano teste) communi omnium odio atque indignationi fuerit expositus. Agmen notatorum ab illo literatorum turgidorum claudat Raphael Menicuccius, qui fastu im̃odico urgente, in extremam adeo mentis insaniam incidit, ut crebris jactare sermonibus solitus

Id. p. I. Pinac. n. 158.

Idem. part. I. Pinac. n. 160. p. 296.

fuerit, nominis ſui famam iisdem quibus terra definitur cæli regionibus contineri; nullam eſſe toto Orbe terrarum gentem, ſive humanitate ac literis præditam, ſive morum feritate immanem, ſive lingvæ nobiſcum ſocietate conjunctam, ſive ejusdem à nobis varietate diſſidentem, quæ eſſet expers EJUS NOTITIÆ, nullum eſſe in terris locum, ſive propinqvum ſive remotum, ſive celebrem ſive ſolum, quo NOMINIS SUI FAMA non permanaſſet; nullum eſſe Regem, nullum Imperatorem, nullum Dynaſtam, qui incredibili ſui videndi cognoſcendique cupiditate non flagraret, & Idalianem neſcio quem inprimis nominabat, quem Regem Maurorum ajebat eſſe longè potentiſſimum ipſius amore mirificè captum, ſed neminem frequentius in ore habebat, quam Magnum Mogorem, quo nullus eſſet in toto Japone clarior; iis adjungebat Sinarum Imperatorem aliosque plurimos, qui nominis ſui fama permoti certos ad ſe mitterent homines, qui ſuis ipſi verbis ſalutem plurimam dicerent, munera traderent, atque ipſos quoque adſe venturos fuiſſe,

fuisse, neque itineris longitudinem periculi & incommoda recusaturos, si per bella licuisset. Et ne splendido aliquo titulo ea stultitia careret, spretis ac repudiatis cæteris hominum literatorũ appellationibus, Comitis cognomen accepit, seq; ab omnibus Comitem Menicuccium appellari voluit, cum omnibus habens gravissimam de loco honoratiori contentionem, postulans scil. ob tam insignem gloriam apud exteros partam anteferri præponiq; omnibus. Advenienti sibi omnes assurgere, deque via cedere jussit, ingredienti ad lævam incedere, multaque adeò inepta adeò ridicula ex insano illo patravit tumore, ut communi tandem omnium contemptui, communi opprobrio fuerit expositus, fumo tandem miserè excruciatus, cum in loco quodam editiore prandium capere statuisset. Verum longè clariora Cæli Literarii sidera nostra etiam ætate fumoso illo fastu ita fuere obfuscata, ut gravissimam apud prudentiores melioresque meritò incurrerint reprehensionem. *Sic Nobilem illum Claudium S. Virum in omni literarum genere eminentissimum, ac sine con-*

Octav. Ferrarius in literis ad Lector. quas posteriori librorum de Re Vest. parti præfixit.

troversia hujus ævi summum fuisse Octavianus Ferrarius judicavit, *sed qui quæsita meritis SUPERBIA immodicus sui æstimator extiterit, aliorum contemptor, omnisq; sententiæ, cujus ipse author non esset, inimicus.* * Richardum etiam Montacutium Anglorum doctissimum NON SINE FASTU contra

* In Cimeliis literariis P. Colomesii pag. 99. leguntur seqventia : M. Vossius m'adit, que Messieurs Gaulmin, Saumaise & Maussac se recontrans un jour à la Bibliothéque Royale; le premier dit aux deux autres, le pense que nous pourrions bien tous trois tenir teste a tous les sçavans de l'Europe. A quoy M. de Saumaise répondit, loignez à tout ce quil y a de Savans au monde, & vous & M. de Maussac, je vous tiendray teste moy seul.

H. e. *Vossius mihi narravit, quum quodam die in Bibliothecâ Regiâ Gaulmyn. Salm. & Maussacus sibi invicem occurrissent, horum priorem ad reliquos duos dixisse, puto nos tres omnibus qui in Europa vivunt Eruditis paria facturos; cui Salm. reposuit, vos duo jungite vobis quicquid in universo Orbe terrarum Eruditorum reperitur, & ego non dubito me solum opponere omnibus.*

contra Bulengerum Baronii defensorem in arenam descendisse quidam sunt conquesti, eumque doctrinæ laudes impotentis animi fervore decoxisse judicarunt; *Hypercriticum illum* (scribit nonemo) *ferme se probasse nemini, ipsisq; popularibus suis bilem movisse, eo quod mox perstringere mox defendere Casaubonum, Baronium pari modo nunc in astra laudibus evehere, nunc projecta viliorem alga conculcare non dubitaverit.* Hunc etiam in censum quidam putant esse referendū Mosen Amyraldū quem tanti honorē suum fecisse Gvil. Rivetus prodidit, ut cum à pio aliquo pastore admoneretur, ut in posterum à turgidis contentiosisque suis dissertationibus abstineret, subinde repetierit. *Quid ergò de meo honore fiet?* Imò præter Rivetum alii professionis ejusdem socii ægrè tulerunt, quod DEO & scriptoribus Sacris tot sua affinxerint verba, suisque loquendi formulis propriis, potius ingenii commenta, quam illustrata Sanctorum Apostolorum Theopneustorumque hominum monumenta dederit, sicq; non levem fastus cujusdam superbiæque latentis fecerit indicinam. Deniq; & Joh. Cameron. in eodem luto hæsisse documento est, quod laud. Riveto teste in sui amatores & admiratores (qui pronis auribus dicta ejus excepissent) se totum infudisset, persuasumque fecisset studiosis, haud rectè hacte-

Confer. Tribbech. proleg. ad exercitat. Anti-Baron.

Gvil. Rivetus epist. Apol. p. 117.

nus Theologiam tractatam, ut verò ejus veram haberent medullam, SE EFFECTURUM, ostensurumque ea quæ alii Doctores videre nequissent. Nulli dubitamus literatos quosdam etiamnum reperiri, fastu arrogantiaque imensâ suppares memoratis huc usq; gentiliũ pariter ac christianorum pseudo-magistris, quinimò ipso Alexarcho & Palæmone [quorum supra mentio facta] turgidiores, qui velint ut montes reliqui sibi cedant velut Olympo. SOLI scil. ipsi (ad Alexarchi exemplum) Mundi SOLES volunt haberi, illuminandis obscuris nati, & obtenebrandis sua nimiâ luce splendidis. Flores hujusmodi homines se esse putant omnium tempestatum, nunquam marcescentes. Quorum imaginem qui volet, fumum pingat ingentem, qui quanto se altius ad nubes tollit, tanto inflatur tumidius, & magis se voluminibus diffundit, picturam porrò hoc animet lemmate: *Quanto grandior, tantò vanior.* Seipsis enim magis pleni dicam an vacui, nunquam minus fideles agent felicesque aliorum instructores, quam dum nimii rerum suarum æstimatores existunt. Tunc potius laudabuntur colenturque ab omnibus, si nihil se possidere fateantur, cuncta animi sui dona bonaque DEO soli ferant accepta, caneque pejus & angve omnem animi fugiant ELATIONEM.

L. Vives de causis corruptarum art. l. 1.

VI. Non abs re Ludovicus Vives fastum literatorum sive perniciosum illum animorum eru-

eruditorum tumorem esse statuit palmariam corruptarum artium & disciplinarum causam; *Dum scilicet Philosophi* [ut notanter illi scribit] *cupidine proferendi nominis nihil veriti sunt absona commentari, & à receptis opinionibus longissimè recedere. Unde & in historia tot mendacia, quum arbitrarentur occupata esse à prioribus vera, & sibi scribendi materiam præreptam, seque nullo in pretio futuros si eadem recenserent cognita jam & pervulgata. Ita quo magis legerentur & placerent, & admirabiliores forent in vulgus, fortiter sunt de Ægyptiis, de Assyriis, de Persis, de Græcis, de omnibus nationibus mentiti.* Et cum idem morbus olim mirificè Græcorum vexarit ingenia, ut quidam videri voluerint nihil omninò ignorasse, [ut Gorgias, Protagoras, Hippias, Prodichus, Eutydemus, Dionysodorus & alii,] atque cujuscunque quæstionis extemporaneam solutionem promittere non dubitarint; nemini mirum videbitur, quod vitio turgidorum ejusmodi inflatorumque literatorum optima tum loquendi tum scribendi commentandique ratio sit enecata. *Utinam verò* (addit laudatus Vives) *intra Græciæ fines vitium hoc constitisset, & non ALIAS quoq; invasisset NATIONES! Cæca est ARROGANTIA*

Idem all o fol.

(literatorum) *& quocunque intendit per confidentiam atque impudentiam temerè grassatur. In SUPERBIA hâc alii magna illa & admirabilia tenere ipsi sibi persuadent, vel pravæ naturæ vitio, vel quod quum id vident esse spectatoribus persuasum, ipsi judicio illorum de se acquiescunt. Alii non tam scire se arbitrantur, (neque enim se norunt) quam id aliis creditum esse, ac certam cupiunt. Priores incredibili se progressu in disciplinis fraudant, quum contendere supersedent, quo se jam pervenisse arbitrantur; de quibus gravissimè Seneca : Puto inquit multos ad sapientiam potuisse pervenire, nisi se jam crederent pervenisse : Posteriores quacùnque via & ratione queunt ostentare opes suas, augere in majus ac melius fucum denique occulis intuentium facere laborant, nihil tacitò conscientiæ testimonio tribuere. Quæ ipsi sciunt* [en expressissimam literatorum superborum imaginem!] *OMNIUM PRIMA & potissima volunt credi. Quæ alii, infima, sæpe etiam evitanda, atque aversanda. Nullus est cujusquam artis adeò mediocris aut humilis quoque ac vilis professor, qui si sit SUPERBUS, non illam aut præcipuam omnium*

omnium censeat, aut non certè existimari petat, ac contendat, illudque adeò moribus est receptum, ut efferre quemq́ artem suam & laudibus cœlo æquare, etiam aliis omnibus anteponere, licere, ac pium esse arbitrentur. GRAMMATICUS se unum putat sapere, desipere reliquos; PHILOSOPHUS reliquos miseratur ut pecudes; JURISCONSULTUS alios omnes deridet; THEOLOGUS despicit, non quod se cæteras artes ignorare dicant, aut præ se ferant, imò nihil cunctantur confirmare, sua illa una disciplina reliquas universas præstantius claudi ac contineri, quam in libris eorum qui de illis nominatim tradiderunt. L. Crassus apud Ciceronem omne disciplinarum atque artium genus cognitione juris contineri asseverat, & quidem si DIIS placet libello XII. tabularum. Hoc idem nostri Jurisconsulti habent persuasissimum. Grammaticus totam philosophiam quam latè se diffundit historicorum & poetarum libris contineri autumat, quos cum habeat in manibus, nihil sit quod Aristotele aut Platone indigeat. Videlicet hoc est SUPERBIÆ ingenium, quantum valeat sibi arrogare, atque ad eum

se modum componere, ut nulla videatur re carere, qua quidem pulcra esse & magnifacienda videatur. Hinc igitur effusæ illæ piedoctorum lacrymæ, hinc pudenda artium & disciplinarum corruptio, quæ nonnisi Davo illi [h. e. *Fastui*] cuncta perturbanti suam debet originem. *Idcircò videas falsissima ac absurdissima in omnibus artibus asseverari ab iis, qui illas violentè exprimunt ab authoribus, qui aliquid earum obiter & quasi aliud agentes attigerunt, non ad exactam illam censuram, sed ad eam ad quam opus suum aptabant.* Ita egregiè Vives, qui eodem loco alium corruptionis pessimæ, fontem indigetare volens, aliud quoq; superbiæ literariæ fastusq; immodici genus est execratus, quod sc. pestifero velut afflatu suo non artium solùm & literarum bonarum studia, verum nobilissima etiam & præstantissima ingenia vitiare, atque maximos quosque impedire soleat profectus; *Dum alii* (en Vivis sapientissimi verba !) *ab aliis NOLUNT DISCERE, vel quia se DOCERE potius credunt posse, quam debere discere; vel quia dedignantur aut pudet ne se inferiores fateantur, aut alii credant.* Puduit (pergit) à superioribus doceri, qui nullos volebant fateri superiores se, qui postulabant credi absoluti in omni sapientiæ

gene-

genere; Puduit à paribus, multò magis ab inferioribus & vulgo hominum, à quo tamen quæ ad opificia & encyclopædiam pertinent, fuerant roganda -- Si ea SUPERBUS erubeſcit doceri, quæ erant vel à doctis vel à plebe audienda, qualia oportet exire, quæ is de rebus hujusmodi pariat, quam prava, manca, confuſa, perturbata, quàm monſtroſa, ut magis legentium mentes perturbent ac confundant, quam inſtituant & illuſtrent? At ſaltem bona ſpes eſt, dicet aliquis mutaturum eum ſententiam, & deprehenſo errore rediturum in viam, admiſſurum meliora & traditurum. Verum admonitioni cuicunque ferocem ſe Superbus præbet, *& contra benè monentem conſurgit ut rabioſus canis* : vel quia inferri ſibi aliunde lucem poſſe non putat, vel quia ſi illata credatur, ignominiam eſſe cenſet; contradici ſibi injuriæ loco deputat. Quem ergò errorem ipſe utcunque mutaret abs ſe deprehenſum? Si alius indicet, magis infigitur & pertinacius; Quicquid ſemel animo collibitum eſt defendit, ne diſcedere à ſententia exiſtimetur: Quod ſi ipſe errorem ſuum quandoque deprehendit, ita corrigit, ut majorem habeat rationem exiſtimationis ſuæ quam VERITATIS: Non omninò ſe prius falſum, nec prorſum eſſe in alia opinione; benè ſe antea ſenſiſſe, nunc melius, & terſius. Prætexit ætatem ſuam, aut occupationem, aut tempus, ne culpa videatur fuiſſe

NB.

fuiſſe in ingenio, cujus unius laudem ambit, ſed in opportunitate ad benè ſtatuendum. Unus Aurelius Auguſtinus, Vir tantus, *Retractationum libros* reliquit ſimpliciter ac bona fide, quem nullus eſt ad hoc tempus imitatus, videlicet manſueto Vir ingenio & modicè de ſe ipſo ſentiente. Iſti noſtri (literati) faſtu & SUPERBIA turgidi, inverti ac corrumpi malunt, quod non ignorant verum eſſe, quam videri erraſſe, aut fuiſſe à quo monſtrari illis aliquid potuerit, & tanto admonitionem ferunt acerbius, ſi quæ dixerint literis conſignata evulgarint. Optime autem hinc Vives concludit, artes maximam plagam à faſtu accepiſſe & ſuperbia, quæ non pertinax ſolùm & obſtinata; verum etiã præceps eſſe ũt plurimũ ſoleat. Nec minus præclarè ſæpè laudatus Bartolus, præcipuas arrogantiæ literariæ cauſas atque rationes redditurus, notisque & characteribus ſuis Doctorem ſuperbum exhibiturus; Primò (*ſcribit*) ſua cuique quantumvis exigua, nunquam non magna ſunt. Privati amoris ſpeculum concavum pro pilo truncum illi reddit & pro culicibus pegaſos. Hunc rerum ſuarum qui cupit judicem, eas æque magnificè prædicat ut olim ſe ſuaque Clitus ille, qui naves Græcorum tres à ſe depreſſas ut vidit, perinde efferebat ſeſe ac ſi fuga-

Bartol. in character. Hom. liter. p. II. p. 265. ſeqq.

Plut. orat. 2. de fort. Alex.

fugatus Xerxes esset, injectique Oceano compedes; quin etiam se Neptuno potentia parem existimans, semper exinde Neptunus vocari voluit. Quæ causa lunam terra quadragies minorem Soli nobis æqualem exhibet, terrâ centies quadragies majori? Nisi quod Luna quo terræ propior, hoc major oculis apparet; Sol è contra ob longinquitatem immensis ab ea spatiis disjunctam ideo minor à nobis conspicitur: Similiter quia nemini quicquam vicinius quam suum cuique, hinc majus semper & mirabilius alieno se nobis ostentat; alienum verò quod extra nos est positum & à nobis longinquum, propè oculos fugit. Deinde gryllos quis dubitet formicis compositos gigantes putare? qui pauxillum id quod scit ex eo metitur quod novit is qui nihil didicit, putabit se ex ea nimirum comparatione literatissimum. Qui Athenas petebant studiorum causa, eos dicebat Menedemus illuc magistros ire, discipulos ibi fieri, inde redire imperitos, non modo quod quanto severioribus calculis computabant quæ scirent, tantò plura esse deprehenderent

quæ

quæ neſcirent; verum quia in illo Academiarum flore ex Orbis totius ingeniis delibato, tam multos & tantos audiebant, ut iis comparati profiterentur ſe nihil ſcire. Hâc arte Socrates Alcibiadis ſui faſtum ſapienter depreſſit, qui hæreditario tumens cenſu & immenſis præterea auctus fortunæ opibus pro cive monarcham ſe ferebat: Geographicam illi objecit tabulam, ubi Europa primum indicata, dein Græcia, in hâc Athenas vix tandem reperit: in quibus, ageſis, & tua mihi oſtende palatia & tuam illam agrorum infinitatem vaſtam; hæc ſi locum in mundo non habent, qui poſſunt tibi ſpiritus afflare hominum omnium contemptoris? qui ſe velut ſtellam magnitudinis primæ circumſpicit, ne ſe cum minoribus componat, obvertat in Solem oculos, ſuamq; mox ſentiet cum luce ambitionem vaneſcere. Tertiò arrogantiæ eſt minimè ferendæ ubi magnus es inter multos, velle eſſe de majoribus unum, & inter majores maximum. Quam olim Pompeii ſuperbiam damnabat odio ſuo Roma, *qui ut* *Vell. l. 2.* *primum Rempublicam aggreſſus eſt, quemquam*

quam animo parem non tulit, & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. Excellas quamlibet in omni genere literarum, Phœnix non es, nec princeps mobile; quod suo impetu minores globos circumagat. Nemo tam multa scit, ut præter ipsum alii nihil sciant, ausitque iis illud Caiphæ exprobrare: *Vos nescitis quicquam.* Non fuit natura tam sterilis, ut cum te fingeret, typum tui aliis non servaret, nec adeò egens, ut omnes ingenii opes in Te conferret unum, mendicitate omnes alios damnaret. Ut quid ergò Te tantum miraris; ac veluti nemo sit, qui possit ex æquo tecum stare, deliras tam largiter, ut dicas cum Deucalione, *nos duo turba sumus!* Cur Procustes novus ad judicii tui staturam & modum alios redigis, quasi solam recti & veri mensuram. Sed esto, sis doctrinarum medulla, & inter summos literatorum summus, non pudet tui prædicatione deprimere cæteros; & adeò vili es animo ut putida tui dilaudatione aliorum luminib⁹ contendas officere? Audin quanto fragore torrentes se saxis allidant, non dissimiliter ac si forent irata

maria; cum ægrè secum aquæ palmū vehant, qua latum alveū sibi sternunt. E contra regii amnes quanto silentio, quam tranquillo in mare se lapsu reportant? quam procul strepitu omni; quo vel fossæ profundum quam implent; vel amplitudinem riparum quas occupant; vel aquarum nitorem aut rapiditatem significent, muti propè ac taciti fluunt? Cui est angusto in rivo piscatio, & suppellex ingenii, maximè verò judicij curta; nihil est eo sonantius in laudum suarum molestissima inculcatione, & æmulorum despicientia. Quibus ille omnium aures quo importunius obtundit, non animadvertit, eo apud illos contemni se largius; nam (ut certè omninò ait Symmachus) *In magnos animos non cadit jactantia.* Verum enim verò flocci habent superba ingenia si tantum in terris insolescant, nisi appareant etiam in cœlestibus curiosa; nec solum ambitu injusto primas in hominibus captant, sed ausu præterea impio DEI naturam & opera ex intelligentiæ suæ modulo æstimantes, de rebus divinis judicium sibi arrogant, &c. huc usque Bartolus.

Symm. lib X. ep. 2. 1.

VII. Haud

VII. Haud abs re quærat aliquis, quid causæ sit, *cur pleriq́; Literati tantopere in sui existimationem propendeant, ut sibi maxima quaque tribuant, gloriam rerum bene gestarum frequenter præripiant alijs, & inani superbiæ tumore distendantur; Imò ut non facilius libri tineis & blattis apertâ Bibliotheca corrumpantur, quam eruditi homines ex scientia insolescant tumoremq́; concipiant?* Id verò egregiè edisseruit Magnus ille Præsul Hipponensis adversus inflatum & loquacem quendam Pelagianum, Julianum sc. scribens, causamq; mali illius à prima origine repetens, notanter ibi & verissimè docuit, quod in hac tanta nobis aspectabili & à DEO creata machina nihil sit rationali mente præstantius, eapropter mens bona doctaque magis sibi placeat, magisque seipsâ delectetur, quam quâlibet alia creatura, cumque sese maximè amet, ideò sibi varia somnia fingat, proclivisque sit ut aliena mentiatur esse sua, & mala dissimulet quasi non sua, parva & mediocria in immensum extollat, ut divinitus accepta, & quasi suo jure comparata sibi vendicet. Porrò cum in rebus humanis nihil virtute doctrinâq; præstabilius esse videat, hinc apprimè exambiat, ut eâ instructa esse censeatur, & quia vix laudem justam credat quæ ex alieno proveniat, illam sibi suæque industriæ quam

Gregor. M. lib. XV. Mor. cap. 16.

August. Tom. VII. lib. 4. c. 3.

potest, acceptam ferre nitatur, ita præclarissimè Augustinus. Quis verò hinc dolosum maximè, periculosumque Satanæ non perspiciat laqueum, quo Literatum, bonâ etiam nobilique mente præditum, tandem in enormem adeò ducit sui admirationem, ut sibi DEUS esse quidam videatur, à quo fas sit ipsas docendi vivendique accipere leges, imò ad tantam incitet temeritatem, ut quicquid in buccam venerit, effutiat, omissoque diligentiori examine cuncta meletemata sua tanquam oracula pronunciet, & quo confidentiora fundere verba valet, eò præclarius secum agi existimet. Quid quod homo eruditus, turpi superbiâ in ipso aliorum fastu damnando sæpè extollatur; ut accidit Diogeni, qui ut taxaret Platonē, (qui nitidiori supellectili delectari videbatur ac illustriori,) ad ipsum accedens pedibus premere cœpit culcitram, atque se Platonis fastum calcare proclamavit, *sed alio majoriq; fastu*, uti Plato festivè reposuit. Sic Seneca de quodam, qui valdè infensus erat iis qui repentè nobilitati in cæteros superbiunt, scitè ait: *At odit eos, qui subita & magnâ potentia insolenter utuntur, IDEM FACIET, cum IDEM POTERIT.* Iste nimirum, qui illos nunc damnat, idem aget quod illi faciunt, cum eandem potentiam nactus fuerit, pergit ibidem Seneca: *Multorum quia imbecillia sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vi-*

Seneca epist. 24.

res suæ advenerint, quam illa quæ jam felicitas aperuit. Nimirũ instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt, quemadmodũ serpens etiam tutò tractatur, dum riget frigore, non desunt tunc illi venena sed torpent, multorum crudelitas, ambitio, (Superbia) *ut paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur.* Sic Seneca. Quo impietatis denique isthæc pudenda animi elatio, & seipsum extollendi cupiditas doctum cumprimis hominem impellat, quantaque insolentia confidentiam istam excipiat, quidam oratorum veterum arroganti hâc sententia prodidit: *Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam à DEO petendam, A SE IPSO SUMENDAM ESSE SAPIENTIAM,* ideoq; (addit) neminem unquam Herculi decumam vovisse ut esset sapiens; cumque iterum præfractè affirmasset: *Neminem unquam DEO acceptam retulisse virtutem,* in hæc planè profana, nefandæque superbiæ fermento fœdata verba erupit: *Nimirum rectè: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur; quod non contingeret, nisi id donum A NOBIS, ET NON A DEO HABEREMUS. At verò aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quidpiam nacti sumus fortuiti bo-*

Cicer. III. de Nat. Deor.

ni, aut depulimus mali, cum dijs gratias agimus, tum nihil nostræ laudi assumptum arbitramur. Num quis, quod BONUS VIR esset GRATIAS Diis egit unquam? En putidam atque fœtulentam Superbiæ philosophicæ sentinam! en pessimam malorum literariorum lernam, atque bonorum donorumque alias insignium corruptricem! Quam impiè & insipienter ista pseudosapiens evomuit, imò quā perversè de Deo sentit literatus quilibet, si ita sentit, quam insanus laudis & existimationis propriæ est amor, qui aliàs doctissimos hoc modo insanire cogit! Ideò Animi sui bona DEO accepta ferre non vult turgidus literator, quia propter illa JURE LAUDETUR, inq; iis *rectè* glorietur. Quid si verò philodoxos imò paradoxos ejusmodi Doctores verbis compel-

Psal. IV. laremus Davidicis: *Filii Hominum, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Vanissima equidem vanitate occœcati sunt, quicunque bona donaq; sua sibimet ipsis vendicare non verentur, huc eos adducit immodica & inconsiderata laudis cupiditas, à quâ, si saperent, recederent longius, nec doctrina virtuteque suâ turpiter adeò abuterentur, neque ex hâc vitali radice mortiferos adeò fructus carperent, si donorum bonorumque suorum laudem sibimetipsis non tantoperè arrogarent, quin potius sua omnia à DEO omnigenæ felicitatis

licitatis fonte provenisse, etiam atque etiam sibi persuaderent. Quoties bellè & ex voto ipsis aliquid cesserit seu in scientiis, seu in scriptorum editione, sive in cæteris vitæ negotiis, aut novi cujusdam inventi laudem sint consecuti, istius felicitatis causam si verè saperent, neutiquam propriæ tribuerent industriæ, nec cujuspiam inde captarent favorem, sed merè pureque ea omnia in DEUM referrent, & ad Sophorum cœlestium exemplum procidentes & adorantes, coronas suas, h. e. aureæ doctrinæ ornamenta ante DEI thronum mitterent, suavissimè concinentes: *Dignus es Domine DEUS noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia Tu creasti omnia.* Sanè si ingenio suo, arti, scientiæ, peritiæ, consilio, judicio, industriæ quicquam vendicent, in mala quævis, putidamque vitiorum omnium sentinam proni ruent & præcipites, quodque alienum, ipsiusque DEI est sacrilegè suffurabuntur, illi Regi similes, qui Regiam domum, urbem in Orbe maximam in roborem fortitudinis SUÆ, inque decoris proprii incrementum se ædificasse est gloriatus, mox tamen de Regiæ Majestatis solio depulsus, infra cunctos mortales, ad bestias & ferarum pabula fuit amandatus, donec malis propriis eruditus sonora voce exclamavit: *Glorifico Cœli Regem, cujus opera omnia vera, via ejus & judicia* Dan. IV.

recta, qui GRADIENTES in SUPERBIA humiliare potest. Ipse DEUS virtutum, in quo anima mea lætabitur.

IIX. Ut verò pestis illius literariæ naturam & indolem paulò accuratius expendamus, doctioraque pectora à turpi fastu & pudendo cæterorum arceamus contemptu, VITIA non minus è pestiferâ superbiæ radice pullulantia, quam DAMNA, suam inde ducentia originem, cunctis eruditis ad animum revocabimus. Ad VITIA, seu labes turgidum & inflatum Literatū concomitantes quod attinet, ipsa rerum magistra experientia hactenus abundè docuit, quemvis superbum Doctorem pro ultimo summoque studiorum actionumque suarum fine PROPRIAM habere Excellentiam, morosum esse & contumacem, obsequii impatientem, contentiosum & invidum, rigidum atque severum acceptarum injuriarum ultorem, improbum simulatorem, exosæ singularitatis novitatisque admiratorem, rixarum odiorumque vel authorem vel fautorem, nec non insignem promotorem, adeoq; omnium ferè dedecorum & flagitiorum strenuum sectatorem. Audiamus D. Bernardum quid scribat ad fratres de monte DEI; *Superba* inquit *ex usu voluntas in magna sæpè cordis inopia tumentem efficit* [literati hominis] *animum, unde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia DEI, jactantia, inobedientia, contemptus, præsumtio, & cætera ani-*

Bern. ad fratr. de monte DEI.

ma

ma pestes quæ ex tumore & usu superbiæ profluere solent. Hinc alibi radicale peccatum Superbiam vocare non dubitavit, ex quo omnis detractio generetur, iraque & indignatio crudelissima. Ferrea equidem superbus literatus habet viscera, sævumque & crudelem in omnes animum ostendit, odio habens maleque tractans etiam optimos. *Ubi fuerit superbia* ait Regum sapientissimus, *ibi erit & contumelia*, siquidem arrogantes & corde tumidi semper parata habeant verba injuriosa, imò ut Climacus notanter addit, *in corde superborum late blasphema etiam verba nascuntur*. Admodum scitè Demetrius Philosophus dicebat, *supercilium non esse pusillum negligendumq; membrum*, sub quo videlicet omnis virtus doctrinaque umbrari & obscurari possit. *Superbus & arrogans* [ait rursus Salomon juxta vulg.] *vocatur INDOCTUS, qui in ira operatur superbiam*; Etiamsi doctrina eruditioneque singulari polleat, ast solummodo nominis sui quærat celebritatem, omnesque præ se altissimo despiciat supercilio, id plerumque assequi solet, ut indoctus ineptusque vulgò appelletur, & qui cæteris judicio prudentiaque præferri debebat, haud immeritò pro stupidissimo & abjectissimo reputetur. Non solùm enim communis hominum ita fert æstimatio, ut hi qui ex superbia magnos sibi spiritus sumunt, ubique vilescant, sed etiam ut insipientes ab omnibus despiciantur.

Prov. XI. vers. 2.

Prov. XXI. Vers. 23.

tur. Præter stupiditatem autem *iram* quoque & *furorem* superbiæ [literatorum] esse affinem, Salomon loco all. est testatus: *In IRA* (ait) *operatur Superbiam.* Nil certius, siquidem satis exploratum, longâque experientia confirmatum sit, literatos superbos vel levissimè læsos ad iram imò furorem concitari, instar pulveris pyrii levicula indignandi scintillâ tactos, totos ardere, crepitare, tonare, furere, comminuere, omnesque indignandi terminos, imò omnem modestiæ justitiæ ac charitatis regulam excedere, & cum instar podagricorum semper metuant, ne vel verbulo vel gestu à quopiam tangantur, hinc omnia sibi indulgere, neminem revereri, nullius parcere famæ, nullam non lædentibus referre ignominiam conantur. Sicuti membra livida & tumentia dolent quantumvis leviter astricta; sic etiam elati ob levissimas molestias iram concipiunt haud ita facilè sopiendam. Isto enim furoris œstro perciti superbi literati ad quascunque injurias, contumelias, & probra adversariis inferenda maximoperè urgentur, in obvios quosque pus suum evomere, imò optimos & innocentes turpi conspergere luto haudquaquam dubitantes. Quid quod pudendam atque execrabilem ipsius superborum principis diaboli præ se ferant imaginem, cum ipsi DEO superbas manus intentare, eumque veluti novi quidam Titanes oppugnare videantur. Magnus ille Hipponensis

nensis Præsul in qualitatem scientiæ quæ dæmones adeò superbos efficiat, inquirens, *scientiam* esse statuit *tantummodo inflantem, omniq; destitutam charitate*, ideoque inflatos adeò atque superbos fuisse, ut honores divinos, & religionis servitutem, quam vero DEO deberi sciebant, sibi sategerint exhiberi, planèq; divinum in homines sibi arrogarint vendicarintq; imperiũ. Quis dubitet itaq; asserere, animas superborũ [præsertim literatorum, quib⁹ inflans scientia inest charitate destituta] dæmonibus esse simillimas, cum & ipsæ divinum quendam honorem sibi vindicent, & veluti terrestria quædam Numina in Orbe erudito velint adorari. Istos de se magnificè, contemptim de aliis & abjectè fabulantes cum audis, advertas illicò quam verè in eos quadret illud Philippi Macedonis ad medicum suum: *Philippus Menecrati SALUTEM!* Quod fuit Medico medicum fieri, & hoc helleboro ejus curare cerebrum! Quo ipso apprimè indigent omnes illi inflati turgidique literati, qui jactant nihil esse in scientiis sublime quod suo pallio ipsi non involvant, nullas doctrinæ gemmas, quas sua non claudant concha; dictata nusquam ulla, quibus in mari literarum navigetur tutius quam suis; nulla documenta, quæ ad veri & recti ultimas metas pertingant certius; denique ut de stellis ait Manilius:

August. lib. IX. de Civit. Dei cap. 30.

Manlius lib. I.

Altius his nihil est, hae sunt confinia mundi.

Est illis pariter ac Polyphemo apud Theocritum, verè hirsutum, verè diabolicum supercilium, per totam frontem ab aure altera ad alteram protensum, fastus immensi hieroglyphicum. Mirum est quam citò turgidus ejusmodi literator ex quâvis laude intumescat, si aliqua ejus scriptio exierit in publicum, jam famæ nominisque sui magnitudinem longo & alieno metitur pede, nullos alios in universo Orbe erudito nisi de se suaque multiplici doctrinâ usquam sermones misceri existimat. Fontes alios scientiarum, & rivos duntaxat esse jactat, se verò oceanum; alios talpas, se lynceum, papiliones alios, & muscas, se aquilam, adeoque parum est literato superbo quod neminem ferre possit sibi æqualem, SUPRA OMNES esse appetit, cunctisque se doctioré præstantioremq; esse existimat. Alienа plerunque contemptim ac malignè, sua verò singulari cum admiratione legens, malis Musicis fit similis, qui quantum aliis sunt molesti, tantum sibimetipsis placent ex animo, cumque sibi frequenter arroget bonum peregrinum, nec habeat quod se habere jactat, despectisque cæteris, summus & præcipuus, ac ut vanus ille turgidusque homuncio SOLUS SICUT SOL suspici æstimarique velit; mirum non est quod in profundũ vitiorum pariter ac malorum calamitatumque omnium barathrum dilabatur, & mente quasi rationeque

cœcus

cœcus in sempiternæ perditionis voraginem sese agat præcipitem. *Et verò quis ferat* (scite ante laudatus ait scriptor) *homines aut venditandis suis aut propugnandis alienis sic addictos, ut velint ea pro ORACULIS haberi, erroris expertibus, & pro auro omni suspicione metalli alterius planè exempto? S. Ambrosium audiant, qui sua sic deosculantur tanquam filiolos, Patris amore judicii animum obturbante & iniquiorem ferente sententiam, &c.* *Bartol. char. lit. p. 233.*

Optandum apprimè esset, ut DOCTI omnes, quod huc pertinet saperent & intelligerent, non lyram imitarentur, quæ se non audit, quin potius sibi frequenter ad animum VITIA revocarent atrocia, quæ ê virulenta ista pestiferaque radice pullulant, & DAMNA etiam ingentia, quæ illis nunc amplius dabimus expendenda. Ac primò quidem planissimè sibi persuadeant, vel solam, quâ laborant animi elationem efficere, ut parciori mensura dona cœlestia accipiant, quippe quæ alveo quasi angustiore in eos defluunt, qui propriæ potius quam divinæ gloriæ amore studioque sunt occupati. Innumera equidem DEUS in eruditos homines effunderet beneficia, & infunderet munera, nisi illorum torrentissimum impetum, objectâ veluti catarracta superbia sisteret. Videte obsecro torrentem, objectumque ei ô lite-

literati considerate obicem! *Non est mirum* præclarè ait nonnemo, gemebundi literati personam gerens, *quod inopes simus virtutum gratiarumq́ cœlestium, cum matrem & custodem earum scil. humilitatem tam alienam à nobis sentiamus, - - Aut desidia nostra in causa est, quod non instanter quærimus, aut superbia, etsi enim quæramus instanter, videt tamen DEUS nos pronos esse ut inde extollamur, & fieret nobis ipsa donorum ejus sublimatio altioris causa ruinæ. Profundiori fundamento altiora ædificia indigent, & arbor excelsa si radicata non fuerit facilius ventorum impulsu evertitur.* Eademque ratione insignis ille morum magister Gregorius utitur, justiorem melioremq́ue in dispensandâ gratiarum donorumq́ue cœlestium varietate (quod scil. eximia quædam dona non concedantur laborantibus) causam non reperiens, quam *ut tanto longius eruditi a fastu & superbia removeantur, ne tantorum bonorum ponderi impares, omnibus tandem excidant, ac turpi deijciantur elatione.* Quod ipsum disertè etiam docens D. Augustinus; *Nos autem* (ait) *quantum concessum est sapiamus, & intelligamus DEUM ideò non tribuere vel certam SCIENTIAM, vel victricem* dele-

Bonav. lib. II. de profec. Relig. c. 33.

Greg. M. l. XXIV. Moral. c. 6.

August. lib. II. de Mer. & Remiss. c. 19.

delectationem ut cognoscant (eruditi) *non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quâ illuminentur tenebræ illorum, & suavitatem, quâ det fructum suum terra eorum.* Multa sæpè in eandem sententiam repetit insignis ille cœlestis gratiæ vindex & propugnator Augustinus, verum hæc dixisse sit satis, ut vel doctissimi sapiant, & intelligant divinorum donorum gratiarumque rivulos per putidum superbiæ cœnum impediri, quo minus copiosè erumpant, atque pectorum eruditorum prata benignitatis omnigenæ scatebra irrigent atque fœcundent. Hinc appòsitè notanterque Climacus superbiam STERILITATIS maximum argumentum, divini adjutorii expulsionem, lapsuum ministram, delictorum custodem, denique DEI perpetuam appellavit *adversatricem.* *Jo. Climacus Grad. XXI. & XXII.*

IX. En alterum, idque magis horrendum nefandæ SUPERBIÆ DAMNUM, & malorum omnium longè gravissimum! DEUM, utpote potentissimum Cœli Terræque Dominum omnes superbi Doctores habent adversarium, à tergo ijs severus judex & vindex imminet, brachijque sui omnipotentia efficit, ut sedem nusquam stabilem fixamque sortiantur. Audiant hinc & seriò revocent ad animum omnes inflati ac turgidi literatores, geminæ ipsis ad audita tinniant aures: DEUS SUPERBIS RESISTIT! terribilis vox, ipsa potentia suprema

prema sese opponit infirmitati, quomodo ea stabit? Fortitudo adversatur imbecillitati, quomodo non ruet? Justitia, impio, quomodo is non plectetur? Immortalitas mortali, quomodo vivet? Quomodo tantillus subsistere poterit homuncio, tanto resistens Domino? Quem conspirante universæ cœlestis curiæ voto benevolum atque beneficum experiri possent, ei nefasto suo fastu reluctantur, fontesque benignitatis inexhaustæ obturant, ne totis alveis in se influant. O quã miserè sic turpiterq; imponunt sibimetipsis hominum alias sapientissimi! Non est quod quis inflatis hujusmodi utribus alias optet pœnas, *Esse superbum* ait ille, maxima est *superbia pœna. fastus placentis sibi animi est Rex atque Tyrannus.* Nec à veritatis sulco erravit Poëta canens: *Est verum verbum frangit DEUS omne superbum*, semper equidem ab iis, quibus elatum est superciliũ haud longè Nemesim abfuisse, cunctaque elata capita tonitru prius conterrita, cœlesti igne deflagrasse sacrarum pariter ac profanarum historiarum monumenta testantur. Imò ipsi Poëtæ veteres, tristes superborum literatorum ruinas respicientes, haud adeò absurdè commenti sunt, Thamyrim, se cantu Musas vincere posse gloriantem, omni canendi facultate ablatâ excœcatam, eique omnis citharistriæ artis oblivionem injectam fuisse; Bellerophontem res suas gestas pernimium ostentantem, impudentesque oculos cœlo immitten-

mittentem, ac de divinis judicantem operibus, à Jove deturbatum & ad tenebras perpetuas esse damnatum; Ajacem à Neptuno ob solam impudentiam adactum ut gladio incumberet. Verum ut summam gravissimæ illius tyrannidis potentiam luculentiori exemplo quilibet turgidi literati discant atque intelligant, supremum illum Angelum sibi frequenter ponant ob oculos, qui splendoris ac decoris eximia prærogativa Lucifer nuncupatus, non alio quam isto superbiæ venenato telo cœlitus dejectus, & ab angelorum tam sede, quam sorte felici, ad tenebricosos impietatique in æternum destinatos carceres miserè fuit detrusus. Tantum videlicet una potuit fulgentissimi sideris elatio! *Si sic actum est in Angelo*, (ait eleganter Bernardus) *quid de me fiet, terra & cinere? ille in cœlo intumuit, ego in sterquilinio, quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere ducat?* Nec minus acriter ab alio monemur veteris Ecclesiæ Doctore: *Consideret homo* (literatus) *quid elatus in terra mereatur, si & prælatus angelis, Angelus in cœlo prosternitur.* Viderat nimirum [en superbi Doctoris exactissimum exemplar!] Lucifer divinâ se claritate indutũ, atque præ cæteris angelis splendore sapientiæ, virtutum pulcritudine naturæque perfectione præfulgentem; vidit & se mirando suspexit, & nimium quantum amavit, exindeque illa sibi ut naturæ debita arrogare, ut congenita & pro-

Bern. hom. 54. in Cant.

Gregor. lib. 32. Mor. c. 18.

propria vindicare, ac præcelſum à cæteris honoris gradum poſtulare aggreſſus eſt; puduit id tantum bonum conditoris gratiæ referre acceptum; puduit ſubditum eſſe DEO, cumque ſibi uni cætera omnia concedere videret, ne quidem uni illi cedere voluit, ab illo iſta omnia eſſe & conſervari oportere, non ſuſtinuit fateri. Hinc deſertus à DEO, quo egere ſe diffitebatur, inſtabilis repente & nutabundus effectus, & infirmitatem propriæ naturæ perſenſit, & beatitudinem, quâ DEI munere fruebatur, amiſit. O ruinam ruinarum omnium primam & maximam, quâ filius ille lucis primogenitus, qui veluti Sol inter ſtellas, ita prope inter angelos lucis ille emicabat, uno ſuperbiæ afflatu fulminatus, princeps tenebrarum, & execratio ſeculorum factus eſt. O veriſſimum effatum: *Omnis peccati initium eſſe ſuperbiam! Per hanc enim Lucifer ſuccubuit: per hanc ſe ſequentem hominem ſtravit: eoq; telo ſalutem noſtræ immortalitatis impetiit, quo vitam ſuæ beatitudinis extinxit.* Quæ itaque de ſummæ felicitatis ſede Angelum altiora ſpirantem deturbavit SUPERBIA, ea homines *Angelis proximos*, præſtantiſſimis nimirum animi, ingenii, doctrinæque dotibus ornatos LITERATOS damnis afficit innumeris, denique in extremæ miſeriæ conjicit barathrum. *Nihil etenim* (præclarè dicente Chryſoſtomo)

Greg. M. lib. 34. Mor. c. 18.

ſtomo) *ſuperbo homine* (literato) *miſerius, nihil inſanius, quamvis ditiſſimus*, (doctiſſimus) *ſit, quamvis MULTA EXTERIORI SAPIENTIA præditus, quamvis potens, quamvis omnia quæ homini exoptanda videntur in illum congerantur. Etiam qui in revera bonis ſuperbit, & illorum omnium amittit mercedem.* Quod ipſum probè conſiderans D. Aurelius; *Vitia cætera* (præclarè ſcribit) *in peccatis, ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur.* Similiterque Bernardus rationem redditurus cur pauci adeò ad perfectionis culmen perveniant, ſolam deteſtatus eſt SUPERBIAM, quæ prædonis inſtar naves optimis mercibus onuſtas invadat, ac ſummos quosque miſerrimè opprimat. Quanta Orbis eruditi ſidera faſtu impellente de cœlo lapſa inque *fatuos ignes* ſunt transmutata! Quam præcelſa illuſtriaque ingenia propter turpem arrogantiam à ſcopo vero exciderunt! Quam præſtantes doctrinâ Viri, eruditionisque abſtruſioris cultores, immenſa pervolutantes volumina, ſapientiamque per latebras & receſſus altiſſimos inquirentes ceciderunt turpiſſimè, ſuisque ſcien-

Chryſoſt. hom 16. in Joh.

Auguſt. epiſt. 56.

Bern. de ordin. vit.

tiis immersi fastuque turgidi æternùm perierunt! Licet mirificè cum Socrate in Athenæis suis sint philosophati, ast cum Protagora superbierint tantoperè, ut nihil de Diis, neque *ut sint*, neque ut non sint dicere voluerint, misere sunt reprobati, & ab *Ignoto DEO* combusti. Et quamvis alii cum Marco Crasso & Tullio Cicerone in pulpitis suis satis vehementer tonuerint, ob immensam tamen animorum suorum elationem ad *tonantem* stygem sunt ablegati. Taceo vetustioris ac recentioris ævi Philosophos, taceo mille eruditos alios, qui insonoro vestigio facilique descensu abivêre ad plures, & jam cum Hannibale, qui Romam expugnaturus bis imbre densissimo coactus recedere, cum statim post pugnam potuisset, clamant æternùm: *Cum potui non volui, cum volui non potui*, scilicet serò sapiunt Phryges, & cum jam urgente fastu ceciderunt, primum agnovêre periculum, dumque cum Thalete Milesio Cæli fastigium animo conscenderunt, in perpetuæ damnationis puteum sunt prolapsi, atque præclara doctrinæ virtutisque initia turpi fine concluserunt. Arroganti nimirum conatu cogitationeque eruditionis palæstram sunt ingressi, bonaque sua non DEO donorum summo largitori, sed sibi adscripsere, eaquepropter à divina providentiâ derelicti, omnique præsidio auxilioque cœlesti privati, mox ab infernali super-

perborum principe in fraudes varias ita inducti, ut illecebrosis succubuerint desideriis. Cum teste Plutarcho quondam nonnulli fastu elationeque turgidi se Regibus pares prædicarent, eos Nero convivio adhibuit, ac super *utres* inflatos, & ad similitudinem sellarum conformatos sedere fecit, dum ergò ipsi accumbentes, & quasi utres utribus insidentes, sedibus suis magis intumescerent, quod sic honorarentur ab Imperatore, ministri Neronis jussu utres illos acu perforabant, ita ut inflati turgidique illi homunciones utribus aëre evacuatis, humi sese prostratos, non sine Imperatoris aliorumque risu deprehenderint. Idem fermè turgidis frequenter accidit literatis, qui dum *utribus* insidere, seu magni apparere laborant, cum summo rubore ad loca novissima detruduntur.

X. Haud malè Doctrina eruditioque insignis plenæ assimilatur LUNÆ, quæ æmula fiat SOLIS, ast eo lucem ab illâ subtrahente, propriam demum agnoscat vilitatem, quasi dicens: *Tunc cornua perdidi, quando cornua acquisivi*; Lucem verò tunc acquisivi, quando lumen amisi, quamprimum scil. acceptum perdidi fulgorem, tum propriæ cognitionis lucem sum consecuta. Hanc Lunæ ideam omnes illi præ se ferre vidêtur eruditi, qui aliunde accepto scientiæ suæ lumine mirificè intumescunt, doctrinâque PLENI, Patris Luminum fiunt

fiunt æmuli, ac velut novi Luciferi SIMILES se jactant ALTISSIMO, eo autem lucem suam ab illis auferente, nil nisi meram inanemque deprehendunt vacuitatem. Licet fastu turgidi in abundantiâ sua dixerint: *Non movebimur in æternum*; reipsa tamen mox experti sunt *DEUM faciem suam avertisse ut facti sint conturbati*: Semper nimirum DEUS avibus hisce altè volantibus accidit alas, & astris minitantes coæquat solo, *Nunquam* [ait ille] *sine noxa est superbia, Deumq; semper experitur hostem capitalem*. Tanquam ignis dona eruditorum præstantissima fastus immodicus consumit, extremumq; Viris etiam maximis accersit exitium. Et cum ea ignis natura sit, ut alienis crescat detrimentis, atque ut SUOS FUMOS efferat longè lateque flammam excitet, inque pulverem ac cineres redigat omnia; ita quorundam literatorum fastus & superbia aliorum etiam doctiorum & meliorum injuria depressioneque tantoperè alitur & augescit, ut tantum sibi elati inflatique illi honoris gloriæque accedere putent, quantum decesserit cæteris, neque se in hominum oculis collucere posse existiment, nisi instar ignis in cæteros omnes grassentur, eos [si fieri possit] prorsus absumant, atque ut præclarè Salvianus ait: *Ut pauci illustrentur, Mundus ipse evertatur*, unius honor, Orbis totius

Salvian. de provid.

tius

tius fit excidium. Sic Antiquorum quidam Agathon [Dorotheo teste] superbè loquentis eruditi libertatem INCENDIO MAGNO comparavit, *quod cum excandescat, omnes ab aspectu suo procul abire compellat, nihil esse hoc igne molestius, quandoquidem omnium vitiorum sit seminarium & genitrix passionum.* Sed & FULMINI simillimam esse hominum doctorum superbiam præclarè Albertus M. observavit; *Est quasi* [ait] *quoddam FULMEN vana* [eruditorum] *gloria superbiaq́, excæcans animæ oculos, sicut enim fulmen brevem quandam habet claritatem, sed tamen valdè nocuam; ita qui per elatam in hoc seculo lucere volunt superbiam, gravissima sibi pariter ac aliis damna progenerant, dicit enim Psalmista: Dum superbit impius, INCENDITUR pauper.* Pudeat eruditos hoc tetro igne ardere, obscuraque ostentationis face lucere, ad animum sibi semper revocent, quod fastus sive superbia [instar fulminis] sit ignis DESCENDENS, sive ruens per dejectionem. Licet enim inflatus turgidusque literator per mentis suæ elationem adscendat, mox tamen per turpem dejicitur depressionem, IGNISQUE ILLE [ut in Jobo legitur] CADIT DE COELO idemque illi quod Angelo accidit superbienti:

Doroth. Doctr. IV. de Timore.

Alb. M. Serm. de Domin. III. Advent.

Videbam Satanam SICUT FULGUR *cadentem*. Sicuti enim vapor fulguris primo adſcendit nube incluſus, poſtea cum impetu deſcendit à ſuo contrario depulſus; ita cum ſatanâ ſuperbiente nulli non elati inflatiq; literati de gloriæ expetitæ cœlo non ſine impetu in profundum perditionis extremæ barathrum cecidêre. Ad tantam autem perniciem viam erudito turgido parat inordinatus ſciendi appetitus, per quem ad propriæ excellentiæ deſiderium adſcendit, rerumque inutilium cognitionem affectat, ſui ipſius obliviſcitur, dum aliena inquirit errata; *Aſt ſi ſemetipſos vigilanter attenderent, mirùm eſſet* inquit Bernardus, *ſi aliud unquam intenderent*. Miſeri hujusmodi eruditi Senibus quibusdam ſunt conſimiles, quorum acies oculorum ſic eſt affecta, ut cum res à ſe diſtantes videant, propè tamen poſitas haud queant dignoſcere. Itaque ſi inverterent inſatiabile cognoſcendi ſtudium, & ab alienis externisque rebus ad proprias magisque neceſſarias ſuam transferrent curioſitatem, tantam erratorum intra ſemetipſos reperirent multitudinem, imò & malarum cupiditatum ſegetem, ut domi quod agant affatim ſint habituri, ſique operâ diligentiori adhibita perpenderent, quantum elatos ſingulos [qui quaſi aquilæ & talpæ, animalia in lege immunda, quorum unum & Solem ipſum acu-

mine ſui viſus contemplatur, alterum verò neque terram ipſam in qua degit cernere valet.] execretur DEUS, vix ullum amplius pudendæ ſuperbiæ darent locum, nec tanto ſtudio rerum inutilium affectarent cognitionem. Timerent ſibi potius ab horrendo iſto arrogantiæ incendio putidæque præſumptionis fulmine, ignem inquam ſuperbiæ effugerent, omnia conſumentem, & ſummos doctiſſimosque homines ad æternos ignes deſtinantem. Non male Chryſoſtomus ſuperbos cum ſtupa flammeſcente comparavit, quæ poſt incendium ſurgit quidem & inflatur, mox tamen in cineres teuiſſimos diſſolvitur: Tales equidem iſtorum literatorum ſunt animi, quorum inflatos ſpiritus horrendi plerunque, imò æterni caſus comprimunt atque diſturbant. *Quemadmodum verò* (ait idem Chryſ.) *flamma quæ in ſtupis aridis ſurſum fertur ſimul atq; contacta fuerit in cinerem vertitur; ſolidorum autem lignorum ea natura eſt, ut neq; facilè incendantur, neq; cum accenſa fuerint ardentem flammam facilè dimittant; ita & illi quidem animi* (eruditorum) *qui ſolidi ſunt ac firmi, neq; facile incenduntur, neq; facilè extinguuntur, iſti verò utraq; illa brevi temporis patiuntur momento.*

XII. Ferunt Neantem (cum Uraniæ filium ſe eſſe falsò crediſiſſet,) furtim Orphei lyram

lyram è Templo Apollinis diripuiſſe, noctéque intempeſtâ apertum prodijſſe in campum, ut anſam haberet per ea ſilentia ſuos ad cantus comodiorem. Illic verò ut cœperit infelix inſtrumentum manu hebeti & ruſticâ pulſare, nullam chordam fuiſſe, quæ non HEU MIHI occineret, & voce quâ poterat, non vibrari ſe leniter ad numeros, ſed acerrimè vexari quereretur, donec ipſe Neantes à moloſſis, ASINUM AD LYRAM ex cantu odorantibus, pro aſino fuerit laniatus. Haud equidem mitius cum miſeris illis atq; ex faſtu arrogantiaq; infeliciſſimis pſeud-Uraniæ filiis juſtiſſimo Dei agetur judicio: non unius duntaxat moloſſi, ſed plurium ore lacerabuntur tandem, ludusque fient narrantibus, & ſalsè inepta eorum ridentibus acta ac cogitata, quæ pro ſua (animo ſatis confidenti) ſtatuêre authoritate, quæ audacter defendére, quæ denique impudenter venditavêre, tandem omnium contemptui atque irriſioni exponentur. Tertium hinc (neque poſtremum tamen) FASTUS immodici dedecus damnumq; ſeſe velut è patentiori quâdam feneſtra præbet conſpiciendum; Quod ſc. ille mancipia ſua de BONÆ mentis ſtatu miſerè deijciat, atque STOLIDITATIS extremæ charactere infamet. Non ſapientiſſimi tantum Salomonis judicio, ſed prudentiorum omnium teſtimonio ſuperbia Stultitiæ ſeu dementiæ eſt ſpecies, quâ faſcinati homines etiam literatiſſimi, plerumque

Prov. XIV. v. 3. Conf. Sap. XV. v. 14.

que in fatuos imò bruta ipsa omni ratione orbata degenerare soleant. *Natura stultum esse* (verba sunt Chrysostomi) *nihil habet criminis, MAGNIFICE verò de SE SENTIENDO STULTUM FIERI venia caret, & majus adfert supplicium. Tales sunt* (N. B.) *qui in SAPIENTIA SUPERBIUNT, inque extremam incidunt arrogantiam, nihil enim adeò stultum facit, quemadmodum arrogantia, unde & Propheta barbarum ita vocabat dicens: stultus autem stulta loquetur.* Quid quod ipse Stobæus hominis ex scientia inflati turgidique *miseram fatuitatem* agnoverit, dum *omnem insipientem arrogantiam PLAUSIBUS capi ac delectari* enunciavit? Non unum sane literatus superbus, sed varium & multiplex dementiæ atque stoliditatis insignioris dat documentum; instar fatui cujusdam hydropici de inflatione suâ gloriatur, existimans eam salubrem & vigorosã esse pinguedinem, ipsumque *animæ suæ tumorem saniæ plenum* [uti scitè B. Nilus superbiam vocavit] amans & fovens omnem aspernatur medicinam. Num obsecro stultitiæ aut dementiæ notâ caret, quod ille sponte suâ angustias dolores anxietatesque gravissimas incurrat? *Non enim* (ait Cassianus) *unum duntaxat membrum pestifer superbiæ morbus debilitat, sed totum corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum jam fastigio collocatos gravissima ruinâ*

Chrysost. hom. XX. ad Rom.

Stobæus Serm. 22.

Nilus de octo vit. cog.

Cassian. lib. XII. Inst. c. 3.

ruinâ dejicere ac trucidare conatur. Denique eandem turgidorum dementiam ante laudatus Chrysostomus aptâ quâdam similitudine repræsentaturus; *qui* (notanter ait) *cum statura cubitum non superet, instar montium imo altiorem se putet, ac ideò se quasi MONTES EXCESSURUS erigat, nullum aliud argumentum suæ insaniæ quærimus; sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris hominibus* (eruditis) *arbitratur, nullum jam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior hic est ijs qui naturâ insaniunt, quanto magis sponte suâ hunc sibi morbum injecit.* Vix alio passim quam insaniæ & phrenesis titulo illam eruditarum mentium pestem Chrysostomus duxit notandam: *Superbia* (inquiens) *nihil est aliud, quam depravatio animi, & morbus gravissimus, non aliunde quam ex insania ortum ducens, NIHIL ENIM SUPERBO HOMINE* (Literato) *INSANIUS. Nihil arrogantia atque superbiâ pejus, quæ mentis quoque vires à natura hominibus concessas ita dejiciat, ut amentes ex prudentibus & animo stolidos efficere videatur.* Quid RELIQUA dixerim (ait alibi, & nos cum ipso) quæ inde MALA emergunt? optarim quibusvis

Chrysost. hom. 59. in Mat.

Idem homil. XV. in Job. & hom. 59. in Matth.

Chrysost. homil. de inani glor.

vis barbaris potius in servitutem dari, quam semel ejus subire JUGUM!

XII. O *FELICEM* itaque, ô terque quaterque beatum illum LITERATUM, qui tot tantisque turgidorum literatorum casibus, tot fastûs pestiferi damnis & periculis edoctus, huc omne confert studium, ut quantum potest infra omnes verâ sinceràque animi demissione descendat, atque *Cathedram illam pestilentiæ* [ut scitè Augustinus Superbiam vocavit] longissimo post se relinquat intervallo! *August. in Ps. I.* Neque verò ille humilem se demissumque fingat tantum, ostendatque coram hominibus, neque labiorum duntaxat superficie, sed affectu cordis intimo se cunctis inferiorem esse pronunciet, omnemque affectatam gravitatem, magnificos incessus, primos accubitus, salutationes honorificas, cuncta verba ampullantia ex animo despiciendo in nihili sui voraginem descendat, si mente semper pacatâ, sereno semper cœlo gaudere velit. *Volo descendere quantum possum*, ajebat olim Vir quidam doctrinâ pariter ac virtute singulari conspicuus, cum horrendum socii sui Collegæq; ex elatione lapsû perenneq; exitiû gemebundus intellexisset, *Descendam* [sic alta sonoraque ingeminabat voce, in terram se pronum abjiciens, eamque veluti complexus arctissimè stringens,] *quantum possum, quia N. N. cecidit, dum altius quam debuisset adscendere conatus est.* Ita Literatus quilibet

libet secum statuat perspectis tot elatorum Doctorum ruinis sodaliumque tristissimis casibus: VOLO DESCENDERE QUANTUM POSSUM, meq; omnibus, etiam vilissimis hominum submittam. Cum arrogantes quosvis nunquam non turbatos videt, deque honoris sui incremento apprimè sollicitos, imò hoc unum assiduè in animo volventes: VOLO ADSCENDERE QUANTUM POSSUM [siq; vel levissimum quidpiam existimationi suæ auctoritatiq; decedat, dimidiũ cordis sese perdidisse reputantes;] Sinite illos, cogitet *ex demissione felix* literatus, alte scandere, mox altè ruent, hæ feles & sciuri nimis vertiginosi decident ocyus, quam ad speratæ laudis existimationisque culmen pervenient. Idem iis eveniet quod noctambulis, qui dormientes & somniantes tecta conscendunt, subito autem cum inclamantur cadunt miserrimè, pariter alti isti ambulatores lapsum gravissimum haud effugient, sed ad levissimũ impulsum præcipites conterentur, tanto gravior periculosiorque eorum erit ruina, quanto audacior altiorque fuit adscensus. Quisquis eruditus sapit, iter tam lubricum ex animo horreat, & quanta potest circumspectione declinet, præstabit quietè in imo jacere, quam ex alto in imum tam perniciosè cadere. Si superbiam depellere non ita facilè possit (inquit Rusbrochius) saltim erubescat, discatque vivere & silere. *Qui humilitate* [addit idem notanter]

Joh. Rusbrochius in l. de vera contemplat. c. 50. opp. fol. 473.

contra

contra ſuperbiam decertant, ii SACRÆ THEOLOGIÆ BACCALAUREI ſunt, qui ſi ex certamine palmam referre volunt & DOCTORES effici, ſuperbiam peſſum premere & proculcare debebunt. Superbia revera perniciosſus ſerpens eſt, diſcipulos ſuos ac ſectatores mittens in tartara. Quisquis ſuo in ſpiritu humilitatem invenit, is vitam agit tranquillam & ſuavem; vera namq; humilitas eſt ſupra vel ultra omnem virtutum exercitationem ocium & vacatio, & pax ultra omnem afflictionem. Hoc autem ut veriſſimum, ita cuilibet animo erudito conteſtatiſſimum & præſentiſſimum ſit oportet, tantumque apud illum poſſit, ut mendaci ſuperbiæ falſis blanditiis illudenti ſemper obſtruat aditum, ne ſimul & bono quo gaudet excidat, & ſuperbiæ graviſſimum crimen damnumque incurrat. Pro eo quo valet mentis acumine intelligat, quam præter rationem & à naturâ alienum ſit ipsâ eruditionis virtutisq; viâ [quâ nihil homo habet præſtantius]ad vitium,quod omnium extremum,nempe faſtum ſuperbiamq; deteſtandam pertingere, atque ex vitali illa radice mortiferos adeò carpere fructus, quod ſemper evenit, quoties præclariſſimis animi doctrinæq; bonis docti ad vanam abutuntur oſtentationem. Ab hoc autem

Bernard. de alti-tud. cordis.

tem fatuo umbratilis gloriolæ igniculo ut tanto longius recedant, mellifluum audiant Bernardum, eos initio laudantem Doctores, qui cum multa præstent, se tamen minus omnibus fecisse conqueruntur, mox istos vituperantem, qui insitæ suæ inopiæ immemores, minima laudis umbra protinus extolluntur, continuoque quasi si vel tantillum bonos esse tæderet, fastu turgidi corruunt: *Quantum putas* [ait] *illos admiror, quantum veneror in corde meo, quantum amplector charitatis affectu, qui velut nescientes eos, quos inferiores vel infirmiores secum quotidiè vident, unum forte aut duos aut etiam plures quos in majore fervore spiritus* (majoris eruditionis laude conspicuos) *viderint sibi ex omnibus eligunt, & cum ipsi fortè meliores sint, semper tamen illorum sibi præponunt & proponunt in Domino studia, - - - Quid enim* (sic superbum notanter compellat Doctorem) *tota die super id quod videris habere, insipienti cogitatione versaris? ESTO MAGIS SOLLICITUS QVID DESIT TIBI. Hoc enim melius. Utinam fratres, sic nos essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum seculares homines pecuniæ* (gloriæ laudisque) *temporalis: Magna enim*

enim est confusio, magna valdè, quod ardentius illi perniciosa desiderant, quam nos utilia, citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam, - - De cætero, ea semper magis attende quæ alius habet, tu non habes; quod hæc cogitatio in humilitate te custodiat, à descensu elonget, magis autem proficiendi desiderio accendat. Nonne imane quantum superbire vel desipere potius pannosus ille pauper putaretur, qui ad propendentem laciniam assuto purpuræ panniculo superbus incederet, quid de illis boni omnes existiment, qui maximorum doctrinæ virtutisque thesaurorum indigi minima laudis umbra protinus extolluntur, ast ipsâ sua quâ elevantur superbia deprimuntur rursus, & magis ad ima corruunt, dum à vero tramite superbiendo turpiter recedunt. *Ad corruptionem enim* [scitè ait Gregorius] *justè descenderet, si suis viribus longè à corruptione se abesse judicaret.* Intensissima itaque eruditis opus est vigilia, si à lapsu & ruinâ velint esse securiores, inque doctrinæ & virtutis perfectione procedere longius, apprimè caveant, ne si quando leniorem laudis elogiique alicujus sensum habuerint, indè sibi aliquid occultè suffurentur, gaudeant ostentare, eloqui gestiant, suæ diligentiæ, labori, industriæ, acceptum ferant, sibi intus gratulentur, imò ad antam rerum cognitionem sese pervenisse mirentur,

Gregor. l. XXIV. Mor. cap. 3.

rentur, hoc enim inani jactantiæ turbine longissimè disjicientur, jacturamque longè maximam patientur, tanto magis lugendam, quanto certius ea ex inanissimo laudis amore solet exoriri.

XIII. Durus dicet quispiam hic est sermo; Adeòne inexorabile bellum amori nostro, laudi & existimationi propriæ est indicendum, ut nunquam nostra nobis placere, nunquam tam suave laborum condimentum expetere possimus? Certè si tuum aliquid compereris, quod admiratione, quod amore, quod laude verè dignum fuerit, per me licet, lætare Vir docte, gloriare, triumphos age, quamdiu & quantum libet; sed si nihil nisi putris es vomica, è qua solus fœtor, saniesque erumpunt, quâ fronte, postquam tabum defluens aliena pulcriore tænia emendicata contexeris, tua te sanitate, tua formositate efferes? si detrahetur quod scriptis tuis assutum, si repetetur quod alienum, tuâ iterum infirmitate tuâ fœditate involvêris, ridendus in tuis, qui superbis in alienis. Memineris quid facundus ille quidem, at mirum in modum gloriolæ cupidus Cicero dixerit, jure nos in virtute gloriari non posse, si id donum non à nobis, sed à DEO haberemus, quo in judicio nequaquam esset deceptus, dummodo à DEO virtutem provenire credidisset. At numquid eadem ex ratione colligitur, revera non esse unde gloriari jure possimus,

mus, cum neque doctrinam neque virtutem, neque ullum aliud donum bonumve à nobis habere valeamus, & cum à DEO solo sint omnia, illi soli justam deberi gloriam, hincque omnem nostri laudem boni alieni rapinam, omne existimationis desiderium arrogantiæ dicendum esse seminarium. Quid amor excellentiæ immodicus? quid ipsa (ut clarissimè dicam) omnium rectè factorum, susceptorum, editorum operum comes individua NOSTRI COMPLACENTIA, quid hanc alit augetque tantoperè, nisi virus quoddam in visceribus latens, & quædã de nobis ipsis elatior imò pestilentior opinatio? Cum nostro vel ingenio, vel judicio, vel solertiæ quicquam tribuimus, dum nostris innitimur artibus, consilijs, ijsque vijs insistimus, quas aut malas esse, aut à veræ sapientiæ semita novimus alienas, annon rerum caducarum nimium memores, vel cœleste minus imploramus subsidium, vel sapientis & suavissimæ providentiæ divinæ vim protinus enervamus. Terque quaterque felices essemus, si merè ut verè, non voce & verbis tantum, sed animo & corde cuncta nobis immeritis SS. Numinis liberalitate concessa fateremur. Crystallum aliquam animatam esse faciamus, quæ lucis avida Solis radijs oportunè se subijciat, his autem commodè susceptis, & circumquaque limpidius expansis, si lucis ejus repercussu ista se luce beatam, & non mediocri laudatione

dignam existimet, annon subducente se Sole risum alijs moveat, tenebris involuta, nihilque juris in lucem præteritam vendicans? Sed inquies, id saltem laudi erit, quod & accesserit ad Solem, & natura sua sit pellucida, & repercutiendi vi polleat, fateor equidem, verum quid si illum ipsum accessum, illud pellucidum, illam repercutiendi vim à Sole totam acciperet, nec esse nisi per Solem posset, annon tota lucis illius laus in Solem meritissimo jure redundaret? Idem penitus ô Literate in bonis & donis Tibi collatis existima, sic enim à DEO dantur, ut DEI sint, qui utenda tibi tradit, grande olim fœnus exacturus. En ubi tandem nostra superbiendi gloriandiq́ue seges desinat; in timores, in angores, imò severissima judicia, ut cui plura data commissaq́ue sunt animi doctrinæq́ue bona, ab eo plura repetantur. Cur obsecro igitur bono quopiam donóque in nobis animadverso tantoperè extollimur, & confestim nos magnos summosque esse reputamus, si dona non esse nostra crederemus, atque nos propter ea rationi severius reddendæ obnoxios profiteremur, tunc tumori occultè inserpenti vel nullum prorsus daremus locum, vel majori risu hosti tam truculento nos opponeremus, inq; amplissimi Theatri arenam animo alacriori descenderemus, pugnam nobilissimam, solo DEO spectatore & arbitro strenuè decertaturi. Quam appositè belleque B. Hieronymus ad Eusto-

Eustoch. devotam illam virginem; *Nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorem. Onusta incedis auro, latro Tibi vitandus est, &c. Magnis inimicorum circumdamur agminibus, hostium plena sunt omnia, caro fragilis, & cinis futura postmodum pugnat sola cum pluribus, quod si Te multitudo turbaverit, ad singula tentamenta vitiorum cœperit æstuare, & dixerit Tibi cogitatio tua quid faciemus? respondebit tibi Eliseus, noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Hæc sibi dicta quilibet literatus existimet, nec de victoriâ à tam acerbis inimicis cunctisq; instantibus cogitationibus reportandâ desperet. Sed & gravissimum D. Fulgentij ad Theodorum Senatorem monitum frequenter sibi ad animum revocet: *Detestabilis est cordis humani superbia, quâ facit homo quod DEUS in hominibus damnat; sed illa detestabilior, quâ sibi tribuit homo, quod DEUS hominibus donat*, & quæ sequuntur: *Damnabilis est, qui substantia seculi mali malè utitur, sed damnabilior, qui spiritualibus donis superbus effertur.* Audiat & veteres Hebræos tradentes humilitatem esse signum genuini Abrahamitæ, fastum verò nothi notam certissimam. Sic enim in Pirke Afot legitur: *In quocunque tres hæ proprietates inveniuntur, oculus bonus*, (h. e. αὐτάρκεια quavis sorte contenta) *spiritus*

Hieron. epist. Eustoch. Virg.

Fulgent. epist. ad Theodor. Sen.

Pirk. Afot sub fin. c. 5.

mansuetus, (quidvis pati paratus) *& ANIMA HUMILIS* (cuivis cedere gnara,) *is est è discipulis Abrahami patris nostri, contra in quo tria opposita, malus oculus* (h. e. invidia,) *SPIRITUS SUBLIMIS, & anima curta* (impatiensque) *ille est discipulus Bileami maligni.* Inde est quod in Catechismo suo *Superbum* à Prophetis incircumcisum dici vel pueros doceant, septemq; abominationes animæ recensentes & explicantes, secundum statim locum superbiæ turpique mentis elationi tribuant, quoniam nimirum, Ebræo * quodam explicante, *superbia sit regnum absque coronâ, & homo cum se extollat, auris ejus & oculus & cor sint obturata ad audiendum videndum & intelligendum. Nam quomodo* (pergit notanter) *superbiat homo* (eruditus) *cujus finis est vermis? qui instar floris cadit, & veluti fumus consumitur? Et ob hanc causam superbus vocatur INCIRCUMCISUS sicuti scriptum est* (Deut. X. 16.) *Et circumcidetis præputium cordis vestri, porrò ex superbia consequitur odium,* quo

* *Rab. Abraham Jagelin Lekach tobb f. 10. col. 1. laudante Celeb. D. Carpzovio in notis ad Jus Regium Hebr. W. Schikardi pag. 218.*

quo talem omnes creaturæ prosequuntur, siquidem res omnes sociabiles sint præter superbiam, constatque insuper quod ex odio sequatur disjunctio, & ex disjunctione desolatio & perditio, adeoq; superbus destruit domicilium & mundum, & exosus est tam inferis quam superis, neq; enim creaturæ placet, neque DEO. Pudeat Christianos literatos nequissimo elationis arrogantiæque spiritui adeò indulgere, à quo ipsi Ebræorum magistri tantoperè abhorruerunt, fugiant potius fugiant inquam execrabile illud mundanæ fallaciæ ruinæque inevitabilis elementum, caveant sibi summo studio à perniciosæ præsumptionis fulmine, istique infernali elationis spiritui humilem cœlestemque Christi opponant, ac se tum demum non Abrahæ tantum vel Jsraelis filios, sed ipsius Salvatoris genuinos discipulos fore existiment, *si Oculo bono, Spiritu Mansueto, & ANIMA HUMILI* fuerint præditi, atque pro certissimo ponant principio, non nisi per humilitatem ad veram sapientiam ipsamque beatitatem viam patere, ad quam ut nos eveheret filius DEI, servi habitum non est dedignatus, qui quoscunq; ad se admittit, omnigenæque felicitatis, ac supremæ gloriæ scatebra recreare constituit, humiles esse desiderat. Quid hanc in rem glo-

riosus Martyr Cyprianus, prostratos in Bethlehemitico stabulo pastores intuitus? *Electa* [præclarè scribit] *adest humilium personarum simplicitas, ut poneretur regula, & indissolubilis daretur forma, quod NON NISI PAUPERIBUS SPIRITU pateret Christi humilitas, nec SUPERBOS ad intuitum sui posset admittere superna sublimitas. Non est confusus se ad formam servi exinanire, ut qui de fraternitate ejus gloriantur, & volunt adscendere, non erubescant descendere, sed eidem scalæ cum Jacob innitantur, & cantantes canticum graduum ab imis ad superiora conscendant.*

Cypriano tract. de primo opere Cardin.

Non aliam Tibi (*Magnus ait Aurelius*) ad capessendam & obtinendam dignitatem viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam DEUS videt infirmitatem. Ea autem est prima HUMILITAS, secunda HUMILITAS, tertia HUMILITAS, & quoties interrogares hoc dicerem, non quod alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus & præcesserit & comitetur, & consecuta fuerit, totum extorquebit de manu superbia.

Aug. Ep. 56.

Hujus

Hujus hostis (scribit alibi) *vires non sentit, nisi qui ei bellum indixerit: Quia etsi cuiquam facilè est laude carere dum denegatur, difficile est ea non delectari cum offertur.* Non verbis solum hæc docuit Augustinus, sed re & opere ipso, utpote qui in sublimioribus cunctis se demisissimè habuit, se suaque omnia non tantum aliorum judicio libenter subiiciens, sed (licet doctissimus fuerit) infimum tamen sese credens ac postremum, quantoque major in existimatione hominum erat, tanto magis se in omnibus humiliavit. Si Paulus Apostolus (*dicebat*) quanto magis ego, longè infra illius jacens pedes &c.

Idem Epist. 64.

XIV. Quantumvis verò major & operosior videri possit moderationis observatio in internis sive animæ bonis, quam externis sive corporeis, eò quod summa mentis cœcitas cognitionem nostri summoperè impediat, efficiatque ut minus nobis quoad ipsa rerum internarum viscera simus perspecti; neutiquam tamen justam literati propter ea quoq; bona superbiendi causam habebunt, si quanta sit scientiæ nostræ exilitas probè deprehendant. Miratur haud abs re Theodoretus non pudere philosophos passim gloriari compertam sibi esse aëris ætherisque mensuram, qui maris tamen profunditatem ignorent, quam conto ac summissis funibus & bolide explorare non adeò arduum videretur, qui etiam circa res naturæ tantoperè invicem dissentiant, non exiguo argumento latentis veritatis & densæ ignoran-

Theodor. lib. IV. ad versus Græcos sub init. Idem latè versat Lucianus in Herm. sive dial. de sectis, & dial. cui tit. vitarum auctio;

tiæ noſtræ circa ea ipſa quæ in oculos incurrunt, quanto magis circa res abditas, vel ſenſui impervias? uti & Arnobius ex tanta philoſophantium diſſenſione optimè concluſit; *cum enim* (ita ille) *veritas una ſit, & tanta diſſidia pugnantesque ſententiæ inter ſapientes de rebus ſenſum ferientibus efferbuerint, multos errare neceſſe eſt, & ignoratione* laborare. Cœcum equidem eum eſſe oportet, qui plurimis errantibus ſe ſolum à labe immunem fore exiſtimaret, ex tanto erroris periculo, tamque denſis tenebris neutiquam elationis ſuperbiæque argumentum, ſed potius humilitatis & deſpicientiæ ſui ubertimam capiat materiam. Imò quantò quis rerum naturæ peritior, tanto de ſe ſentiat demiſſius, quod norit quam parum de intimis naturæ receſſibus intelligat, ac pro rerum penetralibus ſola veſtibula teneat. Socrates certè mortalium (ut vulgò creditum) ſapientiſſimus, cœciorem ſeſe eſſe agnoſcit in pervidendis naturæ rebus ex quo philoſophiæ dediſſet operam. *Et cum* (Lactantio præclarè ſcribente) *eſſet omnium philoſophorum doctiſſimus, tamen ut cæterorum argueret inſcitiam* (immenſæ ſc. ſuperbiæ ſociatam) *qui ſe aliquid tenere arbitrabantur, ait ſe nihil ſcire, niſi unum quod nihil ſciret. Intellixit enim doctrinam illam nihil habere in ſe certi, nihil veri, neque ut putabant quidam, diſſimulavit*

idemque in omni ſcientia & diſciplina certi mon ſtrat Tiraquellus cap. 31. d nobil. n. 532. ſeq.

Arnob. lib. II. n. 50.

apud Theodor. l. c. lib. 2.

Lactant. lib. de ira DEI cap. 7.

lavit ipsam doctrinam ut alios refelleret, sed vidit ex parte aliqua veritatem, Testatus est etiam in judicio (sicut traditur à Platone) quod nulla esset humana sapientia: adeoq; doctrinam quâ tum philosophi gloriabantur contempsit, derisit, abjecit, ut id ipsum pro summa doctrina profiteretur, quod nihil scire didicisset. Pectoris nimirum humani tenebras probè agnovit, & quantoperè ad rerum omniũ notitiam cæcutiamus. Quemadmodum & Gregorius Nyssenus, increpans Eunomii (rerum altissimarum, ipsiusque divinæ essentiæ cognitionem jactantis) fatuitatem, non malè statuit, naturam animalium etiam minutissimi nempe formicæ à nobis ignorari. Locus est egregius quem idcircò nolo præteritum: *Qui gloriatur jactabundus se, eorum quæ sunt scientiam adeptum esse, quod minimum est eorum quæ nobis ante oculos apparent: quæ sit ejus natura, nobis explanet, ut ex eo quod notũ est, de eo etiam quod occultum est & incognitum, fidem faciat. Et quanam sit formicæ natura sermone explicet; utrum spiritu & habitu ejus vita contineatur, utrum visceribus dispensetur similiter aliis animalibus, utrum ossibus corpus constructum sit, utrum medulla ossium*

Gregor. Nyss. orat. 9. contra Eunom.

cavitates intus plenæ sint; an nervis & vinculis compages sit contenta; an musculorum amictibus, & adenum sive grandularum, nervorum situs contineatur? - - - Quamdiu vivat, & quis ex sese generationis modus; & quanto tempore fætus concipiatur, & quomodo neq; formicæ omnes pedestres, neq; volucres omnes, sed aliæ humi reptent, aliæ aëreæ videantur. Qui igitur se jactat eorum quæ sunt naturam adeptum esse, nobis primum formicæ naturam declaret. Qua ipsa argumentatione præter Eunomium convinci possent omnes ventosi in Orbe literato Thrasones, quibus frequens est jactare illud ab Origene in Celso Epicureo tantoperè exagitatum: OMNIA NOVIMUS! Non paucos olim turpissimi fastus œstro percitos id de se professos fuisse, ex Dione, Platone & Nazianzeno discimus, eaque propter Euthydemum quendam insolentissima vanitate diligentissimè cavisse, ne quidquam ab alio discere videretur, Xenophon disertè prodidit. Annon nostro etiam ævo quidam eâdem labe correpti ac corrupti inveniantur dispiciant alii. Non possumus equidem non eorum coarguere insipientiam, qui cùm cæteros à pernicioso illo animi tumore avocare, mentisque integritati restituere deberent, ipsi utplurimum ingentem animi sui

Apparet Nyssenũ ut sæpè alias ex fratre Basilio profecisse scribit Th. Raynaudus Lib. VI. de Virt. & vitiis Sect. 2. c. 18. Conf. Nyss. epist. 168. Itẽ Origen. contra Cels. Xenophon lib. 4. memor. Socrat. dict. atque fa ctor.

ſui elationem per aliorum (etiamſi doctiorum ac meliorum) prodant contemptum, toti interea ſint in ſterili verborum aucupio & orationis floſculis conquirendis, eaque lenocinia ſæpè in ſui & auditorum detrimentum conſectentur, licet ipſi gentilium magiſtri, cumprimis Seneca & Macrobius eam orationis caſtigaverint laſciviam, & tanquam clariſſimum corrupti [imò inflati turgidique] animi indicem meritò exploſerint. Meritò inquam; *Eſt enim* [ſcitè dicente Caſſiodoro] *quoddam mentis ſpeculum, agentis oratio, nec majus poteſt eſſe mentis teſtimonium quam qualitas inſpecta verborum.* Hæc itaque ſi elatam quandam redoleant vanitatem, haud obſcurè innuere videntur, quid de ipſo proferentis animo ſit ſentiendum. *Cujuscunq; orationem* (appoſitè ait Seneca) *videris ſollicitam & politam, ſcito animum quoq; non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſius loquitur & ſecurius. Quæcunque dicit plus habent fiduciæ quam curæ. Noſti complures juvenes barba & coma nitidos, de capſula totos. Nihil ab iis ſperaveris, forte nihil ſolidum. Oratio vultus animi eſt, ſi circumtonſa eſt, & fucata, & manu facta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, ſed habere aliquid fracti, non eſt ornamentum virile concinnitas.* Nullum equi-

Seneca epiſt. 114. Macrob. II. Saturnal c. 4.

Caſſiod. lib. 5. Epiſt. 22.

Seneca epiſt. 115.

equidem dubium est eruditorum plurimos nimia sua dicendi & loquendi elegantia & cultu ingentem animi fastum prodere sqvaloremq;, variam imò & præposteram laudis ac gloriæ ex inani argumento captationem auditoribus objicere contuendam, nec non judicii defectum, & puerilem in re seriâ hallucinationem apud cordatos risu & subsannatione dignissimam. *Quàm absurdum est* (inqvit Max. Tyrius) *quod pyrum, ut Homerus ait non senescat, nisi novum adveniat, nec malum, nisi aliud accedat, uva uvæ succrescat, ficus fìcui; sermo verò solus simul nascatur & pereat, fructusque orationis nec semen ullum habeat, nec vim nutriendi, neque interiora animæ penetret,*

Maxi Tyrius dissert. 15. n. 89.

Sed tantum leviter supra natet, instar olivi?

Sic non malè carpit Tyrius perniciosam illam dictionis concinnitatem & rapiditatem, nec abs re alii invehuntur in hujusmodi sermonis ostentationem, quâ studio singulari quidam verba obsoleta & vetusta ad usum revocare, indeque imperitorum admirationem ac plausum quærere conantur, saltim prætermisso fructu solam spectantes verborum compositionē. *Musonium* Philosophum (*ita egregiè Gellius*) solitum dicere accepimus: Cum Philosophus

Conf. Lucian. in Alexiphane, & in Rhetorum præcept. ac Gell. lib. I. c. 10. l. 5. c. 21. lib. 6. c. 15. l. 13. c. 9.

phus hortatur, monet, ſvadet, objurgat, a-
liudve quid diſciplinarum diſſerit, tum
qui audiunt, ſi de ſummo & ſoluto pecto-
re obvias vulgatasque laudes effutiunt, ſi
clamitant etiam, ſi vocum ejus feſtivitati-
bus, ſi modulis verborum, ſi quibusdam
quaſi frequentamentis orationis moven-
tur, exagitantur, & geſtiunt, tum ſcias &
qui dicit, & qui audivit fruſtra eſſe, ne-
que illic philoſophiam loqui, ſed tibici-
nem canere. *Nec minus præclarè Seneca*;
Audiſſe Te ſcribis Serapionem Philoſo-
phum, cum iſtuc applicuiſſet, ſolere ma-
gno curſu verba convolvere, quæ non ef-
fundit, ſed premit & urget. Plura enim
veniunt quam quibus vox una ſufficiat.
Hoc non probo in philoſopho, cujus pro-
nunciatio quoque ſicut vita debet eſſe
compoſita. Pluraque addit inſignia adver-
ſus vanum à rebus [ut ait] ad verba transla-
tum ſtudium, quæ apud ipſum non ſine fructu
legi poterunt & emolumento.

Gell. lib. V. cap. 1.

Seneca epiſt. 40.

XV. Operæ equidem pretium fuerit ea le-
giſſe non paucos ſub Chriſtianorum oratorum
larva Comœdos & circulatores, inflatæ elatæ-
que vanitatis utres, quorum oratio (ut Mure-
tus haud abs re ad iſtam Senecæ epiſtolam ſto-
macha-

Muretus comment. in Senecam.

machatur,) cum non compta ac calamiſtrata, ſed gravitatis, authoritatis, majeſtatis ac ſanctimoniæ plena eſſe deberet, tota papavere ac ſeſamo ſparſa eſt, & ex mellitis verborum contexta globulis, ita ut ad eos non tanquam ad vitæ magiſtros aut vitiorum correctores, ſed tanquam ad Comœdos aut hiſtriones eatur. Stant illi, & cum frontem bis terve confricuerunt, barbamque permulſerunt, hiante & mirificum aliquid ac θεσπέσιον expectante plebe (plebis autem nomine etiam quosdam ex optimè veſtitis comprehendo) laxant habenas lingvæ, & ſimiliter cadentia, ſimiliterque deſinentia coacervantes, paria paribus, contraria contrariis opponentes, multa etiam ſemel ſuo ordine dicta, ſurſum verſum, aut aliàs variato ordine repetentes, eaque in re memoriam pueriliter oſtentantes, atque hæc ſaltatricularum in morem geſticulatoriis, neque unquam quietis manibus adjuvantes, argutè multa, multa quibus riſum excutiant, dicunt. Nunquam interim aut ſibi aut auditoribus reſpirandi facultate permiſſa. Quibus omnibus rebus,
admi-

ādmirationem imperitis, cordatis & intelligentibus nauſcam ac ſtomachum commovent. Hoc ſcil. elatæ illius vanitatis eſt præmium, faſtusque indecori adæquatum ſtipendium. Verum graviora longè mala è cœnoſa ac lutulenta iſta tumidæ orationis ſcaturigine promanare Magnus Chryſoſtomus obſervavit, plebem ſuam notanter hunc in modum compellans: Hoc ſubvertit Eccleſias, quod & vos non quæritis audire ſermonem qui compungere poſſit, ſed qui oblectet tinnulo ſtrepitu & verborum compoſitione, quaſi citharœdos & cantores audientes, et nos frigidè ac miſerè facimus, noſtras affectiones ſequentes, quas ejicere oportebat - - - Floſculos verborum & compoſitionem & harmoniam curioſius ſectamur, ut canamus, non ut proſimus, ut ſimus in admiratione, non ut doceamus, ut oblectemus, non ut compungamus, ut plauſu & laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus. Quæ ſudorum meorum utilitas, ſi auditores è verbis meis nullum fructum accipere volunt? Sed & multo ante Chryſoſtomum tempore Clemens Alex. cum ornatum diſſertationis turpem eſſe & indignum philoſopho

Johan. Chryſoſt. hom. 30. in Acta.

Clem. Alex I. ſtromat. c. 4.

Hieron. epist. ad Nepotianum.

ſopho Chriſtiano diſerte judicavit. Coronidis loco inſignem è quâdam Hieronymi epiſtola locum adſcribamus, cum planè nobilis ſit & luculentus: Verba [ſcribit] volvere & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere indoctorum hominum eſt - - Nihil tam facilè quam vilem plebeculam & indoctam concionem lingvæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit plus miratur. Loquor enim quæ ſum ipſe nuper expertus. Unus quidam Poëta nominatus homo perliteratus, cujus ſunt illa colloquia poëtarum ac philoſophorum, cum facit Euripidem & Menandrum inter ſe; & alio loco Socratem atque Epicurum differentes, quorum ætates non annis, ſed ſeculis ſcimus eſſe disjunctas, quantos is plauſus & clamores movet? Multos enim condiſcipulos habet in theatro, qui ſimul literas non didicerant. Tale ſapientiſſimus Doctor judicium tulit de inani illa captatione gloriæ & vana eruditionis oſtentatione, qua de peculiari commentatione egimus.

XVI. Quàm jejuna autem turpisque ea ſuperbiendi eſt materia, quæ ex dicendi facultate ſublimiori deſumitur, tam perniciosa & exitio-

exitiosa ea est elatio, quæ ex ipso VIRTUTUM CHRISTIANARUM STUDIO ATQUE EXERCITIO ducit originem. Hanc labem meritò Nazianzenus *malorum nostrorum miserrimum* appellavit, disertè judicans, id esse supra modum peccans peccatum, per id quod optimum est, homini exitium afferens. Sanè si divinæ bonitatis infinitatem eo nomine suspexit Plotinus (referente Theodoreto contra Græcos,) quod ex malis bona eruat, [neque enim peccata permitteret, nisi fructum ex eis longè majorem quam fuerit malitia exiturum prævideret, ut disertè D. Augustinus docuit] infelicitatis summæ ac imbecillitatis cum summa perversitate conjunctæ esse videtur ex bono eruere malum, & ex virtute vitium excudere, quod facit, qui bona sua moralia, virtutes inquam & studiosas actiones elationis habet argumentum. Ideò insignes morum, magistri (ipso Salvatore præeunte) sollicitè monent, caveat qui rectè operatur, ne bona sua opera evulgata velit cum aperto & humilitatis & pietatis discrimine. Quid quod Epictetus apud Arianum expostularit quosdam esse, qui tanquam boni Tragœdi nequeant sibi solis canere, sed semper cœtum & theatrum quærant, quo actiones suas honestas prodant, moxque addit: *Si quis aquam bibit, aut molitur quippiam studiosi operis, quamvis captat occasionem,*

Gregor. Naz. Orat. VII.

Theodor. lib. 6. contra Græcos.

Arian. lib. III. cap. 14.

qua ostentet sese omnibus, prædicans se aquam bibere, num ideò aquam bibis, quia aquam bibis? Bone Vir, si prodest tibi eam bibere, sanè bibas ipsam; sin minus, ridiculè facis. Quod si prodest tibi ac bibis, taceto coram iis, qui ab hujusmodi abhorrent rebus, quid enim est quamobrem placere his studeas? Sic idem Epictetus alibi eum qui Venere abstineant vult id tacitum habere, nec propalare apud alios, ne dum corporis retinet integritatem, eam virtutem perdat, quam eleganter Fulgentius *animæ integritatem* appellavit, i. e. humilitatem. Hâc præditus homo doctrinâ pariter ac virtute illustris, non modo tumorem reprimere studet quoad eam elationis materiam quam ipse habet, sed etiam quoad eam, quæ occurrat in aliis, sibi per conjunctionem aliquam sive cognationis sive communitatis sive amicitiæ etiam specialis sociatis. Quemadmodum literatos Principum & Magnatum amicos ægrè modestiam retinere cum Cassiodoro quidam observarunt. Non minus equidem invigilandum est ut moderatio animi florente superiorum gratia & benevolentia custodiatur, quam si mens singularibus donis variæque doctrinæ ac virtutis thesauris sit prædita. Quid multis? Ubique & DEO & hominibus exosa est superbia, & cum DEUM specia-

Epict. in Enchiridio c. 47.

Cassiod. lib. 4. epist. 4.

liter

liter impetat hoc vitium, ejusque dignitatem & celſitudinem perversè æmuletur, ſemper ultrice ejus dextra eſt expiandum. Audiamus Philonem: *Illos* [ait] *qui faſtu turgidi nolunt reſipiſcere, lex non ad humanum tribunal mittit, ſed divino tradit judicio. Ait enim, quicunq; aggreditur aliquid agere cum ſuperbia DEUM irritat. Cur ita? Primum quia arrogantia eſt vitium animæ: Anima autem DEO ſoli eſt viſibilis. - - Deinde quoniam quilibet arrogans inſana opinione inflatus, non tam virum quam heroem aut genium quendam ſe exiſtimat, ut Pindarus inquit, tranſcendens humanæ naturæ terminos. Eſt autem nec animi ſatis compos nec corporis, toto habitu geſtuq; morbum præ ſe ferens, incedit ſummis pedum digitis - - arbitratur ſe omnium ditiſſimum, nobiliſſimum pulcherrimum, fortiſſimum, prudentiſſimum, temperantiſſimum, ſolertiſſimum, alios verò habet pro pauperibus, obſcuris, contemptis, imprudentibus, injuſtis, inſipientibus, piacularibus, nihiliq; homuncionibus. Meritò igitur talis ad DEI tribunal puniendus relegatur propheta ſententia.*

Philo lib. de charitate.

XVII. Exulet igitur ab animo doctrinæ eruditionisque insignioris copiis instructo omnis Elatio, nullum apud ipsum tumor superbiaque locum inveniat. Quodsi sereno gaudere velit cœlo, precibus assiduis incomparabile illud sinceræ demissionis charisma efflagitet ab eo, qui Spiritum Sanctum suum, Spiritum veræ humilitatis disertè promisit orantibus. In priscis cœnobitarum mensis memorabilem morem receptum fuisse Damianus perhibet, nimirum ut turpi Lectorum arrogantiæ sincera opponeretur humilitas, quendam à Cœnobiarchâ subornatū Lectori publico cathedram conscensuro sonorâ voce acclamasse: *Auferat à Te DEUS Spiritum ELATIONIS!* Quandoquidem lectoribus quibusdam arrogantiæ vitium olim adeò familiare fuerit, *ut dum alios per recti itineris tramitem* (ut Damianus loquitur) *dirigere debuissent, ipsi erroneæ confusionis periculum incurrerint;* Cui præcavendo solemnis illa formula seu apprecatio occentari debuerit: *Auferat à Te DEUS Spiritum Elationis!* Quidnî Vir piè-doctus, si perspexerit quantam labem animæ arrogans scientia inferat, quam fœdè succutiat & subruat virtutum ædem impotens iste halitus, (nimirum *quod* Gregorio dicente *dum aliquis de sacræ legis scientia gloriatur, pretium sibi convertat in veneni poculum, & inde RE-*

P. Damianus opuscul. XI. c. 18.

Gregor. M. lib. XV. Moral. c. 16.

PRO-

PROBUS moriatur, unde ad vitam erudire videbatur alios, inque doctrinâ sua mortem inveniat:) DEUM precibus compellaret assiduis atque ardentissimis, ut impudentissimum illum Satanæ angelum, *spiritum* sc. *ELATIONIS*, illum ingeniorum optimorum actionumque præstantissimarum nequissimum corruptorem à se auferat abigatque, ne [quod aliis accidit innumeris] ipse quoque ab eo decipiatur, supplantetur, extremæque perditionis periculū subire cogatur. NON VENIAT MIHI [dicat ad Regii Prophetæ exemplū] * PES SUPERBIÆ! Cave obsecro ô DEUS, ne comunis ille literatorum adversarius, ille turbarum & dissidiorum concitator, spiritus nimirum elationis suis me petat CALCIBUS, sed missum potius faciat, nec ullam in me deinceps exerceat potestatem! Meum gratiâ tua jugiter rege spiritum, ne supra me unquam extollar, neque gravi fastûs pondere gravatus æternum deprimar, fac ut superbiam frequenter mihi ob oculos ponam ut fumum, primò adscendentem, mox vanescentem, qui quanto fiat superior,

 perior,

* *Psalm XXXVI. vers. 12. juxta vulg. Apposite Thomas Aquin. in h. l. Non veniat mihi [scribit] pes superbiæ, id est* affectus superbiendi *removeatur à me. - Quia ex hoc pede est casus, sicut quando quis cadit propter PEDEM quem habet malum, & c.*

perior, tanto facilius evanescat atq; depereat. Si mihi quoq; astutissim⁹ ille hostis struat insidias, atque supplantare velit improvidum, Tua effice clementiâ ut tutus à labe consistam, neq; sublatus in altum, lapsu ruam graviore! Et cum facilius nihil sit quam PEDIBUS INFLATIS & intumescentibus impingendo, extremam corpori universo accelerare miseriam, hinc tanto ferventius DEum literatus invocet, ut perniciosum illum Elationis auferat *tumorem*, nullamque præsumtuosam ambitionem animo suo dominari permittat. Si alios sui ordinis suæque facultatis homines videat, non solum inflato illo superbiæ pede miserè supplantatos, verum præ fastu & arrogantia terram PEDIBUS vix amplius contingentes, *alasq;* sibi cum Icaro quærentes quibus in altum evolent, noster Davidica illa eò fortius ingeminet verba: *Non veniat mihi pes superbiæ*, ne forsitan offendam alicubi miserè, extremæque perditionis barathrum incurram. Adhæc consilii Apostolici memor literatus DEOque sacratus homo nequaquam *ALTUM SAPIAT*,
Roman. XI, 20. *sed TIMEAT potius*, nihil de semetipso præsumens, nihil ingenio suo industriæque tribuens, sed fragilitatem pariter ac vilitatem naturæ suæ diligenter assidueque considerando omnem superbiæ (ex literarum artiumque studiis conceptæ) aditum intercludat. Timeat inquam potius, quam suis confidat ingenii do-

ctrinæ-

ctrinæque opibus, totus cohorrescat, ubi apertis mentis serenatæ oculis ingentia sua perspexerit pericula, nimirum quod (dicente Eusebio Emisseno) tanti tamque fallaces sibi objiciantur laquei, tam atroces innumerique hostes gressus suos observent, tantæ foveæ, tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interjaceant inter se & finem suum, h. e. supremã & imperturbatam felicitatem. Ad hæc cogitans quam arcta & ardua sit salutis via, quibus spiritualium latronum insidiis obsideatur, qui scopuli sint transeundi, qui subeundi fluctus, quanto sæpè impetu ab adversariis ad casum concussus sit, & ex casu in præcipitium, quoties Hannibal ante portas, molles nimirum enervatique affectus, hostes innumeri & indomiti se haud quidem invitum nec reluctantem oppresserint; quoties amoris gratiæque cœlestis funiculis tractus nefariè sit reluctatus, & trahentem Dominum neutiquam secutus, totus ille contremiscat, & de fastu omni abdicando extingvendoque seria secum (ope cœlesti fretus) agitet consilia. Porrò perpendens lapsorum superborum ab omni ævo historiam, Angelorum, Protoplastorum, omniumque profanè alteque nimis sapientium tragœdias, quam graviter perfidi rebellesque illi, qui cœlo bellum indixêre, à supremo tum judice tum vindice fuerint puniti; quam horrendum Gigantomachia ista semper habuerit exitum,

 nimi-

nimirum ut fulmine tacti Jovis impugnatores, jamque pridem suis machinis incinerati, exemplo suo miserabili posteros docuerint, non impune cœlum Numenque bello peti, nec DEUM fastu mortalium irritatum quiescere, *donec* (ut propheta ait) *grave de inimicis illis suis sumptum sit supplicium.* His inquam calamitatibus miseriisque probè ac diligenter perpensis, quilibet literatorum hominum de eradicandis extirpandisque damnificæ illius arrogantiæ zizaniis apprimè sit sollicitus. *Ad quid superbiat terra ac cinis?* quænam arrogans ista esset prætensio, quæ temeraria præsumtio ut cinis superbire velit ac lutum? Num se extollet cœnosus vilisque humuncio, ingenii sui doctrinæque (spreto Creatore) confidens opibus? Indignum potius se reputet aëre, quem respirat, indignum cœlo, quod adspiciat, siquidem superbiendo perire maluerit cum diabolo, quam æternum regnare cum Christo. Subeat animum ejus ingens admiratio, quomodo angeli eousq; sustinere potuerint perduellẽ Creatori, astra benignis observare adspectibus, elementa confovere, boni probique homines consortio suo dignari tantum omnipotentis Domini contemptorem. Planissimè sibi persvadeat non amplius esse quærendi locum QUID FECISSET? Siquidem de latente animi fastu ab interno monitore abunde jam sit convictus; sed tempus potius esse, imò plusquam

Esa. I.

Ecclef. X, 9.

quam tempus,ut cum Saulo persecutore in terram prostratus, ob tanta flagitia tremens, ob tot pericula stupens, oculis lacrymantibus, contrito corde & singultiente voce exclamet: DOMINE QUID ME VIS FACERE? Seriam (ita ore respondet Prophetico-Apostolico) *age pœnitentiam*! summa cum reverentia coram læsa procumbe Majestate cœlesti, corque sincerè adaperiendo animi tui statum miserabilem detege, ad divinæ clementiæ Salvatoris beneficio partæ thronum cum fiducia accede, & cane pejus ac angue omnem deinceps fuge mentis elationem.

XVIII. Tanto verò tamque intolerabili jugo, cœlesti ope excusso, pie literatus in veræ sinceræque humilitatis via constanter ambulet, utque ad eam tantò facilius feliciusque pertingat, frequenter mentis oculos in id convertat, quod centum vel quinquaginta ab hinc annis fuerit, quodque tunc fuerit DEUS, equidem deprehendet tunc se nihil, nullaque rei cujusquam curâ tactum; DEUM verò semper fuisse immensum, infinitum, immutatum, Regem summum atque potentissimum, rerum & virium omnium fontem indeficientem, à quo omne suum esse, posse, vigere, perdurare usque eo continenter defluxerit, ut si vel momento vigorem instillare intermisisset, illicò in nihili sui voraginem fuisset detrusus. Quodsi ignis igni, venenum veneno alteri possit esse

remedium, quidni naturæ nostræ inpulveres & VERMES resolvendæ consideratio interimere *vermem* SUPERBIÆ posset, omnemque animi expellere fastum? Si diligentiori insuper mentis trutinâ ponderet literatus partim ea quæ sibi etiamnum desint, partim in quibus frequenter deficiat, nullam sibi vel ad illa comparanda, vel ad hæc ritè consummanda facultatem inesse reperiet, nisi eam largissimo DEI munere recipiat. Licet egregia artis scientiæ ingeniiq; ornamenta possideat, plura semper præstantioraque sibi deesse persentiscet. Quantæ [bone DEUS!] omnigenæ eruditionis copiæ (uti supra monuimus) adhuc sunt absconditæ, quas nequidem prioribus labris eruditi attigerunt, vel in quibus minus accuratè sese exercuerunt! quam multa in rerum divinarum atq; humanarum præteritarum pariter ac præsentium cognitione ignorant! In tot linguarum, artium, scientiarum, exercitationumque varietate quam multa ne tenui quidem suspicione percipiunt! Ea verò in quibus plus aliquid peritiæ sibi arrogant, magna adeò mediocritate & definito limite possident, ut plurimarum earumque utilissimarum rerum defectu laborent, nec doctrinæ scientiæq; opibus adeò onusti sint, quam se divites esse mentiantur. Hinc non solũ intelligent, quam exiguã peritiæ aut eloquentiæ cujusvis habeant portionẽ, sed quam longis parasangis superentur ab alii, ut præ istis, tantillũ id quod habent, vix aliquo

in

in pretio sit reputandum, hinc suæ eos tenuitatis omninò pudebit, oculis animi potius ad præstantiora quam ad inferiora conversis. Sique id ipsum divinæ gratiæ radiis collustratus literati hominis animus assiduè consideret, non adeò arduam, nec laboriosam imò nec admodum operosam veræ sinceræque humilitatis exercitationem esse deprehendet. Nunquam sapiet aut spirabit ille altiora, sed AD ALTIORA potius sinceræ pietatis suique ABNEGTIONIS *culmina* usque & usque adspirabit, quanto fiet locupletior, tanto sibi pauperior videbitur.
Tantò unusquisque [ait quidam] *capacior tanto*
avidior erit quanto inde plus hauserit. Siquidem *Inter e-.*
virtus dum in processu est, non tam quidpro- *pist. Au-*
fligatum præclareque actum sit reputet, quam *gust. ep.*
quantum profligandum restet atque per- *142. c.*
ficiendum. *Vere pius* (inquit ipse D. Aurelius) *11.*
plus semper intendit in ea in quibus sibi *August.*
displicet, quam in ea si quæ in ipso sunt quæ *l. V. de*
non tam ipsi quam veritati placent. Neque *C. D. c.*
id tribuit unde jam potest placere, nisi ej⁹ mi- *20.*
sericordiæ cui metuit displicere. Si profanus
ille Sexti⁹ die quolibet peracto ad contempla- *apud Sen.*
tionem sui reduxit animum, quidquid gesserat *l. 3. de i-*
dixeratque examinans & ad Pythagoræ exem- *ra c. 36.*
plum secum exigens: Quid prætergressus? *& 37.*
Quid *gestum in tempore? quid non?* Si idem ipse fecit Seneca, inquirens in se an ex præceptis se gessisset, cui affectui restitisset, qua parte sani-

ſanior vel ſanabilior evaſiſſet; potius de eodem officio ritè adimplendo ſemper cogitet literatus chriſtianus, indeque fragilitatis ſuæ capiat documentum. Nec minus ad animum ſibi tevocans quam nihil ſit, quam illa ipſa quæ aliunde acceperit tenuia atque mediocria ſint, TIMORIS potius quam TUMORIS anſam atque occaſionem arripiat, utque eò magis in præclaro hoc doctrinæ profundiſſimæ genere proficiat, & in cœleſtem tandem aliquando Academiam cum optimis Chriſti humilimi diſcipulis tanto certius transferatur, mirabilem Magni Gregorii ſententiam diligenter aſſidueque perpendat: EVIDENTISSIMUM REBROBORUM SIGNUM SUPERBIAM ESSE, ſiquidem illi ob nefaſtum ſuum FASTUM è FASTIS DIVINIS deleantur, atque expungantur è libro VITÆ. Quod unicum effatum, pro dignitate ſua in dies inque momenta ſingula ritè conſideratum æſtimatumque, ingentem in eis Superbiæ execrationem, mirabiles verò humilitatis amores concitabit.

Gregor. lib. 34. Moral. in fin.



COM-



COMMENTATIO III.
DE
LITERATORUM HOMINUM CENODOXIA,
SIVE PERNICIOSO
INANIS GLORIÆ AMORE AC STUDIO.

I.



Aud abs re Magnus ille Albertus in doctrinis ethicis hominem usq; adeò sui ipsius deceptorē atq; illusorem esse judicavit, ut proprios sæpè tanquam IDOLA veneretur affectus. Hoc autem pernicioso mentis malesanæ excessu præ cæteris mortalibus VIRI quidam ERUDITISSMI tantoperè laborant fœdanturque, ut miserrimæ illius deceptionis fraude irretiti in gravissima propendeant crimina, aramque virtutis in cordibus suis doctrinæ beneficio erectam constitutamque turpiter diruant atque evertant. Dum enim suos affectus

ctus tanquam Numina quædam, vel luto ficta, vel ære fusa, vel auro recocta, vel ligno dolata, vel sculpta lapidibus sinistra quâdam naturæ propensione colunt, iisdem præstantissimũ immolare ingenium, suosq; libare sudores haudquaquam verentur. Sic multi Iræ, (sævissimo illi eruditorum pectorum tortori) plures dolori, alii aliis litare solent animi ægritudinibus. Nonnulli fœdam adeò & christiano homine nomineque prorsus indignam amant ἑαυτοθυσίαν, ut studia cuncta, vitam, tranquillitatem, conscientiam, imò ipsam animam patronis immolare, spretoque creatore thura incendere creaturis constituant. Atque ut unusquisque literatus de optimo mentis statu optionis errore dejectus, aut perditè concupiscit, aut impotenter amat, aut desperatè metuit, ita sibi peculiare in animo idolum fabricat, cui profana sese religione devovet, litatque turpiter.

II. Inter subitaria autem isthæc literatorum hominum Numina, ipsorum vel ingenio, vel errore & hallucinatione procusa, de quibus haud malè dicitur:

- - sua cuiq; Deus fit dira cupido,
Dum sibi quisq; Deos avido certamine fingit,

Locum facilè palmarium INANIS GLORIA obtinet, turpissima illa superbiæ species, quam * B. Augustinus graphicè delineans, nil aliud esse

esse pronunciavit, *nisi secreti conscientiarii desertionem*, cujusque finem & scopum palmarium Thomas propriæ gloriæ excellentiæque manifestationem esse iudicavit. Ita plerunq; eruditis Viris inhæret laudis existimationisque suæ studium, ut quondam ingenuè fassus sit Demosthenes, se delectatum susurro aquam ferentis mulierculæ alteri in aurem dicentis: *Hic est.* *Cicer. Tusculan. 3.* Docet Gyraldus veteres Jovem, Saturnum, Martem atque alios Deos majores adoraturos pedibus oscula libasse, at verò Deorum filiis aut semidiis, scil. Herculi, Polluci, Castori aliisq; manuum oscula obtulisse, ut dispar adoratio inæqualitatem divinitatis innueret, sic doctorum hominum plurimi inani gloriâ turgidi planè divinos sumsere spiritus, ac sibimetipsis tanquam Diis superioribus; aliis verò eruditis, veluti quibusdam semidiis aut Deorum filiis perversæ opinionis suæ oscula impressêre. *Gyraldus de Diis Gentil.* Arrogante ejusmodi & funesta sui persvasione olim Crescens ille laborabat, cui S. Justinus Martyr in altera ad Senatum Apologia objecit quod οὐ φιλόσοφος, ἀλλὰ καὶ φιλοκόμπος καὶ φιλόδοξος sit, eundemque Crescentem *plausus popularis & jactantiæ studiosum* hominis sapientis appellatione mini-

* *Lib. II. de Gen. contra Manich. c. 5. Superbia* (ait) *non est aliud nisi deserto decreto conscientiæ foris videri velle quod non est.*

Digitized by Google

minimè dignum esse enunciavit. Tales pleriq; fuêre Gentilium Philosophi, quos non immeritò ANIMALIA GLORIÆ à Tertulliano & Hieronymo appellatos fuisse Heraldus in suo ad Tertulliani apologeticum commentario annotavit. Ac licet multa illi ad speciem fecerint, quæ professioni & nomini sapientiæ satis convenire viderentur, deq; summa hominis felicitate altissimâque animi tranquillitate præclarè disseruerint, haud quaquam tamen ad veræ summæque sapientiæ culmen pervenêre, eò quod in vanitatem toti intenti nec de aliâ re magis, quam laudis gloriæque sublimioris consecutione, & propriæ existimationis incremento solliciti fuerint. Ipsum cumprimis ARISTOTELEM insana gloriæ cupiditate eò abreptum fuisse quidam asseruerunt, ut cuncta veterum philosophorum monumenta flammis abolere tentaverit. *Uno incendio* (scribit Chrysostomus Magnenus) *congestas triginta sex seculis tot sapientiæ divitias absumsit, & si quæ voluit superesse funeri, ea omnium ludibrio dicteriisque lacessenda tradidit posteris, dum in optimorum bona invectus, abscissis perditisque sapientiæ statuarum capitibus suum imposuit singulis, &c.* Quicquid verò de Aristotele ad hoc scelus quod attinet (quo eum omninò vacasse Viri quidam erudi-

Chrysost. Magnenus Democriti revivisc. pag. 33.

ruditissimi judicarunt, existimantes nonnullos in ipsum affectu magis aut ignorantiâ, quam ratione impulsos ita detonuisse) sit statuendum; CICERONEM tamen perniciosa illa INANIS GLORIÆ labe gravissimè correptum corruptumq; fuisse, & hoc uno flagitio, quod se ipsum laudaret & celebraret assiduè, multos offendisse testatus est Plutarchus, meritoq; immensum illum suggillavit tumorem ex scientiâ & literariis insignibus conceptum, quem non ineptè Eunapius AUREAM INSANIAM vocavit. Præcipua hæc nota hominis est impudentis, qui sibi soli ita placet, ut præ se cunctos contemnat alios, sibi impensius ablanditur, se unum admiratur, se prædicat, sese cuivis venditat. Hujus notæ fuit ille apud Arrianum, quem Epictetus ita loquentem induxit: *Quando inanis fuero & vacans curis præsertim in convivio, admiratione suspensos habeo convivas præsentes dum enumero scriptores. De his rebus mira scripsit in primo περὶ δυνατῶν Chrysippus, & Cleantes separatim de his librum edidit, nec non & Archedemus; quin & Antipater, nec solum in libris περὶ δυνατῶν, sed peculiariter quoq; in libris περὶ κυριεύοντος; commentarium non legisti? non legi; lege igitur. Et quid utilitatis inde capiet?* subdit de thrasonica

Plutarchus in Cicer.

Arrian. lib. II. cap. 19.

illâ jactantia Epictetus, *nugacior & ineptior erit quam antea fuerat, cum Tu cum legisti non magis in virtute profecisti.* Putida igitur erat hæc hominis [licet reverà eruditi] ostentatio, dum variam suam lectionem intolerantius jactavit assidentibus. In eâdem ostentationis palæstra illi apprimè olim fuêre versati, qui astantium auribus nescio quos centones latinos vel græcos hinc inde collectos obtrusêrunt, plenasque ridiculæ venditationis voces emiserunt: *Memini me legere; Poeta canit, docti in sermonibus dictitant*, & sexcenta id genus, quæ cum apud imperitos magnam habeant admirationem & plausum, insulsos literatos tantoperè inflarunt, ut magnificè de se ipsis sentire, suasque passim ostentare opes & dotes prædicare non dubitarint. Audiamus quid scripserit Svetonius de quodam hujus pulveris bambalione: *Palamon Grammaticus arrogantia fuit tantâ, ut Marcum Varronem porcum appellaret, secum & natas & morituras literas; jactaret nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed præsagiente Virgilio fore quandoque omnium poëmatum Palamonem judicem.* Quid arroganti hoc tumore pestilentius? Haud multo modestior Appion Grammaticus, is quem Tiberius Cymbalum Mundi appellavit, cum publicæ famæ

Sveton. de illustr. Gramm.

famæ inanisque gloriæ tympanum videri posset *immortalitate donari à se scripsit, ad quos aliqua componeret*. CALLIPHANEM poetam non immerito Ravisius, Athenæo præeunte reprehendit quod diversorum carminum & orationum initia conscribere consueverit, eaque ad tres aut quatuor versus pronunciare & OSTENTARE, ut commentum ignorantibus multiscius & eruditus videretur. Nimirum varios utroque orationis genere libros paucis ille lineolis tantum inchoaverat, nec ulterius erat progressus, iisdemque operum imperfectorum initiis vanam captabat gloriam, quasi foetus illos omnibus numeris absolutos in scriniis suis asservaret. Nec satis decenter Calvisius quidam Sabinus fatuos umbratilis gloriolæ igniculos captavit dum magnis pretiis (Seneca teste) servos comparavit literatos, quorum alter hunc, alter illum Poëtam memoriter nosset, ut iis veluti nomenclatoribus contra doctos disputans uteretur. non secus ac Aulus ille Posthumius, familia quidem nobilis ast garrulus & loquax græcam institutionem & linguam eo solùm fine expetivit, ut doctos exagitare atque nefando illi Idolo, quod inanem gloriam diximus, litare strenuè posset.

Jo. Ravis. Text. præf. alter. in opus epithetor. Conf. Athenæum l. 1. Dipnos. fol. 2. & Thomasii Diss. de plag. lit. §. 375.

III. Jam verò si omnes LITERATOS CHRISTIANOS qui in fœdam istam ac tanto nomine indignissimam idololatriã incidêre, quiq; Creatore

ſpreto thura ſubitario illi numini CENODOXIÆ ſcilicet incendere non dubitarunt, ſive temporum, ſive nationum ſive facultatum & diſciplinarum ordine obſervato recenſere vellemus, Commentationis hujuſce termini longiſſimè nobis excedendi, molisq́ue vaſtiſſimæ opus adornandum eſſet ſub titulo DAMNATÆ VANITATIS GLORIOSÆ; verum paucos duntaxat ea labe pollutos Doctores ad VITII illius literarii genium ac indolem eo rectius perſpiciendam notaſſe commemoraſſeq́ue ſufficiat. Non leve equidem latentis illius morbi maliq́ue indicium fecit HIERONYMUS CARDANUS, dum in ſeptimo de rerum varietate libro aſſerere non dubitavit, *SE VIVENTEM AB OMNIBUS, qui dignum aliquid memoria ſcribant, ITA COLI, ut non puduerit illos fateri, quæ AB IPSO fuerint inventa.* AMENTES inſuper (ut ſuperiori etiam commentatione notavimus) eos omnes vocans, qui neſciant inventa ſua talia eſſe, quæ à nullo ætatis ſuæ inveniri potuerint, qui non fama egregia eſſet cognitus. En jactabundi, & pudendo inanis gloriæ cœno miſerè polluti animi evidentiſſimum characterem! Haud abs re Magno illi WESSELO Gansfortio (quem nonnulli Lucem Mundi vocare non dubitaruut, quod ſeculi barbari tenebras doctrinæ ſuæ ſingularis ſplen-

Cardan. lib. VII. de rer. variet. c. 33. p. 333.

ſplendore illuſtraſſet,) vertitur vitio, quod licet honorificos Doctorum titulos contemſerit, in ſolennibus tamen congreſſibus diſputatoriis Thomæ authoritatem objicientibus ad hunc plerumque reſponderit modum: *Thomas fuit Doctor, quid tum? Et ego Doctor ſum, Thomas vix latinè intellexit, & unilinguis fuit, ego trium principalium linguarum peritiam ſum aſſecutus, Thomas vix umbram Ariſtotelis vidit, ego Ariſtotelem græcum in ipſa Græcia didici &c.* cujus jactantiæ fumus non parum equidem illam mundi lucem obſcuravit. Feſtiva etiam ſunt nec omnibus nota, quæ de Angelo Politiano tradit Franciſc⁹ Duarenus, Fr. Balduinum alloquens, narrata ſibi ea refert à Budæo, qui eadem ex Jano Laſcare crebrò ſe audiviſſe affirmaverit: *Cum Politianus Florentiæ interpretationem Homericæ Iliados cum magna celebritate aggrederetur, non ſine ingenti oſtentatione, quæ de Homeri poemate præſcripta ſunt ab Herodoto, auditoribus ſuis è ſuggeſto recitabat, quo tempore Herodoti liber græcè ſcriptus, à nullo adhuc converſus in latinam linguam, nec typographorum formis excuſus erat, itaque Laſcaris, qui tum honoris ac dicis cauſa numerum auditorum augebat cum paucis quibusdam*

G. Geldenhaur. in vita Johan. Weſſeli.

Duar. opp. p. 1107. Conf. Colomeſ. in Cimel. liter. & de plag. liter. Cel. Thomas. §. 526.

 aliis

aliis graecè doctis hominibus, qui ignorarent, unde omnia, quae pro suis recitaverat, hausisset. Is igitur paulò post ad hominem conversus, eumq; seducens; Dic mihi quaeso, inquit, Politiane, quo ore Herodoti opus insigne quod ante tot secula conscriptum est, in tanto coetu ut tuum recitasti? Cui mox subridens Politianus; Nunquam inquit putassem Jane, hominem graecum adeò ejus artificii rudem & ignarum esse, quo ad multitudinem existimatio & fama comparari solet. Quasi verò, inquit, non satis intelligam tres, aut summum fortassis quatuor vos hîc adesse, quibus Herodoti libros aliquando inspicere contigerit. Sed quanam hic sit turba NOBIS ADPLAUDENTIUM, & IN COELUM LAUDIBUS FERENTIUM, vides. Apud quos si existimationem nostram (quod minimè spero) vel tantillum laedere volueritis, oratio profectò vestra, ut gloriae nostrae invidentium hominum, non multum fidei ponderisque habitura est.

Ján. Nic. Erythr. pinac. S. II. p. 200. 201. VI. Hâc ipsa ostentationis maculâ prae caeteris quondam pollutum fuisse FORTUNATUM SCACHUM, reconditae alias doctrinae hominem, Janus Nicius Erxthraeus in pinacotheca sua diserte

disertè indicavit, *nimirum libris edendis eum operam duntaxat dedisse, ut nomen suum immortalitati commendaret, imò secretum semper ac remotum ab arbitris locum quasivisse ut scriptioni daret operam, atque æternam sibi gloriam scriptorum fama conficeret.* Hinc annis jam gravior linguarum sese tradiderat cognitioni, nec græcam solum ut M. Cato senex arripuit, verum etiam hebræam sibi reddiderat ita familiarem, ut Sacra Biblia duobus voluminibus comprehensa nono ævi hujus año ediderit, postmodum duo de sacris unctionibus concinnarit volumina, unum Sacrorum eleochrysmatum, alterum sacrorum arcanorum titulo inscriptum, utrumque varia atque admirabili eruditione refertum. Nec dubitavit [gloriæ stimulis incitatus] Scachus in arenam descendere cum viris etiam doctissimis, eorumque contra se disserentium validissimas repercutere hastas, majoraque indies eruditionis profundioris dedisset documenta, ni arcano DEI (elatis omnibus resistentis) judicio apoplexiæ subito morbo correptus, tantam capitis oculorumque calamitatem incurrisset, ut omnis in eo tum excogitandi tum cernendi scribendique facultas evanuerit, tandem ipse vitæ & miseriæ suæ splendidæ colophonem [utinam felicem!) imponere necessum habuerit. Magis verò stulta ridiculaque de alio inanis gloriæ

Nic. Erythr. l. c. p. I. pag. 21. 22.

inter Italos mancipio idem Erythræus commemoravit, cui Belmonits Cagnoli nomen, vanæque laudis ſtudium curæ cordique tantoperè fuerit, ut in heroico carmine laudem primam ſibi vindicarit, ſibique homo gloriarum pleniſſimus perſuaſerit nomen ſuum in toto Terrarum Orbe eſſe celebratum, ac ſi literatus quiſpiam ipſi advenienti continuo non aſſurrexiſſet, talem irarum plenus compellare non dubitarit: Itane? Abbas Cagnolus, everſæ Aquileæ (rhythmos enim octonis incluſos verſibus de Aquilea capta ſoloque æquata conſcripſerat, & cum Taſſi verſibus ejusdem argumenti edendos curaverat) & tantorum Carminum auctor, tuam potuit notitiam effugere? non ſit veriſimile. Et cum ſtultitia ſuâ quorundam riſus excitaſſet, ira ſummopere inflammatus; Quid ridetis, inquit, inſani? Ego ſum ille Abbas Cagnolus, qui ex dirutæ Aquileæ poëmate tantam mihi gloriam famamque collegi, ut nullus in terra vivat, cujus nomen ſit apud omnes illuſtriꝰ & clarius. Non defuiſſe equidem illi ingenium & eruditionem, verſus in Juliani Martyris, Laur. Juſtiniani Alexiique laudem conſcripti, nec non Mariæ Magdalenæ lacrymæ ab eo decantatæ teſtantur, verum inſana illa jactantia verè Davus ille fuit, qui cunctas ejus turbavit dotes, omniũque ludibrio hominem expoſuit. Quod etiam excepit Cynthii cujusdam Lucarini (hominis ex Erythr. teſtimonio ſumma divinarum humana-

Idem Pinac. II. n. 30. p. 103.

rum-

rumque rerum ſcientia præditi, aſt de mentis ſtatu tandem dejecti) inſanum effatum; *Currum* [ajebat ille] *parari curabo mirabili artificio multisque myſteriis refertum, in quo triumphem, eo quod ſcientiam rerum omnium complexus, cunctos mortales ſapientia vincam.* Socium ſibi in hoc ſtultitiæ curru jungere debuiſſet Franciſcum illum Balduccium; qui cum (eodem Erythræo tradente) viros nobiles & divites ſuis carminibus laudis & præmii ſpe extuliſſet, quendam ex amico adverſarium ſuum non dubitavit hunc in modum compellare: *Vide, ajebat, ſi pergis odioſus eſſe, ego Tibi immortalitatem adimam, quam meis parare poſſum verſibus.*

V. Longum nimis atque prolixum foret omnes VANÆ GLORIÆ ſectatores LITERATOS in medium producere, ſuisque coloribus exhibere depictos. Innumeri equidem hodienum, ut in omniũ oculos incurrant, atq; totius Orbis literati pateant conſpectui, graviſſima vitæ & animæ ſubire ſolent pericula, à ſupremæ felicitatis ſcopo turpiter utplurimum aberrantes. Utinam non ipſi Muſarum, ipſi Sacrorum Antiſtites in hujusmodi ineptias prolaberentur, de ingenio ſuo vel eruditione, vel neſcio quibus meritis ubique gloriantes, aut induſtriam & res geſtas vel proprias vel etiam majorum ſuorum magnificè extollentes! *Viden-*

dentur equidem qui hoc faciunt (præclarè dicente nonnemine) *eo ipso indicare, quod cæteris sese opponere cupiant omnibus, præsertim si illi non minus docti, ingeniosi & strenui videantur; vel si loco sint inferiores, illos quasi vi adhibita subigere, iisque suam vilitatem miseriasque exprobrare conentur.* Ea est demissionis sinceræ (qua homo etiam summè doctus in continua sui despicientia versatur, & immoderatam refugit gloriæ appetitionem) efficaciâ, ut apud sapientiores omnes maximo sit in pretio, eamque laus nunquam peritura excipiat. Quam ipsam eruditorum quilibet facilè consequetur, si paulò penitius in se figat obtutum, consideretquè quam sit exiguum quod in se doctrinæ habeat vel virtutis, quamque modicum & tenue, quod ipse de suo contulerit ad impetrandum eruditionis solidioris decus. Si turgidus & inanis gloriæ vento inflatus literator dicente Porphyrio sit

Ut puer accumulans, multum per litus arena
Unde sibi fingat per multa, sed omnia statim
Confundat manibus ludens, pedibusque repulset;

Potior longè humilis & ex infucata sui notitia verè fulgentis Doctoris laus erit ac gloria. *Ab-*

jectio

jectione (ait quidam) *contrahenda sunt vela feliciter radentibus æquor.* Et rursus: *Qui precariam felicitatem in humana gloriæ inanitate constituunt, ii profectò insaniunt operosè. Collocant aras vanitatis suæ in aura labente, nec aliter quam Thurii Boream adorant ventum. Falluntur æstimantes honorem velut bonum proprium, cum sit alienum; honorari alienum est, honorare nostrum. Dementia redarguitur Carthaginensium Dux, ubi ex bello pro mercede tantum gloriam quæsivit. Melius fuisset virtutem & laudabilitatem affectare quam gloriam. Infames declarant inepta Manlii Capitolini vota qui malunt famam magnam quam bonam, gloriamur sæpè* (nos literati) *in iis, quorum potius pudendum erat.* Achillem fingit Homerus arrogantiæ stimulis velut alis elatum, atque in summam levitatem concitatum:

Joseph. Maria-v. gl. in legibus honesta-vit p. 62. & 274.

Huic verò facta sunt alæ, alteque levarunt
Pastorem populi.

Ne ejusmodi inanibus alis pueriliter sese efferant eruditi, ad ima potius quam ab sublimia vergant, utque probè discant felicissimæ amplitudinis exordia, strenuè in humilitatis & abjectionis propriæ palæstra sese exerceant.

VI. Quodsi

VI. Quodsi verò primam Vanitatis illius sive JACTANTIÆ LITERARIÆ originem altius repetamus, ab ejusmodi affectûs præposteri perturbatione deducendam esse deprehendemus, quâ omnis virtus pietasque præpeditur, & quâ obsessus literati hominis animus tam inordinatò flagrat sui ipsius amore, ut se unum caput columenque rerum esse existimet. Talis alter prorsus est Astudamas aut Narcissus, falsa sibi vendicans, & ostentans bona quæ habet minimè, demens altè spectat, nec locum in quo consistit præcipitem advertit, est ille ipsissimus Cumanus Asinus, cui superjectum spolium leonis cum vocis asperitatem non ademisset, nec obtusum ingenium acuisset, se tamen leonibus additum gloriabatur. Lingva ei est procax & ventosa, promtior alienis moribus corrodendis, quam suis emendandis, nasus is, quo aliena suspenduntur, totum os durum, imò totus ea cute est contectus quæ nescit erubescere. Sed & in gestu, incessu, statu vestituque universo eminet ostentatrix illa jactatio sui, eaque tinctus literator continuus est malitiarum sutor, & magnorum mendaciorum consarcinator, magnidicus, vanidicus, & amarulentus infidelitatis hospes, mordens haud secus quàm bellua edentata, aut ut is qui [ut antea diximus] M. Varronem ausus est appellare porcum, sus ipse aut si quid sue est immundius, aut certè ut Thestorides ille sola impu-

pudentia notus, qui Phocaidem Homeri abs se descriptam pro sua venditabat. Nec uno impudentiæ genere contentus, mox transit ad aliud, nunc palàm, nunc latenter lædit, alienam famam semper lacerat, veluti latens vipera in occulto sua coquit venena, inque iis omnibus, quibus aliqua felicitatis literariæ pars continetur, ferales studet extruere nidos. Versipellis etiam est, sed ita ut in mediis versutiis sit amentiæ manifestus, nec enim advertit, se flagitiorum suorum dum laudes proprias debuccinat, & alienas deprimit, ineptum esse proditorem. Turpem ejusmodi inflatum & putidum vanitatis utrem Italum extitisse quendam Jacobum Claverium, laudatus Janus Nicius Erythræ[9] in Pinacotheca sua perhibuit, qui adolescentem quemvis ingenio præstantem humanissimis exceperit verbis, laudibus extulerit, suamque illi operam fuerit pollicitus, obsoniis etiam refecerit, ut promitteret SE EJUS LAUDES quas ipse sigillatim enarrabat vel prosa oratione vel carmine celebraturum, qua ratione à multis egregiis ingeniis non inelegantes versus suam in laudem expressisset, sed & alium ejusmodi literatum fanaticum sub Zoili Ardelionis imagine in Pinacothecâ laudata exhibuit Janus Nicius Erythræus, atque hisce non malè depinxit coloribus: Ex matris utero animi vitia quibus laborabat, attraxit, perpetuam vide-

Janus Nicius Erythr. Pinacoth. part. I. p. 8. & 240.

videlicet arrogantiam, atque elationem animi non ferendam, & quamvis ingenii acumine & celeritate valeret, ac de quacunque re proposita doctè eleganterque dissereret, multis rebus cognitis, summoque studio ac diligentia nomen esset consecutus; attamen omnes præ se contemnebat, neminem quicquam scire aut didicisse arbitrabatur, atque interrogatus cur ad certum quendam eruditorum cœtum non veniret, arrogantibus sanè verbis respondit, nunquam se in eum venturum conventum, ubi neminem sui similem ingenio, doctrina & eruditione conspiceret. Neque erat Academiæ cuiquam magnoperè optandum, imò minimè ejus intererat in suorum eum venire numerum, nam homo factiosus, elatus, insolens, aut eam dissolvebat, aut simultatibus discordiisque serendis perturbabat omnia, atque miscebat, minimum abfuit quin Academiæ cuipiam cum maximè ingeniis hominum floreret, pestem afferret atque exitium - - Neque solum sibi principatum in literis arrogabat, sed capessendæ etiam administrandæque Reip. artem à se peti debere affirmabat, ac Regum & Rerump. omnium oratores noctu ad se domum, capite aperto, varia indutos veste, & Vulcanum in cornu conclusum gerentes venire jactabat, ut suorum Regum mandata deferrent, de pace, de bello, de summa imperii consilia communicarent, & quod ipse daret, acciperent - - ne multa, nullum

lum esse tota in Europa Strategum, nullum Dynastam, nullum Tyrannum, quantumvis magno à nobis locorum intervallo disjunctum, quin lectis suis, ut ipse ajebat foliis, non continuo suam per literas amicitiam expeteret, ejus prudentiæ gratularetur, seque totum ipsi habendum possidendumque permitteret, & quosdam etiam Reges ab ipso edoctos; totam Reip. administrandæ rationem commutasse, gloriabatur, multaque his similia non magis thrasonicè quam insulsè loquebatur, quæ ne lectorem fatigemus, omittenda duximus. At vero singularem merentur observationem quæ de miserabili Zoili istius exitu author audatus tradidit, nimirum illum pituita largius ad os defluente, suffocatum, vel veneno extinctum, vomitione puris & sanguinis ex apostemate concepta interemptum periisse; sed & reverà damnum quoddã bonas literas ej⁹ interitu accepisse Erythræus tradidit cum ingenio peracri fuerit, & studio flagranti, rem acute viderit, explicarit dilucidè, scripserit ornatè; adeoque Viri eruditi laude promeruerit, nisi elatione animi & vana sui opinione inflatus & corruptus homines ornatissimos omni commendatione ingenii atque virtutis spoliare constituisset. Non longè diverso dementiæ charactere illi notandi sunt gloriæ vanæ sectatores, qui nil magis atque enixius efflagitant quam ut in aliorum monumentis nomen suum gran-

grandioribus literis expressum lectores inspiciant, & majoris auxilio characteris omnium conspectui pateat. *Tales* [ut scitè quidam ait] *exiliunt gaudio, & penè desipiunt, atque eos tantummodo libros non oderunt, qui ejusmodi adulationis stigmate notentur; alios omnes, qui de illis ne verbum quidem fecerunt, utpote insulsos & illepidos damnandos prorsus & abjiciendos pronunciant.* Quin imò illa ipsa enormis gloriæ lcupido quosdam eò adegit, ut alienis etiam inclarescere laboribus non dubitaverint. *Nacti scil. quâ sorte nescio excellentium authorum opera posthuma, sed nondum ultimo doctrina & ingenii conatu perfecta, temeritate ossifraga Aquilæ, pullos aquilinos nido excussos levant, & implumes, ac velut abjectos domi alunt, in suos denique; adoptant;* quamvis ex Synesii sententiâ *magis impium sit mortuorum lucubrationes, quam vestes furari, magnamque hoc crimen cum ipsa sepulchrorum effossione habeat affinitatem.* Verum cum illud quod diximus cacoëthes nullam modestiæ, nullam æquitatis habeat rationem, hinc temerè etiam manus in aliorum labores injicere non veretur, haud quidem auctorum nomine absolvendos edendosque in lucem, sed sibi tribuendos insolidum, quæ alienæ industriæ vindicanda fuissent.

Mentius de liter. invidia p. 38.

Confer. D. Bart. charact. lit. p. 139.

Synes. epist. 141.

Græcos pictores laudant nonnulli, quod ad honorandam illorum memoriam, qui ea in arte excelluissent, caverint sollicitè, ne quis penicillum in tabulis duceret, quibus manum auctoris ultimam mors præripuisset, quo significabant, inchoata illa & mutila conceptorum operum rudimenta esse absolutis spectabiliora; *Illud* (notante Plinio) *perquam rarum, ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas, sicut Irim Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, & Venerem Apellis in majori admiratione esse quam perfecta.* Plin. lib. 13. c. 11. Tantum verò abest ut inanis gloriæ oestro perciti ab alienorum operum invasione sibi temperent, ut potius illa (non absoluta quidem & ad debitam perducta maturitatem, sed passim interpolata, imò deformata penitus) suæ industriæ ducant asserenda. Quibus ipsis tamen longè deteriores illi existunt, qui integris eruditorum perfectisque commentariis nihil præter suum addunt nomen, sedentesque otiosi ac desides, & nullam unquam manum operi admoventes, nominis impetrare volunt celebritatem. *Nimirum* (ut scitè Bartolus) *de Leone pellem circumferunt solùm, & ostentant prima tantùm pagina generositatem, cætera omnia sua esse jurant, quasi majoris non sit negotii auctorem se libri facere quam Templum*

Bartolus charact. l. t. p. 141. Conf. Raynaud. de bonis

ac malis libris partit. I. Erotem. X. §. 4. p. 165. seq.

plum Deorum cuipiam dicare, cujus nomen sit satis fronti præfigere. Quid ausa est turpius illa Imperatorem induta bestia princeps Caligula, cum præciso Jovis Olympii capiti suum substituit ut pro illo exinde coleretur? Multo significantius verò, quorsum literatorum hominum pectora illa famæ sacra fames abripere soleat peculiari nuper de plagio literario opere ostendit D. Jac. Thomasius, Vir sive omnigenæ eruditionis apparatus spectetur, sive virtutis solidæ decus, felicissimis ævi hujus Literatis meritissimo jure accensendus. Probè is pro ingenii sui perspicacia deprehendit fœtulentas plagiorum literariorum paludes nunquam non è corruptissimo illo INANIS GLORIÆ fonte puteoque pudendo suam traxisse originem. Audiamus Virum laudatissimum in rem nostram præclarè disserentem ad hunc modum: Dubium non est, quin ad plagii turpissimum crimen maximè pelliceat homines GLORIÆ nimia CUPIDITAS. Enimverò ut ad parandas divitias mercatura, sic ad nominis adipiscendam gloriam sua natura magis valet eruditio. Nititur autem ista gloria cumprimis OPINIONE præclara, quam de alterius excellenti doctrinâ quis habet. Jam gloria sequi eruditos non solet,

Jac. Thomas. Dissert. de plag. literar. ed. Lips. 1673.

Idem l. c. cap. I. §. 8. seqq.

ſolet, niſi divitias ingenii ſuas, rem oculis alioqui non aſpectabilem, idoneis atque in ſenſum incurrentibus ſignis demonſtrent publicè hominum alicui juſtæ multitudini. Nam uni ſoli aut alteri innotuiſſe, pariet hoc quidem exiſtimationem, ſed vix tantam pariet, quanta gloriæ titulum mereatur. Demonſtrandi verò medium duplex: aut enim RECITANDO congregatæ multitudinis aures, aut SCRIBENDO legentium implentur oculi. Porrò cum gloriæ pretium duabus potiſſimum rebus pendatur, PERENNITATE & AMPLITUDINE; quarum illa ſe temporum ſpaciis exæqvat, hæc generis humani latitudinem emetitur: ad utramque conſequendam, quàm recitatione longè ſit commodior SCRIPTIO, nemò ambiget facilè. *Ad perennitatem*; Nam quæ quis loquitur, in auras evaneſcunt ſubitò. Quod ſi maximè deſcendant in memoriam audientium, cum his ipſis tamen morientibus excedunt Orbe noſtro. Contra quæ ſcribimus, in chartis aut membranis diutius æ-

Digitized by Google

tatem ferunt. *Ad Amplitudinem*; Nunquam enim ad cathedram recitantis totus confluxit Orbis. Quæ per chartas seminantur, intervallo temporis non maximo pervagari ad extremas usque insulas poterunt, modò justa præsto sit exemplarium copia. Atque hic Typographicæ artis inventio mirum quantum roboris adjecerit illi, extendendæ in secula pariter & remotissimos terræ sinus famæ, conatui. Notum quippe illud de typographo:

Imprimit ille die, quantum non scribitur anno.

Nec ignotum, levioribus longè impensis Orbem impleri posse Codicibus prelum egressis, quam calamo exaratis. Faciunt autem illæ tot unius libelli myriades, ut & omnes mundi anguli compleri certius possint, & diutius perennet fama. Scio casus esse varios, quibus deleri queant codices. Concedam ergò in tanto numero fieri posse ut plurimi pereant, ut omnes ita disseminati extingvantur, vix unquam eveniet. His oportunitatibus ante chalcographorum repertum artificium

cium deſtituti veteres, non mirum ſi RECITATIONIBUS multum ſunt oblectati: quas certè ſi nihil aliud, ſumma commendabat facilitas. Citius enim perficiam, ut ſexcenti me homines recitantem audiant congregati, quam ſcribentem legant diſperſi. Acceſſerunt his recitationibus certamina, atque in his conſtitutæ vincentibus loco præmii coronæ. Quarum pretium cum non aliunde magis quam ex laude victoriæ penderetur: factum ſic fuit, ut illius ævi eruditis mirificè creſceret GLORIÆ CUPIDO. Apud nos hodiè qui ad gloriam adſpirant, SCRIBENDO eam potius, quam recitando quærere ſolent, ſivè quod famam parturientibus obſtetricari felicius typographi poſſunt, (qui, quæ ſemel excepe-runt, ſic ſatis celeriter in Orbem eruditum ſpargunt,) quam promiſcua populi quantumvis copioſi concio; ſive, quod illæ recitantium commiſſiones atque certamina in deſvetudinem abierunt. Hactenus θαυμαστῆς illius Thomaſii verba, quibus INANEM gloriam ut pudendam tot abortuum literariorum genitricem meritò incuſavit,

De recit. hiſce conſule Piccartum Orat. XI. p. 200. ſeqq.

quibusq; *dubium nullum esse* sapientissime judicavit *quin ad plagii crimen nimia GLORIÆ cupiditas plurimos incitaverit*. Longè maximum equidem eorum literatorum omni ævo numerum extitisse, qui nimio celebritatis amore ducti, aliorum sibi labores integrosque commentarios vindicare non dubitaverint, ac speratæ gloriæ loco turpem plerunque ignominiam sint consecuti. Vir ille insignis prolixè non minus quam eruditè in laudata dissertatione ostendit, ut actum agere videremur, si literatorũ eâ labe fœdatorũ exempla, magno numero ab illo collecta * produceremus in medium. Id verò præcipuam meretur observationem, quod omnes ferè ac singuli in laudato Thomasii opere notati Scriptores cœco INANIS GLORIÆ amore eò sint abrepti, ut alienis inclarescere laboribus studuerint. VII.

Exempla literatorum eo nomine infelicium vid. in laudato Thomasii operè §. 347. ad 594. confer. Rayn. l. c. p. 165. seqq.

* Quo in conatu perficiendo laudatissimus author egregium non minus eruditionis quam prudentiæ candorisque sui dedit documentum: *Cave autem putes* [scribit §. 345.] *cujuscunque nomen in catalogo reperies nostro, eum statim à nobis ut plagiarium sisti. In plerisque non nostras, sed aliorum accusationes leges; quarum pretia per nos erunt libera. Quosdam inculpatos aut suspicioni obvios, vel suis, vel aliorum, vel nostris etiam rationibus, detectâ ipsorum innocentiâ errantiumq; hallucinatione defendemus.*

VII. Luctuosam inanis gloriæ faciem intuitus olim Chrysostomus, haud abs re eam *sevam belluam, horrendũ Dæmonem, pestem Orbis terræ* vocare non dubitavit. Quis obsecro non horreat potius quam expetat gloriam, si eam consideret ut emissam è cavea indomitam belluam, quid si pestem, quid si dæmonem? Sed aliud est quod literariæ cumprimis gloriæ conditionem reddit maximè ingloriam, MISERRIMA nempe illa, quam servit SERVITUS; siquidem abjectum ejusmodi inanis gloriæ mancipium ad omnes respicere, nullius non observare vultum, totque habere Dominos cogatur, quot displicere timet, scilicet OMNES. Quæ ergò sors abjectior quam eorum literatórum qui gloriolæ pennis inuecti, fluxis inhiant laudibus, & gloriosi nominis celebritatem aucupantur. Necesse equidem est eos, qui toto ambitu & conatu gloriam prehensant, circumire omnium sententiis obnoxios, unicuique attendere, metuereque, ne quem nolentes aut volentes offendant, imò cuiuscunque ordinis, sexus, fortunæque hominum verba, gestus & nutus veluti quædam captare oracula. O timidam felicitatem, quæ cunctis etiam miserrimis miseriores reddit homines eruditos, atque liberalia ingenia extremæ servitutis subjicit jugo! Cui malorum cumulo accedit quod pernicissima sit gloriæ fugacitas, advolansque evolet citissimè, ejusque usura auris simillima sit

Jo Chrysost. hom. XII. in II. Cor.

mobilibus. Nec malè proín à Gregorio vocata fuit *Diaria*, quæ oriente die nascatur, occidente moriatur, à Plauto *solstitialis herba*, repente éxtingvenda, à Luciano *ampulla inaurata*, plena inanitate, quæ suopte ingenio crepet & evanescat, à Clemente Alexandrino *pictum somnium*. Quis igitur tam levis sit animi, ut isthæc plebis ludibria, popularem jactationem, pictæque lingvæ tentoria sitienter adeò appetat? quis non horreat potius illa popysmata ac lenocinantia auribus verba? Cum illa affectare nihil sit aliud, quam, ut præclarè B. Augustinus loquitur, *lingvis humanis ruinosa gaudia construere*. Et quam turpiter illi eruditi hallucinentur, qui nonnisi vanam quærunt gloriam, inaniq́ue tantoperè inhiant existimationi, quantum inquam illi fallantur, quamque miseram agant vitam, præclarè prolixeq; ostendit Jo. Franciscus Picus Mirandulæ Domin⁹, in erudito de Humanæ pariter ac Divinæ philosophiæ studio tractatu, cedro digna Pici sapientissimi verba: Quantum delirent qui ut sciantur reputenturq́; doctrina præstabiles dies & noctes in versandis libris anguntur, nemo est qui nesciat, nisi qui statum ambitionis non considerarit. Nullum quippe hominum genus tam infelix quam quod honorum ambitu fervet, & eorum potissimum quos LITERÆ pariunt.

August. epist. 56.

Jo. Francisc. Picus Mirandul. lib. 2. de studio hum. & div. Philos. c. 6.

unt. Qui enim aut ob divitias gloriam quærit, aut ſanguinis nobilitate Regumque favore ſe tollit in ſublime, facilius percipit non à ſe ſed ab aliis hoc provenire, nec difficulter ſpoliari poſſe amatis bonis : At propria induſtria, proprii ingenii præſtantia ad nimium ſui amorem hominem ſtimulat, quo ſæpius hallucinatur, judicans id veluti ſuum & de proprio eſſe peculio, ut nec profectitium nec Dominicum agnoſcat. Decipitur autem non ſecus ac ii qui phreneſi capti, aliena omnia ſua exiſtimant. Quid enim habemus quod noſtrum ſit? Nonne cuncta quæ in nobis ſunt DEI ſunt? Quid ergò oportet ſe extollere, magnificare, oſtentare? Glorietur qui gloriatur in Domino, cum bona cuncta DEI ſint nobis ſua gratia infinitaque bonitate collata. Cæterum quam ſcientiam tenemus? Hanc certè ſi rectè ſentimus; nullam ſcil. nos adeptos, nec docti cognomentum rectè obtinere, cum multa ignorantia laboremus. Quis enim docti prærogativam abſolutè ſibi vendicaret? Cum infinita ſint ferè quæ neſciat, & ea quæ novit, partim ab aliis peti-

 ta

ta ſint, partim an verè ſciat ſub dubio teneat. Et hæc de rebus corruptibilibus, de eis verò quæ à materia ſunt remota, nihil eſt quod dicam, cum ad ea cognoſcenda ita ſe habeat intellectus noſter, Ariſtotele auctore, ſicut veſpertilionis oculus, ad Solem contuendum. Sed demus omnem notitiam quæcunque ab homine haberi poteſt quempiam eſſe adeptum, in ipsâ verò & retinendâ & augenda quot agones deſudandi, quot ineunda prælia; ſed quot intus procellæ tempeſtatum, quot æſtus plusquam marini dum audis Te rodi, & lacerari modo clam, modo apertè, & à doctis & ſæpè etiam ab indoctis, qui tuam exiſtimarionem penitus convellendam ducant. Neque enim ſi in altum adſcenderis hanc luem effugies, ſed magis in eam incides, cum livor inſtar ignis petat alta, feriantque ſummos fulmina montes. Quanto certè magis faſtigio propinquas, tanto magis impeteris. Socrates poſtquam oraculi ſententia ſapientiſſimus judicatus eſt, tantam in ſe conflavit calumniam ab eis, qui ſapientes ſe credebant, ut hâc etiam cauſa morti

addi-

addictus sit, Aristophanes in ipsum invexit, Melitus accusavit de impietate, deq; corruptela adolescentum, & postea adjudicatus est morti Zeno scurram Atticum vocavit, usus latino verbo. Plato quoties impetitus, quoties non tam in moribus quam in doctrina morsus & flagellis cæsus, unde Platonomastigum nomen. Nam ut de Aristotelis in eum rationibus taceam, quid Epicurus, Metrodorus & alii in ipsum sparserunt? Aristotelem cum Eubulides Milesius tum alii reprehenderunt, Epicurus vexavit & quidem contumeliosissimè, ut Cicero inquit, qui etiam nec Pythagoræ nec Empedocli pepercerat. Contra Theophrastum admirandæ eloquentiæ Virum meretricula scribere ausa est, quod Atticus homo nimis atticissaret. Cicero in ipso sermone qui tantoperè laudatur & dum viveret à Bruto à Salustio ab aliis, & post mortem etiam reprehensus à multis, qui se Ciceronomastiges nominabant. In vita enim semper contradictores habent, etiam qui celebriores habentur. Apud veteres usque ad Platonis successores sua quisque tempesta- NB.

te famâ prædicus habuit æmulum, ut apud Diogenem in Socrate eſt videre. Nec quantumcunq; ſimultates dies lenta præſcripſerit, effugiunt ſcripta celebrium auctorum vituperationem aut contradictionem, quam vitari non poſſe niſi ab his qui nihil omninò ſcribunt fatetur Cicero. Nam de Homero, quem ut Joſephus contra Apionem narrat, Græcorum auctorum antiquiſſimum celebratiſſimumque conſtat, multa vitia circumferuntur, cum in oratione tum extra. Nam præter illud vulgatum dormitare eum quandoque, præterque Zoili libros ipſum etiam Dion Pruſienſis dicato opere perſequitur, & ſtrenuiſſimum fuiſſe dicit ad mentiendum, nec unquam fuiſſe à Græcis Trojam captivatam. Quare literis indulgere FAMÆ CELEBRIORIS gloriæque captandæ gratia in vita valdè miſerum, ut docuimus, cum ſemper malè audias, quod his qui ſe ſapientes exiſtimant ſupplicium eſt intolerabile, ſi verò poſt mortem, miſerrimum, nam mitto quantum nihil ad Te pertineat, quid de te homines ſentiant cum exceſſeris è vita, illud non negan-

negandum, quod ſemper ut vidimus etiam mortuus in cineremq́ue redactus diſcerperis, ſed ſæpè etiam tua opera perduntur & nomen obliteratur. In Homeri poemate reparando multi laborarunt. Nam ille ſuos verſus non ſcripſit, ab aliis poſtea notati, variè tamen & mendosè. Quod ut in unum redigerentur Pyſiſtratus Athenienſis curavit, propoſita mercede ut ad ſe ferrentur, aſcitisq́ue grammaticis alii à familia ſummoti, alii aſteriſco notati, alii obeliſco confoſſi ſunt, & fortè ſi ille à mortuis excitaretur, ſuos non agnoſceret. De libris Ariſtotelis quot penitus amiſſi, & ſi qui habentur quomodo interpolati, & quam propè fuerunt ut perderentur cum infoſſi terræ negligenterq́ue ſunt habiti, auctore Strabone, priusquam eos Adpellicon teius magna mercede comparaſſet, & Syllæ temporibus Romam aſportati fuiſſent. Sed de ipſo etiam nomine authorum nonne controverſia? Celebratur Orpheus, ejusq́ue hymni celebrantur à multis, & nihilominus Cicero in libris de natura Deorum nunquam fuiſſe Orpheum dicit, authore Ariſtote-

le, & qui ejus nomine versus circumferuntur secundum Pythagoricos, cujusdam fuerunt Cerdonis, hæc de gentilibus philosophis. De Christianis verò Theologis quis nescit & inter eos etiam fuisse controversias, veteres dico, atque ut alios mittam, quoties Hieronymus de suorum canum latratibus lamentatur. De neotericis nihil est quod dicam, cum libri eorum pleni sint certaminibus, & præter id quod in his quæ ad sacrarum literarum canonem pertinent omnes conveniunt, in reliquis quot capita tot ferè sententiæ, & qui veritate magis nituntur, magis oppugnantur, tum quod omnia judicia recta non sunt, tum quod falsa interdum probabiliora veris, ut docet Aristoteles, itaque nullus à reprehensione vel justa vel injusta omninò immunis, sed & quæ etiam suapte natura sunt vera, ob intellectus infirmitatem magis creduntur, qvam sciantur, adeò ut de Aristotele, qui quomodo fieri demonstrationes oporteret, duobus libris edocuit, dubitetur à multis an ferè ille unquam ullam effecerit, potissimum in naturalibus, à multis scio negari. Laboramus profectò multa igno-

rantia

rantiæ caligine, nam quotusquisque reperitur, qui eum cui eſt addictus authorem non celebret, ſæpè aliis poſthabitis, ipſumq; tanquam ex antro Heracliti, aut Democriti puteo veritatem extraxiſſe non contendat, alio obſtinatiſſimè id inficiante. Johannes Scotus ab ejus ſectatoribus plurimum extollitur, & rectè, cum homo vegeti ingenii fuerit & perſpicacis, ſuaque inventa miris laudibus efferantur, diſtinctionumque pluralitates (quanquam alii ab Henrico Gandavenſi petitas magna ex parte affirmant) celebrentur; Ab eis verò qui Thomæ ſunt aſtricti, parvi; ab illis qui nominales vocantur nihili penduntur, adeò ut ab Alliacenſe ſcriptum ſit, impoſſibilius ſibi videri ut oſtendatur rationibus vera eſſe quæ de pluralitate ipsâ diſtinctionum afferuntur, quam quod perſonarum Trinitas in una eſſentia, quæ fide tantum tenetur. Mitto quæ celebratiſſimi Viri in eum effuderint, & alii etiam illius auditores, quare decipitur humanum genus cum gloriam quærit ex LITERIS, celebremq; apud homines de ſe exiſtimationem, quando

quando tantum abest ut id assequatur, ut sæpè etiam ob ea ipsa inventa quibus nanciſci eam credit, apud multos impensissimè castigationem & flagella patiatur. Crediderim ego divina hoc providentia permissum, ut id vitium in quod facilimus esset lapsus iis incommodis sepiretur, & detractoribus ipsis quasi molossis latratoribus stiparetur. Qui semper quotiescunque nobis occasio ad incurrendam decipulam præstatur, nostræ nos infirmitatis admonerent. Baubatus plurimos circumfundentes invitantesque quasi dixeris ex accidenti, ut ex literario negotio adsciscere nobis ea procurem⁹ præcepta, quæ invidiæ morsus effugiant, & falsæ opinionis repugnantiam minimè reformident, hoc est ut cunctas actiones & opera, sicuti & in aliis rebus, ita & in literis perpetrata DEO donemus, ut nos & alios pro virili instruamus, nec quid de nobis sentiatur postea curemus, & tam humanâ quam divinâ philosophia ad ejus agnitionem capessendam consequendumq; ejus amorem utamur. Hacten⁹ de gloriæ literariæ inanitate optimus doctissimusq; Mirandulanus, qui

qui clariſſimè oſtendit quam turpiter hallucinentur gloriam quærentes, quam nemo veram invenerit, qui ſollicitè inveſtigaverit, ſed potius amiſerit diu multumque quæſitam. Illa commemorata à Pico gloriæ Numina, quæ tota ſtupuit antiquitas, ſtupebitque poſteritas, quid aliud quam nomina, velut oſſa gloriæ reliquerunt? Solum eſt eorum, *fuiſſe*, ſolum noſcimus *tranſiiſſe*. Utinam eorum exemplis edocti ipſi Reipub. Literariæ Antiſtites, nihil minus curarent, quam inanem minimique faciendam nominis celebritatem, ne vatem experiantur fuiſſe poëtam qui illud cecinit.

Curis plenus eris, ſi vis ut glorificeris.

Atque ut tantò vilius ab eis pendatur laus exiſtimatioque humana, vel ſola ejus brevitas efficiat, locique & temporis quo circumſcribitur anguſtia, punctum eſt Orbis in quo literati degunt, quid anguſtius; momentum eſt quo vivunt, quid contractius? cur in tam modico & loci & temporis ſpatio immodicè adeò laborent & nihil non agant pro re nihili? Quot in illo ipſo quo vivunt loco ſunt qui ignorent cujuſmodi doctrinæ ipſi polleant theſauris, quo munere fungantur, imò quo appellentur nomine? Aſt quo longius ab urbe progredientur, tanto obſcuriorem famam ſuam eſſe intelligent, cumque arcta adeò ſint ejus pomœria, (quæ interdum vix patriæ ſuburbia egrediuntur,) de vitæ integritate potius, quam nominis claritate conſequendâ eruditi ſi modò verè ſapiant, apprimè ſint ſoliciti.

IIX. Quot verò doctorum hominum myriades virtute neglecta gloriæ hactenus inhiavêre inanitati! quot vanæ illius opinionis labe turpiter fuêre polluti, quā veteres CENODOXIAM nuncuparunt, & cui Cassianus haud abs re septimum inter Capitalia vitia locum duxit assignandum; quoniam sc. ut ipse optimè monuit, maximam habeat affinitatem & peculiarem quandam connexionem cum superbia, quæ postremo ponatur loco, ut sævissima & superioribus cunctis immanior bestia. *Cenodoxia enim* (notanter scribit Cassianus) *exuberantia superbiæ fomitem parit.* Similiterque Joh. Climacus suæ scalæ gradu XXI. de Cenodoxia disserens, eam principalibus vitijs veluti propriam superbiæ sobolem, ipso Gregorio præeunte adnumerandam esse existimavit, typo sive exemplo quodam insigni id ipsum illustrans, atque senem quendam eruditum, inque spirituali conflictu non malè versatum ita loquentem inducens: *Cum sederem*, inquit, *in cœtu quodam advenientes ad me Cenodoxiæ & Superbiæ Dæmones juxta me ex utraque parte sederunt, & unus ex his quidem digito suo pulsavit latus meum, hortans ut aliquid quod ad contemplationem pertineret, sive opus quoddam in deserto gestum loquerer. Quem cum à me expulissem dicens; Convertantur retrorsum & erubescant qui mala cogitant*

Cassian. collat. 5. cap. 12. & Libr. II. Instit. c. 1. Joh. Climacus Scal. grad. 21. Gregor. Lib. xxxi Moral. cap. 31.

gitant

gitant mihi; protinus is qui à sinistris erat, ad aurem mihi dixit, Eja benè fecisti, magnusq́, effectus es; quippe qui impudentissimam matrem meam viceris, ad quem ego sequentes versus assumens: Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi eja benè fecisti. Utinam ad viri hujus egregii exemplum omnes Christiani Doctores periculosum illum Diaboli laqueum (gloriæ nimirum inanis pruritum) evitarent, & à veræ Christianæque demissionis via non adeò frequenter turpiterque declinarent! Utinam juxta præclarum Pauli monitum *nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam* (κενοδοξίαν) *agerent*, nec (ut alibi loquitur) *ejus efficerentur cupidi.* Phil. II. Gal. V.
Non ipsa quidem gloria, aut insignis virtutum dotumque cœlesti munere ac beneficio concessarum & collatarum æstimatio ipsis verteretur vitio, sed immodicus duntaxat gloriæ appetitus, inanisque de semetipsis opinio culpam habet, Deumque semper experitur hostem capitalem. Atque ut vitij hujus abominabilis natura & ratio penitius cognoscatur, probè notanda est quatuor *bonorum honorariorum* (ut ita loquamur) differentia; licet enim illa inter se multum sint affinia, vulgoque putentur promiscua, diligentius tamen exactiusq; ab invicem sunt distinguenda, FAMAM dico, LAUDEM, HONOREM & GLORIAM: FAMA

enim est multorum existimatio rumorq; de eruditi alicujus doctrinâ & moribus; HONOR testificatio quædam est excellentiæ, seu reverentiæ cujusdam in testimoniũ virtutis sapientiæque exhibitio: LAUDE fit excellentiæ perfectionisque privata quædam manifestatio: GLORIA denique est CLARA (ut Cicero loquitur) sive publica cum *laude notitia*, vel solennis ac frequens bonorum alicujus donorumque deprædicatio. Hanc si quis eruditus inordinato flagitet appetitu, tunc à rectæ rationis ordine fit alienus, & à præscripto verbi divini tenore devius, quin imò reus tandem criminis læsæ divinæ sempiternæque majestatis, cum scil. flagrans illud gloriæ desiderium non in debitum finem puta DEI honorem proximique salutem referat, sed propriæ excellentiæ scientiæque apud alios manifestationem, quæ vanæ gloriæ cupiditas tum à SUPERBIA differt, tum ab AMBITIONE [vitiis eruditorum hominum decantatissimis] quamvis ijsdem valde affinis & conjuncta videatur. SUPERBIA nimirum ipsam affectat excellentiam; AMBITIO altiores honorum, officiorum dignitatumque gradus; CENODOXIA verò de laudis gloriæque apud alios manifestatione divulgationeque unicè est sollicita, culpæque capitalis rationem [ut antea ostendimus] inde habet, quod veluti parens materque sit plurimorum vitiorum, quæ ex ipsâ tanquam pestiferâ & virulentâ radice nascuntur.

Cic. lib. II. de invent.

IX. Sin-

IX. Singularem insuper meretur observationem, quod hunc pectorum eruditissimorum morbum sive gloriæ excellentiæque propriæ revelationem Veteres non vanam solùm & inanem, verum etiam *MULTIFORMEM ac variam* dixerint. Et quam varius quam multiplex sit pestilens ille affectus, haud rectius intelligimus, quam si ejus tum PROPRIETATES, tum tristes horribilesque EFFECTUS nobis ad animum revocemus. Illas quidem egregiè supra laudatus Cassianus recensuit, eleganterque ostendit, quibus potissimum signis & proprietatibus Cenodoxia ab aliis vitiis distinguatur, præque illis peculiarem habeat malitiæ notam, quas hic compendio collectas (utinam doctorum eo morbo laborantium bono ac emolumento!) proponamus: Primam facileque palmariam Cenodoxiæ proprietatem statuit subtilitatem ejus seu fallaciam, cum virtutibus etiam donisque summis permixta difficulter à perspicacissimis agnoscatur & caveatur. *Septimum* (ait) *nobis certamen est contra Spiritum Cenodoxiæ multiformem varium ac subtilem, ita ut quibuslibet perspicacissimis oculis non dicam caveri, sed pervideri, deprehendiq; vix possit.* Secunda, varietas est & multiformis tentatio; utpote in omni genere virtutum, actionum, studiorum, laborum exercitiorum ab erudito

Cassian. toto Lib. XI. Instit Cap. I. & IX.

Cap. III. IV. & V. homine susceptorum: *Undiq; enim*, ait Cassian⁹, *& ex omni occurrit parte; Nam & in habitu & in opere, in lectione, in scientiâ, in humilitate, in longanimitate &c vulnerare conatur, & velut quidam perniciosissimus scopulus tumentibus undis obtectus improvisum ac miserabile naufragium secundo navigantibus vento, dum non cavetur, nec*
Cap. VI. & VIII. *prævidetur, importat*. Tertio importunitatem hujus mali incusavit, quâ etiam fugientes certantesq; persequatur; *Cum sc. alia interdum vitia etiam locorum beneficio conquiescant, & occasione subtractâ lentescere soleant & minui; hoc cum fugiente etiam penetret deserta, nec materia subtracta velit marcescere*. Quartum ejus dixit procacitatem, quoniam victores suos acrius insectari non du-
Cap. VII. bitet: *Dejectum hoc vitium acrius resurgit ad luctam, & cum putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit, cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint; hoc verò suos victores acrius insectatur; quantoq; fuerit validius elisum, tantò vehementius victo-*
Cap. VIII. *riæ ipsius elatione congreditur*. Quinta juxta Cass. Cenodoxiæ proprietas est longævitas,

seu

ſeu perpetuitas, cum nec ætate nec ſenio deferveſcat: *Cætera proceſſu temporis ſæpè molliuntur vitia, atq; evaneſcunt; huic longævitas, niſi fuerit induſtria ſolerti ac prudenti diſcretione fundata, non ſolum non officit, verum etiam majora vanitatis fomenta congerere novit.* Sexta deniqve & ultima eſt violentia, qua etiam optimos & in virtutis palæſtra exercitatiſſimos viros ſubinde, ſupplantat atque elidit. *Itanamq;* (notanter ſcribit Caſs.) *Ezechiam Regem Judæ Virum in omnibus conſummatæ juſtitiæ & Sanctarum Scripturarum teſtimonio comprobatum, poſt innumera virtutum præconia, uno elationis vanæq; gloriæ telo legimus fuiſſe dejectum, & qui internecionem centum octoginta quinq; millium de exercitu Aſſyriorum angelo ſub nocte vaſtante, unâ prece valuit impetrare, vanitatis gloriatione ſuperatur. Ozias etiam hujus quem commemoravimus Regis Atavus in omnibus ſcripturæ teſtimonio collaudatus, poſt ingentia virtutum ſuarum præconia, poſt innumeros triumphos, diſce qualiter ſit vanæ gloriæ elatione dejectus. Et egreſſum eſt nomen Oziæ, propter quod auxiliaretur ei Dominus,*

Cap. X. & XI.

II. Paral. 26.

minus, & corroboraſſet illum, & cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum DEUM ſuum. Cernis aliud ruinæ graviſſimæ exemplum? Dum enim Ozias ille Sacerdotum ſibi uſurpare officium voluit, inque Templo odores incendit, confeſtim leproſus factus eſt, facieſq; ejus leprâ in Templo Domini obducta. *Unde videtis*, concludit Caſſianus, *quam perniciosi rerum ſecundarum ſoleant eſſe ſucceſſus*, ita ut qui non potuerunt adverſis frangi; proſperis, ſi incauti fuerint, acrius elidantur, & qui in conflictu atque acie mortis evaſerunt diſcrimina, trophæis propriis triumphiſque, vanæ nimirùm & inanis gloriæ gladio violentiaque tandem ſuccumbant.

X. Alii inſuper ſunt Cenodoxiæ nefariæ EFFECTUS, longeque periculoſiores aſtutiſſimi hujus infernaliſque ſerpentis morſus, quorum ſinguli eruditum quemlibet à vanæ inaniſque gloriæ ſtudio ac amore revocare deberent. *Ut* enim (ita præclarè ad populum Antioch. olim Joh. Chryſoſtom9 dixit) *ſævi quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo ſubruunt, ut & arena cum undis miſceatur; ſic excæcat mentis impetum gloriæ furor, nam pecunias quidem contemnere volenti ſatis eſt facilè, honorem autem à mul-*

Jo. Chryſoſt. Hom. XLIII. ad Pop. Ant.

tis

tis collatum despicere multi laboris indiget, magnæ sapientiæ. Non est enim vitium ita tyrannicum & ubique dominans, &c. Similiterque Magnus ille Basilius inanis gloriæ tristes horrendosque effectus recensere instituens, illam vocavit dulcem spiritualium operum spoliatricem, jucundum item animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem salutavit. Quibus aptè respondent, quæ de iisdem Genodoxiæ pestiferis fructibus Jo. Climacus tradidit: *Cenodoxia est optimorum laborum dissipatio, perditio studiorum, thesaurorum insidiæ, in portu naufragium, in areâ formica, quæ etsi tenuis est, laboribus omnibus & fructibus insidiatur: Expectat formica dum perficiatur triticum; Cenodoxia verò dum congregentur opes; gaudet illa ut furetur; hæc autem ut dissipet; gaudet desperationis spiritus, cum videt multiplicari vitia: Cenodoxia verò cum virtutes multiplicari videt*, ut vanam sc. ex iis capiat commendationem, ideoque tanto atrocius inopinatos & incautos decipit, quanto callidius in externis actionibus virtutes ipsas refert ac imitatur. Excutienda igitur Homini

Basil. in constit. mon. c. 11.

Jo. Climac. grad. XXI.

erudito atq; virtutis gloriæque veræ & sinceræ cupido omni virium conatu pessima illa animi ægritudo quam Cenodoxiam dixere veteres, nos turpissimæ idololatriæ speciem supra nuncupavimus; Hæc inquam à virodocto eo planè studio ac heroico ferè expellenda est conatu, quo olim prima Deorum fana cum simulacris arisque suis quidam supremi Numinis amore afflati funditus sustulerunt, atque rejectis fœdissimi cultus inquinamentis ad sanctiora sacra sese traduxerunt. Nimirum scitè dicta, doctè scripta, & rectè facta sua eruditi ad conscientiam & SS. Numinis honorem, non ad inanem referant gloriam, atque supremum optimumque non in hâc, sed in illo quærant præmium. DEUS equidem reverà est unicus & æquus virtutis arbiter, cujus unius judicium de rectè factis exquiret quisquis sapit, neglecto humano tam multipliciter corrupto & depravato. Optimè Chrysostomus (Homil. 3. de verbis Esaiæ sub initium laudato Ozia qui egerat quod rectum est in DEI conspectu) *Quid facis homo? Alii redditurus es rationem factorum tuorum, & alium testem citas eorum quæ facis? Alium habes judicem, & alium adhibes spectatorem? Tu cum videas Angelorum Regem tuo cursui agnothetam h. e. certaminis judicem & præmiatorem præsidere*

Chrysost. hom III. de verbis Esaia.

dere, eo prætermiſſo ad conſervorum fugis oculos? Atq; ideò ſanè poſt innumeras luctas, incoronatus recedis, poſt ſudores plurimos absque brabeis venis ad agonothetam. Quemadmodum qui ſincero intimoque amore puellam deperit, non teſtes & arbitros complexuum famamque inde deſiderat, ſed ſuaviſſimo amoris fructu contentus gaudet in ſinu; ſic eruditus multum in veræ virtutis profecit ſtudio, ſi illam ad DEI ſolius amorem honoremque potius, quam plausûs inanis, famæque fallacis referat acquiſitionem. Quantoperè olim amore fluxæ gloriæ laborarit Auguſtinus, ipſe poſtea divinæ gratiæ radiis colluſtratus in ſuis Confeſs. ad h. m. expoſuit. *Obtemperabam monentibus ut in hoc ſeculo florerem, & excellerem linguoſis artibus ad honorem hominum & falſas divitias famulantibus. Inde ad Scholas datus ſum, ut diſcerem literas, in quibus quid utilitatis eſſet, ignorabam miſer, & tamen ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam.* Eandemque miſeriam ulterius vehementiusque deploraturus, *Horum ergò* inquit *puer morum in limine jacebam miſer & hujus arena palæſtra erat illa, ubi magis timebam barbariſmum facere, quam cavebam, ſi facerem, non facientibus hæc invidere -- In quo etiam*

Auguſt. l. I. Conf. cap. 9.

Ibid. c. 19.

ludo

ludo fraudulentas victorias, ipse vana EXCELLENTIÆ cupiditate victus sapè aucupabar. En ingenuā feliciſſimi hujus literati confeſſionem, en verè pœnitentis Doctoris exemplar fulgentiſſimum! Langueſcet facilè in illius pectore gloriæ cupido, qui non ſibi, non aliis, ſed DEO unicè placere deſiderat. *Magnæ ſanè vanitatis eſt* [ait nonnemo] *aliorum magis teſtimoniis, quam interno* (addimus divino) *acquieſcere judicio, cæcitatis verò hoc non inſpicere, vecordioris autem ſuperbiæ, meritam quoq; gloriam non ad DEUM referre. Cujus pravitatis verò eſt ut aliis placeas, conſcientiæ, id eſt Tibi & virtuti diſplicere malle? Deniq; inſaniæ cujus, ſummam boni in gloria ponere, id eſt extra ſe animumque ſuum projicere & ut ſic dicam ſpargere in auras?* Quid ſpiſſis gentilis philoſophiæ tenebris obnuptus Seneca? *Nihil opinionis,* [ajebat] *omnia conſcientiæ causâ faciam; populo ſpectante fieri credam, quidquid me conſcio faciam.* Aſt de vulgo eruditorum verè & notanter Plinius; *Multi* (inquit) *famam, pauci conſcientiam verentur.* Quod ipſum accuratius paulò perpendens Magnus ille Epiſcopus Hipponenſis, non minus turpiter virtutem ſervire gloriæ, quam voluptati, egregiè eleganterque demonſtravit, quia ſcil. deſinat virtus eſſe, aut certè

Seneca de Vita Beata.

Auguſt. Lib. V. de Civ. DEI c. 20.

certè à nobilitate suâ degeneret, si non illi militet, à quo inspiratur, ad nobilissimum finem, DEUM nimirum ipsum respiciens atque adspirans, cui volens lubensque gloriam omnem ut auctori refundat. Nec minus notanter Augustinus observavit cupidinem gloriæ hoc ipso inumbrare vitium suum, quod fœdiora vitia refrenet sollicitudine promerendi tuendique judicia bonorum; atq; sine hujus societate affectus cupiditatem imperii in omnem flagitiorum licentiam prorumpere, quà in potiendo illo, quà in exercendo. Addit, quia ipsos proficientium animos etiam affectus ille lacessit, ab illis hoc saltem fine cohiberi, ut superetur amore officii, nunquam sc. deserendi vel pervertendi ob quorundam adeoque omnium vel perversa judicia vel neglectum; vult deinde ut docti non pro laudantiũ affectu vel adulantium impostura se metiantur: sed excitentur aura illa ad industriam, non inflentur ad superbiam, aut eleventur in fastum. Insignem sanè magnus ille Aurelius egerat inanis gloriæ contemptorem, nihil suæ industriæ, nihil ingenio, labori, arbitrio tribuendo, certus omne donum perfectum desursum à Patre luminum esse, & gratiâ DEI sibi obtigisse quicquid undiquaq; boni haberet. Humilimæ hujusmodi confessionis plena sunt scripta illius plurima, maximè libri Confessionum, eaq; opera quibus Pelagianorum superbiam virtute sapientiæ à DEO sibi con-

Idem l. cit. Lib. V. cap. 13.

Cap. 14.

concreditæ debellavit. Scripserat ad eum aliquando Macedonius Vir in seculo quondam clarissimus; *Miro modo afficior tua sapientia, & in illis quæ edidisti, & in his quæ interveniens pro sollicitis mittere non gravaris: nam & illa tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis ut nihil supra sit.* Quid verò adhæc Magnus eruditione, major humilitate Augustinus? Veram (respondit) sapientiam in vero veri DEI cultu sitam esse. Ex ista (pergit) sapientia, quæ una & vera est, si quid habeo, à DEO sumsi, non à me præsumsi, atque ab illo in me perfici fideliter spero, à quo inchoatum esse humiliter gaudeo -- Non enim meo vel ingenio, vel merito, sed ej[9] dono sum, si quid laudabiliter sum. *Nam quædam acutissima & excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto præfidentius tanquam suis viribus cucurrerunt.* Hinc etiam ad omne bonum, in omni bono, post omne bonum Augustinus ad DEUM bonorum omnium auctorem, directorem & conservatorem solidissima humilitate confugit; *Ut potui* [dixit aliquando] *difficillimam quæstionem, si tamen aliquatenus potui Domino miserante atq; adiuvante tractavi, quicquid tamen in ejus difficultate apprehendere non valui, non imputetur ipsi veritati, quæ salubriter*

Conf. Epist. August. LI. & LII.

NB.

August. Serm. XI. de Verb. Domini.

briter pios, etiam cum occultatur exercet, sed infirmitati meæ, qui vel intelligenda conspicere, vel intellecta explicare non potui. En Viri eruditi ex gloriæ inanis contemptu verè felicis fulgentissimum exemplar! En DEO O. M. sacrati hominis præclaram imaginem! Hanc si probè intueatur ac imitetur literatus, haud facilè inanis gloriæ fuco decipietur, sed laudis potius gloriæque perennis coronâ ornabitur.

XI. Ad tantæ verò felicitatis apicē tendenti Literato non solùm probè considerandum, sed supponendū etiam est, quod à noñemine optimè notatū fuit atq; inculcatum; *Argumentum imperfecti in aliquo boni esse, si illud agnosci ab aliis & commendari cupiat.* Quicunque enim decus aliquod & ornamentum imperfectè obtinent, ardentius & studiosius inde captant laudem, quam qui perfectè eo potiuntur, sicuti mulieres imperfectioribus bonis præditæ, multò magis appetunt commendari; & imperiti, qui vix extimis labris bonas literas degustarunt, nihil non didicisse sibi videntur, propterea q; volunt ab omnibus scientiæ nomine suspici & in honore esse. Solidè verò docti ac reverà scientes cum inveniant in se ipsis cumulati gaudii materiam, de alienâ commendatione non sunt solliciti. Hoc inquam supposito, nemo non videt quam futile sit captare alienā comendationem, eamque ab aliis ultrò delatam magnifacere,

Ægi. de regim. Princip. p I, c. 18.

re, quandoquidem hoc manifestissimum argumentum indebitæ est commendationis, nec satis exploratæ nobis exilitatis nostræ ac tenuitatis, quam si perspectam ritè haberemus, nequaquam efferemur, & ab aliis suspici induceremus in animum. Huc recidit alibi à nobis laudata Dionis Chrysostomi oratio, quâ animi à depravato vulgi judicio pendentis inanitatem & fatuitatem egregiè exagitavit, pariter ac alter Chrysostomus laudes humanas graculorum voces, muscarum & culicum stridores nominavit, & cum pulchrè immensum aperuisset dispendium, quod is subeat, qui gloriam humanam aucupetur, non alio fructu quam quod hominibus placeat, & à populo laudetur; notanter insuper quæsivisset quid tandem sit populus cujus causa homo tanta sustinere & aggredi deligat? optimè statuit *populum esse quiddam tumultus perturbationisq; plenum, ex stultitia majori ex parte constans atq; compositum, temerè super maris fluctus varia & pugnante sententia sæpenumero jactatum*; magis probrosè modo laudatus Dio, multitudinem populi *tanquam fimum profundum esse dixit, ex variis sordibus in unum coacervatum*, ejus verò voces corvorum graculorumque garritui comparare non dubitavit: *Si & avium* [ait] *voces intelligeremus, nempe corvorum, graculorum atq; aliorum animantium, nempe ranarum aut cicadarum, haud dubiè & horum vocibus animum adverteremus, quid*

Dio Chrys. Orat. 32.

Idem Orat. 66.

nam

nam de nobis diceret graculus volans aut pica, & quam de nobis haberent opinionem? Felicitas ergò quædam est, quod non intelligimus. Quot verò homines ranis sunt insipientiores & graculis? Nec minus egregiè de eâdem humanæ vulgarisque laudis despicientia quondam philosophatus est Antoninus, plurima & scitu & observatu dignissima tradens; *Uter tibi* [inquit] *elegantior videtur, is qui plaudentium fugit laudem, an illi qui neq; ubi, neq; qui sint cognoscunt? Laudari cupis ab homine, qui seipsum spatio unius horæ ter execratur: placere vis homini, qui neq; sibi quidem ipse probatur. Nisi is probetur sibi ipsi, qui ferè omnium eorum quæ egerit pœnitentia corripitur.* Et paulo post: *Disce præsens tempus tibi ipsi gratificari. Qui commendationem posteritatis magis curant, non reputant eos horum similes futuros, quos nunc ægrè ferunt, atque ipsi etiam mortales. Porrò quid omninò tua interest, si talibus ii vocibus te cantent, aut ita de Te sentiant?* Præclarè rursus idem Antoninus; *Hominum opiniones de gloria intuere quales sint, quid propositum habeant, quid fugiant. Usq; in litore maris, arenæ cumuli alii super alios appulsi, priores occultant, ita in vita quoq; priora à subsequentibus celeriter absconduntur.* Denique quanti faciendum sit bonum tam fluxum tamque breve, laus nimirum gloriaque inanis, variis locis idem scriptor indicavit: Sic l. 4. *Usitata quondam vocabula* [inquit] *nunc interpretationis lo-*

Antoninus l. 8. de vita sua num. 45.

Ibid. n. 30.

Ib. lib. 7. num 30.

Lib. IV. n. 28.

co sunt : ita & eorum qui fuerint olim celeberrimi nunc quodammodo sunt glossæ, ut Camillus, Caso, Volesus, Leonatus, tum paulò post Scipio, Cato, inde Augustus, Adrianus, Antoninus. Omnia autem hæc evanida sunt, & mox in fabulam abeunt, mox oblivione omnia obruuntur. Atq; hoc dico de iis qui ad miraculum usq; clari erant. Reliqui enim simul atq; animam efflarunt obscuri & ignoti facti sunt. Quanquam quis est omninò cujus sit memoria sempiterna? omnia sunt inania. Quam multi Lib. 7. n. 5. *quondam fuére celebres, quorum nunc fama est oblivioni tradita? quam multi etiam horum qui istos celebrarunt è medio sunt sublati.* Lib. 8. n. 19. Melius alibi ; *Brevis vita est & laudantis, & ejus qui laudatur, ejus qui mentionem facit, & ejus cujus mentio fit, præterea fit hoc in angulo portionis mundi, ac neq; ibi quidem omnes consentiunt, imò ne sibi quidem ipsi quisquam. Tota verò terra punctum est.* Lib. 9. n. 24. *Tandem, considera* (ait Antoninus) *etiam vitam eorum, qui ante Te & post Te vivent : horum etiam, qui hodie apud barbaros vivunt, quam multi eorum ne nomen quidem tuum sciant, multi statim*

obli-

oblivifcentur, multi cum Te nunc laudent, ftatim funt culpaturi, deniq; quam res nullius momenti fit memoria aut gloria, aut aliquid tale &c. Hæc aliaq; plura de fluxa mundanæ gloriæ vanitate Antoninus, magnam partem ex ante laudato Dione Chryfoftomo (quo magiftro gloriatur,) haufta atque derivata, qui oratione peculiari oftendit, quantoperè & illi [literati] defipiant, qui gloriæ tam inftabilis firmitatem & perennitatem ex titulis ftatuisque mox diruendis quærere non dubitant, quamque inconfultè nominis perpetuationi per hujusmodi media profpiciatur. Hinc fapientisfimè Epictetus ferioque admonuit, eos de ftatione fua jam jam dejectos effe, qui laudem aliorum bonamque captent exiftimationem, id unicuique fatis effe debere, ut fibi ipfi Vir bonus appareat, neglectis aliorum de fe judiciis, omnique inani vanaque pofthabitâ commendatione.

Dio Chryfoft. Orat. 37.

Epictetus Enchir. c. 30.

XII. Ut verò tantò facilius eruditi egregiam hanc verè felicium fortem confequantur certâ famæ imortalitatem capeffentes, neceffe eft ut clariorib⁹ virtutis folidæ radiis colluftrati, cimmerias inanis gloriæ tenebras refugiant, nec non optima quæque adverfus execrabilem illam peftem applicent remedia, Doctorum denique de hofte illo nequiffimo bellè triumphantium exempla frequenter fibi revocent ad

animum, quæ inter clarissimum modo laudati est Augustini, qui de se ipso verba alicubi fecit sequentia : *Contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo, vel etiam bona minora, & levia pluris æstimantur, quam æstimanda sunt.* Et rursus : *Tu nosti ô Domine de hâc re gemitum cordis mei. & flumina oculorum meorum; neq; enim facilè colligo, quam sim ab ista peste mundatior, & multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscunq; in aliis generibus tentationũ mihi facultas explorandi me, in hoc penè nulla est.* Unde satis apparet optimũ adversus cenodoxiæ pestem remedium seu pharmacũ esse christianum sui contemptum, orationi ferventiori serioque cordis examini sociatum. Sanè si prudens literator planissimè sibi persuadeat, dicta sua scripta & cogitata non talia plerumque esse qualia videantur hominibus, facilè sibi ab inanis gloriæ blandimentis cavebit. *Humana etenim* [ut insignis ille Ecclesiæ Doctor August. præclarè ait] *gloria inflata est. & multum inanitatis habet, unde non ei dignè servit soliditas quædam firmitasq; virtutum, ut nihil provideat prudentia, nihil distribuat justitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, nisi unde placeatur hominibus*

August. lib. X. Confess. c. 37.

August. l. 5. de C. D. c 20.

minibus & ventosa gloriæ serviatur. Nec illi se ab ista defenderint fœditate, qui cum aliena spernant judicia, velut gloriæ contemptores sibi sapientes videntur & sibi placent. Nam eorum virtus (si tamen ulla est) alio modo quodam humanæ subditur laudi, neque enim ipse qui sibi placet homo non est. Qui autem vera pietate in DEUM quem diligit, credit, & sperat, plus intendit in ea in quibus sibi displicet, quam in ea si qua in illo sunt, quæ non tam ipsi, quam veritati placent. Sic optimè Augustinus longam anteriorum capitum adversus studium humanæ laudis disputationem conclusit. Nec minus præclarè magnus ille Cenodoxiæ hostis Cassianus statuit nos huncce nequissimi spiritus laqueum tunc facilè evasuros, si in singulis quibus nos profecisse senserimus, illud Apostolicum dixerimus: *Non ego sed Gratia DEI mecum, & gratia DEI sum id quod sum &c.* Tres insuper alios eosque singulares modos evadendi diabolicos istos laqueos, eruditis, præsertim DEO sacratis hominibus Cassianus commendavit, primò videlicet ut submittant se, & quasi subrepant humilitatis sinceræ exercitio, dein ut conculcent ista retia satanica per abstinentiam ab officiis atque muneribus magis speciosis, exemplo Apostoli, qui cum possideret donum lingvarum,

Cassianus lib. XII. Instit. c. 9.

eo tamen non sit usus. *Cur?* [quæsivit olim
Jo. Chry- Chrysostomus,] *non quod non haberet, sed quod*
sost. Ho- *quæreret quæ sunt utiliora, erat enim liber ab o-*
mil. 35. *mni inani gloria, & unum spectabat ut meliores*
ad pop. *redderet auditores.* Quod si verò nec submit-
Ant. tendo nec calcando infernales hosce laqueos evadere queamus, ut perrumpamus ac dissipemus eos per verbum DEI Cassianus monuit, omnesque periturae laudis ac gloriæ fugiamus occasiones, ipsius quidem Salvatoris exemplo edocti, qui toto vitæ genere id est professus,
Joh. IIX. quod etiam dixit: *Ego non quæro gloriam meam.* Vixerat ut fabri filius mundi fabricator, ignominiosissimum mortis genus ipse gloriæ splendor elegerat, & cum ad eum reversi discipuli cum gaudio renunciarent: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis*, eorum jactantiam horribili dicto simul & exemplo compescuit:
Luc. X. *Videbam* [ait] *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*; & indignabundis ex spiritu ambitionis discipulis vocem hanc memorabilem regessit. *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Non magnum denique ne dum summum in gloria bonum defigant eruditi, neque fallaci illa præsumtione supremam definiant beatitudinē.
Tuldenus l. c. Lib. IV. p. 280. *Quid nos enim magnoperè* [laudatus ait Tuldenus] *memoria nostri juvabit, non conspirante conscientia, quid aliorum magnificus de nobis sensus, si non consentimus? an magis quam cæcum spectacula, aut surdum symphonia delectant?*

stant? Felicem [hâc in parte] literatum Lipsium fuisse constat, utpote qui ad Amicorum quendam scribere non dubitaverit: *Lunam me non Solem profiteor, tenui luce, nec pura, imò nec propria lucere; & multa à veteribus, omnia à DEO habere.* Et rursus: *Ampla illa non agnosco: DEUS ille Delficus veteri monito aurem vellit, & me ad me mittit. Novi me* pergit, *& impurum illud aut imbecillum in me hominis: & ut Junonia avis, cum plumas adspexi, ad pedes oculos demitto.* Ita Lipsius, longe prudentior atque sapientior Plinio, qui ei duntaxat veram ausus est vindicare beatitudinem, quem blanda nec fallax opinio bonæ & perennaturæ famæ foveat, tanquam hic vivus etiam mortalitatem transscenderit; ô fucum, ô fumum, ô vanitatem! *Sicut enim* [scitè & appositè ait Augustinus] *non est est à carne, sed supra carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè vivere.* Hæc & nobiliorum è veteribus Philosophorum fuit sententia, quâ veræ sapientiæ originem non solum à DEO repetendam, verum finem etiam in DEUM unicè referendam esse statuerunt. Ex quorum etiam placitis Belgicus ille Sophus, *sum homo* inquit, *sum ab humo, in eam ibo; & fama ipsa mea haud latè*

J. Lipsius Cent. V. Epist. 40.

Cent. V. Epist. 54.

Epist. 49.

Plin. l. IX. Epist. 3.

Aug. l. XIX. de C. D. c. 25.

Lips. Cent. Epist. 56.

latè vagata circa hanc peribit. Dum ſumus tamen hîc, ſvave eſt altius & melius aliquid agere, & (quod bonum Stoici propriè cenſebant,) prodeſſe. Nemo equidem dubitaverit, melioris indolis ſpecimen eſſe gloriæ flagrantem cupidinem, quæ ipſa multum induſtriæ requirat, nec ignavos, degeneres atque effœminatos literatos eſſe ſinat. Verum in hoc qualicunque felicitatis gradu neutiquam perſiſtendum, ſed potius ad veræ ſempiternæque gloriæ apicem aſſurgendum eſſe monet ſanctior puriorque Philoſophia, ac divo Aurelio interprete *eam duntaxat veram ſapientiam eſſe pronunciat, quæ in illum finem dirigatur, ubi DEUS omnia erit in omnibus æternitate certa, atque pace perfectá; in illum finem, à quo nobis ſit principium naturæ & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ.*

Lib. xix. de C. D. c. 20.

Id. Lib. IIX. c. 9

XIII. Quemadmodum verò eruditis omnibus ad veram aſpirantibus felicitatem opera danda eſt ſtrenua, ne à fine iſto ſcopoque ſalutari unquam aberrent; ita cumprimis *DEI ET ECCLESIÆ MINISTERIO SACRATIS HOMINIBUS* cavendum ſedulò, ne vanæ & inanis gloriæ imagine capiantur, nec laudes magnas aut plauſus efflagitent inanes, quin potius eos omni declinent ingenio, bona mentis non quidem prorſus abſcondant,

dant, ſed nec ambitioſè venditent, minimèque propter ea ſeſe præferant cæteris, atque ſolius DEI gloriam unicè reſpicientes, ſollicitè caveant, ne ulla honoris ſecularis cupido vel ſacra tractantes invadat, vel cauſam fidei & religionis agentes extimulet. Laudabili exemplo cunctis Eccleſiæ Doctoribus Magnus præivit Chryſoſtom9, miroq; ſtudio illum (etiam ſibi inſidiantem) ſatanæ angelum profligavit. Etenim cum is uno omnium ore eſſet celebratus, ac ſæpè inter dicendum honorificis acclamationibus plauſibusque ab audiente populo exceptus, tantum abeſt ut iis unquam fuerit delectatus, ut potius theatricos iſtos plauſus (tunc in Eccleſia receptos) omninò tollere laborarit, & anxiè ab aliis expetitas captatasque laudum publicarum formulas ut noxias prohibere conſtituerit: *Credite mihi* [ad hunc modum donorum ſuorum ebuccinatores aliquando compellavit] *vera dico, dum mihi applauditur dicenti, per ipſum quidem tempus humanum aliquid patior. (cur enim non verum fatear) poſtquam domum ingreſſus, plauſores nihil adjutos eſſe cogitavero, & ſi quid profeciſſe debebant, per plauſum & laudes amiſiſſe, doleo, gemo & lugeo -- Et frequenter legem ponere cogitavi, quæ plauſus prohiberet, & cum ſilentio congruaque tranquillitate nos audire perſuaderet.* Quemadmodum etiam Ma-

Jo. Chryſoſt. homil. 30. in Acta Apoſt.

gnus Augustinus ad suos quondam encomiastas; *Laudastis, dicebat, DEO gratias, Semen accepistis, verba reddidistis. Laudes istæ vestræ gravant nos potius, & in periculum mittunt, toleramus illas, & tremimus inter illas; tamen fratres mei istæ laudes vestræ folia sunt arborum, fructus quæritur.* Ast longe alium quibusdam Concionatoribus animum isto etiam seculo insedisse, eosque nil nisi inanes populi acclamationes plaususq; incompositos quæsivisse, ipse Chrysostomus disertè testatus est ad h. m. *Multi multa faciunt, ut in medio constituti longam extendant orationem, & si plausus quidem à multitudine consequantur, hoc eis regno simile factum est, si verò cum silentio sermonem finierint, silentii tristitia fit illis gehenna molestior.* Non pauci nimirum Chrysostomi ævo solennes ab auditoribus suis efflagitarunt acclamationes, ad Pauli illius Samosateni exemplum, qui teste Eusebio *ab auditoribus non favorem solùm plausumque sperabat, sed theatrali more oraria moveri sibi expectabat, & vocem tanquam de caveis dari. Si quis verò auditorum honestius & verecundius agens, à clamore nimio temperasset, is velut injuriam faciens patiebatur injuriã.*

August. Serm. V. de verbis Dom. in Evangel. Matth.

Chrysost. l. c.

Euseb. lib. VII. c. 30.

Longè

Longè rectius atque prudentius D. Bernardus cum inter concionandum tentatus esset, quasi suspiceretur ab omnibus, paululum substitit, flanteq; & infestante illo inanis gloriæ vento in hæc pro concione erupit verba: *Vanitas! propter Te concionem non incepi. propter Te ab ea non desistam.* Utinam omnes Doctores Ecclesiastici pariter saperent, & plausibus sive laudantium vocibus & tumultu neutiquam iis opus esse intelligerent, qui DEI solius gloriam & comissæ Ecclesiæ ædificationem meditantur! Nil magis operi huic saluberrimo remoram injicere solet, quam pudendus inanis gloriæ pruritus, qui impedit quo minus optatū sacrarum orationum scopum Doctores Ecclesiastici attingere possint. Proh! quam metuenda est inanis gloria turpisque jactantia homini DEO sacrato, atque fidei morumque capita è loco superiori tradenti aliis, quandoquidem ne ipsi quidem Patres sanctissimi tuti semper fuerint à pestilentissimi illius spiritûs insidiis. Si quis exactius paulò nosse desideret quantam is labem inferat verbi divini præconibus, quam fœdè succutiat & subruat virtutum ædem impotens iste halitus, Magnum audiat Gregorium, & ex ipsomet horrenda quæ detestandus ille elationis spiritus creat exitia probè percipiat: *Dum aliquis de Sacra Legis scientia gloriatur* (inquit) *pretium sibi convertit in*

Greg. M. lib. 15. Mor. c. 16.

veneni poculum, & inde reprobus moritur, unde ad vitam erudiri videbatur, & in doctrina sua mortem invenit, quia in verbis vitæ vitam minimè quæsivit. Quis obſecro Chriſti ſervorum probè perſpecta inanis gloriæ pravæque intentionis deformitate non totus horreat, omniqúe ſtudio formidet mala quæ ex putido iſto fonte promanant? Quanto pulchrior DEOque gratior eſt animi devoti puritas, tanto deteſtabilior mens Viri eccleſiaſtici pravo fine, impotentiqúe fluxæ gloriolæ deſiderio infecta. Quemadmodum Moyſis virga ad terram demiſſa torta eſt & retorta, donec verſa fuit in tetrum colubrum; rurſus autem elata in propriam reſtituta eſt rectitudinem; ita cordium divino miniſterio ſacratorum acies in DEUM non rectà tendens, ſed ad terreſtria demiſſa, enormiter adeò incurvatur, ut omnem rectitudinis ſuæ amittat pulchritudinem, & ſerpentis infernalis imaginem exactiſſimè referat. Quid quod Divini verbi præconibus inanis gloriæ glaucomate obnuptis, & cum excæcato Samſone hominum dæmonumque riſibus ludibriisque expoſitis, plurima alia accreſcant damna, atque fulgentiſſimi bonorum donorumque radii in horrendam perpetuamque caliginem convertantur, ipſi tanquam ligna fiant arentia, ſive [Olympiodoro dicente] nullum humorem boni ſpiritus habentia, inepti

epti infœcundi & debiles ad omnia reddantur pietatis sinceræ munia, nec ad pascua salutis oves subditas deducant. Ventum juxta Prophetæ effatum ejusmodi Doctores *seminantes, turbinem metent*, hoc est procellas mentisque anxietates gravissimas incurrent, inque mille curas scissi per mille dilacerabuntur affectus, in universis tandem dissipandi actionibus. O *Pastor, ô Idolum* [ait per Zachariam ipse DEUS] vel ut significantius Septuaginta legunt: O *Pastor vanus! derelinquens gregem, gladius super brachium dextrum ejus, & super ejus oculum dextrum*; suas nimirum pastores elati vanitates pascentes, & dextræ intentionis oculo & manu operationis dextræ destituentur, atque arescent tantoperè, ut nihil æternâ retributione dignum operentur. Imò *exscindentur* æternum *ejusmodi Nazaræi, sapphiro licet pulchriores iræ divinæ gladio*, atque sempiternam incurrent dejectionem.

Hos. VIII.

Zach. XI.

XIV. Formidabilem * Alphonsus de Andrada recenset historiam de Hispano quodam concionatore eloquente quidem & docto, sed vano, magisque auditorum plausum captante quam solidum fructum; Hunc ab alio concionatore docto & pio graviter monitum: *Ut Chri-*

* *Alphonsus de Andrada in Duce Virt. lib. 1. cap. 35. §. 3. & ex eo Guil. de Wael in Corona. nec non Joh. Weyer Fil. Adoptiv. Tom. I. Lib. II. c. 19.*

Christum solum prædicet crucifixum, animasq́; Salvatoris sanguine redemptas unicè quærat; amicam adeò fraternamque correptionem prorsus contemsisse, sed malo suo maximo: Nam paulò post (inquit Andrada) ille inopinato graviq; morbo correptus intra dies paucos vivere desiit, tertium verò post diem circumquaque combustus apparens, inque cœlum brachia jactans, voce lacrymabili enunciavit, *æternam confusionem operuisse faciem suam*, scil. propter inanem gloriam, quam toties vanis suis quæsierit concionibus, verbum adulterarit divinum, semperque magni æstimari petierit. Audiant hæc & ponderent omnes ad concionandi munus assumti, videantque ut dignè sua ambulent vocatione, ne verbum vitæ ex ore ipsorum emissum, præconibus in mortis æternæ ignem convertatur. *Multi* [ait nonnemo] *apud inferos cruciantur, qui cum suis sermonibus aditum ad cœlestem beatitudinem multis aperuerint, ipsi, quod falsa fallaciq́; sui opinione inflati germana animi submissione vacarent, ad sempiternas illas pœnas sunt devoluti.* Habeant itaque frequenter prædicatores illud Christi in ore: *Ego non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me*, cumque aliqua inanis gloriæ tentatio eos quatiat, eadem cum intimo animi verè christiani sensu repetant verba, addantque: *Si ita Christus quid ego?* Ad animum quoque sibi frequenter Paulina illa revocent; *Sicut*

Sicut probati sumus à DEO ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes. sed DEO qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neq; in occasione avaritiæ DEUS testis est. nec quærentes ab hominibus gloriã, neq; à vobis, neq; ab aliis. Quid tam absurdũ, quam vitia insectari per vitia, imitarique eorum Philosophorum vanitatem, qui [ut ait Tullius] de contemnenda gloria libros scripserunt, & in his ipsis proprii nominis gloriam quæsiverunt? Caveant ergò sibi tanquã à pessimo fure à gloriâ inani, laudibus populique applausu concionatores, pestiferum huncce pulverem de pedibus excutiant, omnique cura dispiciant, ne, cum aliis prædicaverint, ipsi fastu elationeque obsessi reprobi fiant. Valde quidem difficilè Concionatori esse Chrysostomus judicavit omnem planè laudis superare appetitum, ast longè gravioribus doloribus eos esse obnoxios, qui cum isto desiderio in docendi certamẽ prodire soleant, notanterque subdit; elegerim potius innumerorum barbarorum servitutem, quam semel unius gloriæ inanis, neque enim captivis illi suis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista jubendo mandat: *Omnium* (inquit vana gloria) *servus esto, animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto, salutem tuam destruito, & si bonum quid feceris non ad hoc facito, ut DEO placeas, sed ut multis ostentes, &* corona-

I. Thess. II.

Cicero orat. pro Arch. & alibi.

Chrysost. Homil. XVII. in Epist. ad Rom.

coronam quæ benefacientes manet, perdas, quid quæso poterit hisce præceptis crudelius fieri? Ut itaque miserrimam hanc servitutem cuncti præcones evangelii effugiant, ex ejusdem Doctoris verè aurei præscripto illam principio gravissimam esse sibi persvadeant, (siquidem ægrotus confestim de medico cogitet, quamprimum ægrotare se cognoverit,) posthæc perpendant auditorum plurimorum judicium sententiamque corruptissimam esse, nec corruptam solùm, sed & subitò marcescentem, cum frequenter accidat, ut qui summis ornati fuêre elogiis, puncto tamen temporis vix præterito omnium contemptui exponantur; Christi igitur verbum & parietibus, & januis, & menti potissimũ inscribant, atque continuè
Luc. VI. sibimetipsis dicant: *Væ nobis quando nos laudaverint homines*, qui ipsi postremò nos veluti vani honoris præconiique stultè amantes meritò vituperabunt. Et quis christianorum quorundam oratorum (de populi plausu gloriaque tumidorum) commiseratione non tangatur, eò quod alienorum morum magistros agere, attamen longè adeò à veræ humilitatis gymnásio recedere non dubitent, ut si populi (multicipitis illius bestiæ) plausu densâque concione sermones suos excipi videant, (quicunque tandem fructus operæ existat,) toto triumphent pectore, è contra verò mœrore supra modum ac debitum contrahantur, linquan-

quanturque animo, si infrequentior adsit concio, & vix qui auditum laudet sermonem compareat.

XV. Sollicitè insuper Orator Ecclesiasticus ad noxiam laudis existimationisque propriæ famem retundendã ea sibi ad animum revocet, quæ tum apud priscos & supra laudatos Doctores, tum ipsos etiam Gentilium magistros cumprimis Epictetum, Senecam & Arianum reperiuntur. *Si invitaveris alios* (egregiè monuit is quem loco ultimo posuimus, Arianus) *ad Te audiendum, & ut Tibi recitanti aliquid, aures prebeant hortatus fueris, vide primum ne istud facias temerè, deinde utrum illud sit, quo prodesse aliis, an quo tu laudari velis? Aliquis statim erit qui hoc insusurret: Quid mihi opus est applausu multorum? & rectè quidem monebit. Opus enim Musico quia Musicus nihil est laudatione, nec Geometra quia Geometra. Ergò prodesse vis? Sed in quâ re, dic nobis? ut & ipsi ad Te audiendum accurramus. Num potest aliquis prodesse in eo ex quo ipse nullam percipit utilitatem? Non*; pluribusque ostendit Arianus nullam percipere ex suis dissertationibus utilitatem eos, qui plausu auditorum detracto tristes abiissent, eove impetrato supra modum exultassent. *Nuper* (inquit) *aliquando tardius dum convenirent auditores, nec acclamarent, humilis & abjectus discessisti. Proximè autem col-*

laudatus obambulabas, & rogabas singulos: Quidnam tibi sum visus? Admirandus Domine, dispeream; ac ita affectus nihilominus affirmas mihi, te in appetendo & cavendo sequi naturam ducem, abi & alii istud persuadeto. Et mox: *Sic ergo depravatus & inhians laudatoribus, numeransq; auditores tuos, vis aliis prodesse? Hodiè plures me audierunt multò? Equidem per multi, videntur enim fuisse quingenti. Nihil dicis, Esto fuisse auditores mille: Tot nunquam habuit Dion. Qui fit? quia eleganti oratione capiuntur; ornata enim oratio vel lapidem movere posset. En voces Philosophi, en facultatem ejus qui prodesse possit hominibus, en hominem intelligentem rationum!* Quas hujusque farinæ alias jactationes haud abs re subsannans prolixè ostendit Arrianus quantoperè ea disserendi ratio fuerit à Socrate aliena, qui concionem dimissurus, nunquam ut cæteri jactare consuevisset gravia recondita que ea fuisse, quæ attulerit in medium. Multò magis ab oratore Christiano ista dementia esse debet aliena, quam in profanis gentilibusque Arianus ex Socratis & Epicteti mente tantoperè reprehendit atq; castigavit, sola apud eos DEI gloria esse in pretio, ad scopum huncce unicum

unicum omnes & conciones suas dirigere deberent & actiones, uti prolixè non minus quam egregiè & eleganter maximus Oratorum christianorum nempe Joh. Chrysostomus edisseruit: *Quæ sunt* [ait notanter] *quæ nos offendunt? multa & varia, maximè autem ad* *HUMANAM GLORIAM spectare*, & nescire *eam contemnere*. *Hoc enim multorum nobis causa malorum fit, & si quas spirituales habemus divitias, eas evacuat, & utilitate, quæ ex eis capi potest, nos destituit. Quid igitur fuerit damno hoc perniciosius, quandoquidem à nobis avolare facit etiam ea quæ nos habere putamus - - Dic obsecro mihi, & quare ita laude humana teneris? Nescis quod sicut umbra, & si quid illa vilius, ita & illorum laus in aerem diffusa evanescit? Alioquin inconstans & instabile est hominum genus; & illi ipsi, quem nunc laudant, non multo post vituperant, quod in sententia DEI nunquam usu evenit. Ne igitur ita desipiamus, ne temerè & absque fructu fallamus nos ipsos. Nam etsi bonum quoddam facimus, non autem propter hoc solum agimus, ut mandatum Domini nostri impleamus, eo solo convincemur laborem nostrum*

Johan. Chrysost. Homil. V. in Genes. circa finem.

frustra factum, privabimusque nos fructu quem assequi licuisset. - - Et quid miraris,
NB. *si hoc eveniat his qui SPIRITALES PHILOSOPHOS* (seu Verbi divini præcones) *agunt, quum & hi qui hujus Mundi studia sectantur, hos maximè contemnunt & despiciunt, qui ab hominibus quærunt gloriam? invenie/que ab omnibus conviciis incessi eos, qui humanæ gloriæ inhiant. Quid igitur miserius nobis QUI SPIRITUALES VIDERI volumus, si similes illis fuerimus, celebrari ab hominibus cupientes, & si non suffecerit nobis laus à Domino, sicut & Paulus dicit, cujus gloria non ex hominibus, sed ex DEO? Non vides dilecte in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant, non advertunt plausum populi assidentis & celebrantis, neq; ex eo plausu voluptatem capiunt: Sed & ad unum solum spectant Regem in medio sedentem, & ad nutum illius attendentes, totam multitudinem despiciunt, & tunc solum animo extolluntur, cum ille eos coronaverit? Hos igitur & Tu imiteris. Non magni momenti facito hominum famam, neque propter eam*
exer-

exerceas virtutem, sed à justo Judice sententiam expecta, & ad illius nutum intentus esto. Hæc à B. Chrysost. sapientissimè dicta in quos ævo nostro SIRITUALES cadant viderint alii. Utinam reipsa tam infesta illis & exosa esset humana laus ac gloria, quàm multi infestis eam & vocibus & calamis huc usque appetiverunt. Utinam quod de dissertationibus adversus superbiam proditum est à Richardo Victorino, Spirituales etiam Viri sæpè dum in prædicationis officio superbiam exagitant disputando, de ipsa dissertatione orationeq; habita non superbirent! Utinā omnes οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ eodem præditi essent animo, quo insignis ille pietatis doctor, cujus optimus Climacus alicubi honorificam fecit mentionem: *Quendam* (ait ille) *toto animi affectu audivi dicentem: NON NOBIS Domine non nobis &c. Abs Te, pergebat, ô Domine LAUS mea in Ecclesia magna futura est, scil. TEMPORE; prius enim quam illud adveniat, laudem sine periculo ferre non possum.*

Richardo à S. Vict. in Beniam mi nore c. 46.

Climac. grad. xxx.

XV. Quid est deniqùe cur Doctores Christiani sive Ecclesiastici sint, sive Academici, Theologi sive Philosophi, quid est inquam, cur optare tantum, ne dicam sollicitè captare velint humanæ inanisque gloriæ auram tam citò

evanescentem? Cur ullatenus turbari laude favoreque mundano dispallescente, floreque ejus marcescente multum cruciari? Fugiant potius omnium Ordinum atq; Facultatum viri eruditi summo conatu ac studio istam malorum infinitorum lernam, atque coloris cito pereuntis pigmentum, à fœdissima illa semper abhorreant idololatriâ, ne plusquam cimmeriis involuti tenebris in extremam tandem aliquando cadant sui deceptionem. Si animus quandoque ex laude turgescat, mox cogitent quantum capitibus suis immineat periculum ab eo, qui omnem cervicem elatam deprimit, & colles omnes deducit in plana, propterea nullos inanes vanosque efflagitent plausus, quin potius omni eosdem declinent ingenio, neque animis ipsorum unquam obversetur quantum sciant, sed potius quantum nesciant, sique cristas erigat doctrina, ad eos referant oculos ad quos nihil didicisse videantur. *Non parum est scire quid nescias*, scite quondam ad Vigilantium scripsit Hieronymus, longè equidem satius esset margitem esse & literarum penitus rudem ac plumbeum, quam turgidè doctum, inanisq; gloriæ vento inflatum, siquidem incurabilem ferè labem animæ inferat arrogans scientia, virtutumque ædem impotens iste halitus fœdè subruat atque succutiat. Cum maximis gravissimisque doxosophorum gentilium periculis atque casibus probè edoctus

ctus esset Isidorus PELUSIOTA, quantam Doctoribus cunctis damnum inferre soleat nimius inanis vanæque gloriæ amor, omni virium nisu Theosophos christianos à pernicioso illo studio duxit revocandos, *ne scil. honoris proprii studiosissimos philosophos Græcos Romanosq; hoc est prisca Animali GLORIÆ imitentur, sed potius assentatorem* [ut ipse notanter alicubi scribit] *fastum, siccam atq; inanimam superbiam, INANEM terrenamq; GLORIAM omni virium* (cœlitus concessarum) *nisu tollant è medio, ad Christi Salvatoris exemplum gloriam ab hominibus minimè quærentes.* Quin imò causam alicubi indagaturus, veramque ostensurus rationem, cur veterum Theosophorum scripta, licet simpliciora atque verborum respectu impolitiora, longissimè tamen præstent politissimis atque elaboratissimis oratorum ac philosophorum profanorum monumentis? non aliam invenit quam quod hi gloriam duntaxat captaverint PROPRIAM, illi verò SALUTEM audientium ante oculos habuerint, unde factum sit ut profani isti scripserint plurima, quæ nec ullum legentibus commodum, neque ullum ea respuentibus damnum attulerint. *Sæpenumerò* (ita idem Isidorus ad Theognostum Diaconum præclarè scribit) *mihi in mentem venit mirari eos, qui Dialogos composuerunt, & orationes prolixas conscripserunt,*

Isid. Pelus. Lib. I. Epist. 374.

Isid. Pelusiot. Lib IV. Epist. 140. ad Harp. Soph.

Idem Lib. IV. Epist. 67. ad Theognost. Diacon.

quod SUÆ quidem GLORIÆ nimis magnam habuerint curam, dum sublime & grande sophos spirante sermone fuerunt usi: utilitatem verò auditorum neglexerunt, cujus profectò majorem ducere rationem ipsos decuerat. Quantumlibet enim magnam gloriam consecutis scriptoribus, ad cæteros certè parum inde utilitatis redundare queat: Aliis verò utilitatem percipientibus, magna virtutis accessio sit futura. Verum enim verò quia ad id quod sibi conduceret solùm intenti fuerunt, aliorum utilitates insuper habuerunt. Quocirca etiam divinam vituperant scripturam (en nasutorum quorundam nostri quoq; ævi philologastrorum expressissimam imaginem!) *quod non exquisito & ornato dicendi genere, sed humili atque pedestri usa sit. At nos vice versa ipsorum quidem philautiam atque ambitionem jure accusemus, qui* GLORIÆ PROPRIÆ *studio ducti, aliorum minimam habuerunt rationem: Scripturam autem verè divinam criminationibus ipsorum liberemus, dicentes, eam non suæ* propriæ gloriæ, *sed potius audientium salutis*

studio-

studiosam fuisse. Quod si tanto tenentur amore sublimis dictionis, discant, melius esse, ut ab idiota ac plebeo homine veritatem, quam à Sophista mendacium discamus. Alter enim simpliciter & breviter quod res est dicit, alter verò sæpè obscuritate suâ cùm veritatis occultat pulchritudinem, tum sua suaviloquentia ornans mendacium, in aureo vasculo solet miscere venenum. Quod si veritas cum ornata oratione conjungatur, eruditos quidem juvare potest, aliis autem omnibus nulli usui utilitatique erit. Quæ causa quoque est, quare Scriptura Sacra veritatem pedestri sermone exposuerit, nimirum ut tam idiotæ quàm sapientes, quâ pueri, quâ feminæ eam cognoscerent. Gemina hisce insignis ille Doctor Isidorus scripsit ad Harpocram Sophistam, varia ac multiplicia hominum profanè eruditorum studia dicendique genera examinans, ac inter se quasi committens, divinis tandem literis earumque scriptoribus pariter ac cultoribus præ omnibus istis doxosophis justissimam tribuens palmam. Alios quidem eorum [Oratorum scil. poëtarum ac philosophorum profanorum] epopœiâ i. e. heroico carmine fuisse delectatos; alios gravitate Tragœdiæ, a-

Idem Isidor. Lib. IV. Epist. 91. f. 460.

lios blanditiis ac lenociniis Comœdiæ, alios copia Rhetoricæ captos, ſed nec hos inter ſe conſenſiſſe, cum ſint qui ſublimitatem Platonis ſint amplexi, qui Thucydidis gravitatem, qui Iſocratis tenuitatem, qui Demoſthenis vehementiam adamarint. Rurſum alios Lyſiæ apertum dicendi genus laudaſſe, alios contra Iſæi orationem utpotè Iſocratis dictioni convenientiorem; alios denique Æſchynis perſpicuum & candidum dicendi genus cæteris omnibus prætuliſſe. Cum igitur tam variæ ſint *(pergit Iſidorus)* ac diſſentientes hominum (*profanè ſcil. doctorum*) opiniones, equidem non habeo dicere quî fieri poſſit, ut ſcriptor aliquis omnibus placeat; itaque illi, ut QUI AD GLORIAM reſpiciant, ſcribant ut ipſis lubet. At ſacra & cœleſtia oracula, quoniam ad univerſi generis humani utilitatem pronunciata ſcriptaque ſunt, perſpicuitate ſunt temperata. Ex hâc enim & illi qui aliis virtutibus orationum delectantur (ſunt autem hi perquam rari) nihil quicquam detrimenti patiuntur, ſemel intelligentes ea quæ oraculis illis continentur - - Quid quæſo ſunt vel Platonici Dialogi, vel Homericæ tabulæ, vel legislatorum codices,

dices, vel Demosthenis libri, vel Tragœdiæ varii atq; inopinati casus, vel Comœdiæ argumenta, si ad hanc virtutem & brevitatem perspicuitatemque conferantur? Quot Dialogos conscripsit eruditissimus Plato dum conatur demonstrare quid sit justitia? nec tamen quicquam potuit proferre quod esset perspicuum aut persvadere quibusdam: quin etiam ipsa libertate cum excidisset, vita excessit. Quam multa scripsit Aristoteles, Platoni se opponens, ejusque dogmata traducens velut in Comœdia? Sed nec ipse quicquam utilitatis contulit, nisi quod pugnam verborum vitæ humanæ generavit. Quam multa Stoici adversus Aristotelem armati conscripserunt? sed horum quoque extincta sunt dogmata. Comparent igitur cum iis qui sapientes perhibentur divinorum oraculorum perspicuitatem, & desinant nugari divinamque oraculorum dictionem amplectantur, quæ non ad AMBITIONEM, sed ad UTILITATEM audientium respexit. Neq; alio fine hæc edisseruit laudatissimus ille Isidorus quam ut (sicuti antea notavimus) Theosophos

ſophos chriſtianos à vanæ & inanis gloriæ amore ac ſtudio revocaret, ne in parem cum doxoſophis iſtis incidant inſaniam, gloriamque humanam nimis ſollicitè captando veræ perpetuæq; laudis triſtiſſimam ſubeant jacturam. Si GLORIAM ſectaris (*ita notanter Serenum quendam Diaconum compellavit*) eam fac contemnas: ſic fiet ut illa potiaris. Contentioſum enim eſt hominum genus, & de præſtantia libenter dimicat. Vincere enim ſtudet eum, qui victoriæ inhiat. Cum jucunditate autem ſubmittere ſe illi, qui vincere non deſiderat, conſvevit. En nobiliſſimum vincendi genus, viamque ad præfulgidæ gloriæ apicem rectiſſimam pariter ac tutiſſimam! *Quid ergò* [appoſitè quærit Auguſtinus) *ſcientiam fugere debetis? electuri eſtis nihil ſcire potius, quam inflari? Ut quid vobis loquimur ſi melior eſt ignorantia quam ſcientia? ut quid vobis diſputamus, ut quid vobis diſtingvimus? ut quid, quod noſtis admonemus? quod non noſtis inferimus? Scientia cavenda eſt ne inflet? ergò amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem; ſcientia ſi ſola ſit inflat, quia verò charitas ædificat non permittit ſcientiam inflare: ibi ergò inflat ſcientia, ubi charitas non ædificat. ubi*

Idem Iſidor. Lib. V. Epiſt. 504.

Auguſt. Serm. xxxv. de Verbis Dom.

ubi autem ædificat solidata est. Nimirum probe intellexit Magnus ille Præsul Hipponensis, quantoperè scientia obnoxia sit turpi ac pernicioso ELATIONIS spiritui, ut non facilius libri tineis & blattis corrumpantur, quam eruditi, nisi diligenter caverint, ex scientia insolescant, pestiferumque tumorem concipiant. A quo si tuti esse velint ipsi etiam Literatorum Principes, & ad optimæ laudis procurrere metam, sæpius cogitent gloriam non inanem, sed veram excipere cunctos doctrinæ & virtutis solidæ cultores, ac professores, nulliq; antiquitus magnum impertitum fuisse honorem, cui virtutis emeritæ specimina non præluxissent; eos præsertim supremi honoris fastigio [ipso suadente oraculo] dignos olim fuisse habitos, qui singulari doctrinæ scientiæq; fulgore rutilantes, cœteros quoque ad virtutem erudire statuissent. Ea de causa ipsum Platonem certatim à sapientissimis Principibus è longinquo advocatum fuisse accepimus, ut rectioris administrationis vitæque ad virtutis solidæ leges instituendæ rationem omnes edoceret, quo etiam fine eum Dionysius Siciliæ Tyrannus aureis quadrigis venientem admodum honorificè excepit, * nec minus Heracli-

* Invasit aliquando (ita Bartolus in charact. hom. liter. p. 100.) Dionysium tyrannum philosophandi seu ardor nobilis, seu cacoëtes, quo fessus tractando ferro tyrannidem quam exercebat

bat in corpora, felicius in hominum animos exerceret. Utcumque fuerit, Athenis Platonem accersit Syracusas, nec par erat futurus quilibet alius eruderando illi saxo, ex quo tamen nunquam excudere Mercurium valuit. Nempe homines potens in philosophos mutare, feram in hominem vertere non norat. Venit Attico melle fluens Plato, sed illam ca sorum sanguine imbutam spongiam mellis ejus vel una stilla subire non potuit. Mox tamen ut audiri cœpit apud Dionysium Plato, en Tibi conversione repentinâ scenam tota aula mutare, & quasi virgæ contactu magicæ ab ea quæ fuerat, videri penitus alia. Heri Regia cruentum civium macellum, & Caci spelunca; hodie lyceum & sapientiæ augustal, in quo non soli philosophabantur homines, sed & parietes, quorum nulla pars erat vel geometricis vacua descriptionibus, vel numeris philosophicæ computationis. Ipse cognomentum carnificis publici philosophi nomenclatione veneranda sepelierat Dionysius, spectabaturque jam inter principes tanquam semiDeus, & celebrabatur ab iisdem quibus pauló ante execrationi fuerat, & honori. Tantum valent in Principem literæ!

raclitum Rex Darius literis humanissimis evocatum ad regiam deduxit domum, ac nullâ non favoris benevolentiæque suæ scatebra recreavit. Sic Tito Flaminio quondam in Græcia veluti Numini ob egregiam atque superexcellentem virtutem libatum fuisse, Plutarchus testatur. Taceo honorem Aristoteli Delphis decretum in supremæ sapientiæ decus, & quem Romani Duillio, Athenienses Harmodio &

Aristo-

Ariſtogitoni conditis etiam ſtatuis impertivere; Nonne Pompejus ex Aſia rediens Rhodumque pertranſiens Poſſidonio Philoſopho laureatos faſces, ipſaque victricia ſubmiſit inſignia, nec Viri eruditi januam, quaſi Regia ſua atque imperio ſacratiorem à lictore pulſari permiſit? Nonne ſatis abunde conſtat, primarios in Orbe etiam Chriſtiano pietatis & virtutis ſolidæ Doctores ac Profeſſores, tandem veri honoris apicem ex ſolo VIRTUTIS merito attigiſſe, nec famæ ſolùm, ſed & animæ beatam conſecutos fuiſſe immortalitatem? In medium producere poſſemus univerſum priſcorum Eccleſiæ Doctorum egregiè ſplendentium chorum, Ignatium cumprimis illum Theophorum, Dionyſium Areopagitam, Juſtinum Martyrem, Irenæum Lugdunenſem, Cæcil. Cyprianum, Athanaſium Alexandrinum, Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium Mediolanenſem, Auguſtinum Hipponenſem, Hieronymum Stridonenſem, Johannem Chryſoſtomum, Bernardum Claravallenſem aliosque plurimos, quos non tam eruditionis, quam virtutis & pietatis ſummæ fama per veræ laudis præconia jam olim evectos ad ſumma honoris ſedilia locavit. Tales nimirum ſanctis iſtis Doctoribus mores fuerunt, quales ſermones, tale exemplum, quale dogma, ut vixiſſe eos moribus, docuiſſe exemplo, præiviſſe ad honeſta omnia virtute propria

Videatur Vetus Academia J.C. exemplis priſcorum pietat.s veræ Doctorũ a nobis illuſtrata & edit. 1671.

pria ſatis fuerit exploratum. Hinc quoque tantoperè eorum crevit gloria, hinc laus atque exiſtimatio illorum tanta accepit incrementa, ut vivarum legum, & animatarum quaſi pietatis ſinceræ formarum ac imaginum loco jam pridem habiti fuerint, adeoque ad ſummæ laudis metam [vanæ & inanis gloriæ præſtigiis neutiquam obfaſcinati] feliciſſimè pervenerint. Horum veſtigiis ſi inſiſterent eruditorum ſinguli, ac de veræ potius quam vanæ laudis gloriæque veræ theſauris conquirendis eſſent ſolliciti, planè egregia ſupremæ illius ſapientiæ ederent ſpecimina, cujus Doctores pariter ac ſectatores ſtrenuos LAUS (non vana fallax & peritura, ſed ſolida, ingens & fulgentiſſima) MANEBIT IN SECULUM.



COM-



COMMENTATIONIS III.

APPENDIX

De

LIBRORUM FELICIBUS PARITER AC INFELICIBUS CONDITORIBUS.

XVII.

Quandoquidem ERUDITORUM hominum plurimi fatuos umbratilis gloriolæ igniculos præprimis LIBRORUM operumq; variorum EDITIONE insectentur, imò tantoperè famæ inhient inanitati, ut laudari à posteritate (hoc est ab illis quos viderunt nunquam) impensissimè desiderent, hinc cunctis ad veram felicitatem aspirantibus eruditis apprimè cavendum, ne gloriosæ eiusmodi vanitatis sidere afflati, extremam cum turgidis quibusdam librorum conditoribus incurrant miseriam, & ne (si

præposterè nimis de magnâ potius quam bona famâ, aut vita bonâ solliciti fuerint) post impensas curas usque ad sudorem, post evolutos authores usque ad pallorem, post devoratos labores usque ad nauseam & tædium, post exhaustas ferè omnes animi & corporis vires æternæ infamiæ tradantur. *Quot scriptorum laboribus* (verba sunt Dan. Bartoli) *pressoria torcula gemuerunt, in quos illud Ausonii bellè cadat:*

Bart. charact. lit. pag. 335.

Utilius domire fuit, quam perdere somnum,
Atque oleum.

Quam multi vigilatas noctes libris sudarunt componendis, quos absq; somno nullus legat, nisi cui somnum excusserit indignatio in auctorem! Quot olim vixêre fama gloriâque singulari conspicui Viri, quorum memoria eodem sepulta est tumulo quo cadavera; quorum aliquando laudata opera, mox æternæ oblivioni data, vel si extent in literarum monumentis eorum nomina, non sunt scripta in cœlis, libroque vitæ inserta; quam multi ex illis solâ infamia famosi; quam innumera periêre doctorum hominum monumenta, qui per ea famam sibi immortalem parare laboraverunt. *Quam multi* [ita notanter Raynaudus) *apud Photium authores ex solo Photii breviculo noti sunt, operibus planè deperditis? Postea etiam quam multorum opera omnis generis & omnis ætatis,*

Confer. pium literati hominis secessum p. 141.

Rayn. de bonis & mal. lib. p. 322.

tatis, nullo licet interposito adverso casu vel confixione perierunt. Nec ipsum arbitror mundum capacem fore librorum, qui non dico aliquot ante Christum seculis, sed non ita multo ante nos editi sunt. Evanuerunt quàm plurimi & levarunt Orbem. Eadem sors indies plerisq́ obtingit. Ac licet quorundam operum vita tempore diuturna fuerit, quid profuit ea authoribus defunctis? annon melius illis fuisset omni fama caruisse, quam cum magnâ æternùm periisse? Quod si quædam literatorum hominum volumina aliquam nacta sint gratiam, nullam tamen gratiæ partem in suos transferre potuerunt authores, sed iis in re præsenti factum quod Lactantius alibi sculptoribus exprobravit, nimirum ut eorum adoretur manus & labor in statuis, cæterum ipsi spernantur protinus, donis statuæ colantur, premantur verò earum artifices calcibus, suspiciantur pro Diis saxa, pro saxis sculptores habeantur. *Quid inter se* (ait Lactantius) *tam contrarium quam statuarium despicere, statuam adorare, & eum ne in convivium quidem admittere qui Tibi Deos faciat?* Proin parum sæpè emolumenti scriptoribus accedit, etiamsi monumenta eorum maximo apud nonnullos in pretio habeantur, varioq́ue legantur idiomate, nimirum spretis artifici-

Lactantius de orig. error. cap. 2. ex Seneca, confer Bartol. charact. pag. 5.

tificibus insensatæ adorantur statuæ, honorque authoribus debitus, soli ut plurimum operi exhibetur. Haud abs re Jacobum Billium (qui immortalem ex Patrum quorundam editione gloriam est consecutus) commendavit Scævola Sammarthanus in illustrium Gallorum elogiis, quod licet totus in scribendi labore semper fuerit, nullum tamen unquam attigerit argumentum, quin ad pietatem illud ac religionem pertineret, *cætera omnia* [notanter addit Sammarthanus] *tanquam fluxa & caduca generoso quodam animi vigore contemnebat.* Nec minus Jacobum Fajum Spessæum Virum longè doctissimum tam longè ab omni gloriæ fumo abfuisse idem memoravit, ut cum tradere posteris multa posset ingenii sui documenta, tamen post absolutissimas tot veterum lucubrationes publicare novos libros non modo supervacaneum esse duxerit, sed etiam ineptum. Claudium Puteanum denique idem Sammarthanus posteritati commendavit, quod licet eo homine ætas nihil doctius tulerit, pro singulari tamen animi sui modestia scriptis nunquam inclarescere voluerit. Equidem si doctrinâ virtuteque sublimiori conspicui Viri gloriosæ illius vanitatis vestigia paulò diligentius observent, vix unquam nominis sui affectabunt perpetuitatem, sed DEO solum & beatæ æternitati (si quæpiam scribendi necessitas iis incumbat) curas atque meditationes suas con-

Sammarthanus Elogior. lib. III. pag. 76.

Idem l. c. lib. V. p. 105.

Idem lib. IV. p. 120.

consecrabunt, haud quaquam per eas immortales fieri cupientes, sed immortali & invisibili seculorum Regi honorem unicè tribuentes, *non solum aliis* (ut Augustinus loquitur) *scribendo proficient, sed ipsi proficiendo optima quæque scribent*, studiosè etiam observantes præclarum Petri Venerabilis consilium Gilberto cuidam olim subministratum : *Seratur in chartula verbi divini seminarium, quod maturis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis lethalem animæ famem repellat, sic planè, sic verbi divini poteris fieri taciturnus prædicator, & lingva silente in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit: Clausus tenebris in spelæo tuo & in codicibus tuis, terras & maria peragrabis, in publicis Ecclesiæ conventibus lectoris ore verbum DEI de sublimi loco inclamabis, inq; remotis claustrorum & domiciliorum angulis illud idem servis DEI silentibus insusurrabis.* *Petr. Vener. lib. I. Epist. 20.*

XVIII. Magnifica est Scriptoris cujusdam ævo nostro clarissimi vox, & digna quæ Literatorum omnium auribus inclametur : *Nihil moror Libros, sed combustos omnes velim, si DOCTIORES tantum, non* *Salmas. Epist. XXXV. ad Jac. Cruc.*

etiam MELIORES, qui illis dant operam reddere sint idonei. Itaque maximoperè *SCRIPTOREM* quemlibet ea cura atque cogitatio versare debet, quâ ratione summè utilia necessaria salutariaque ingenii monumenta parare inq; publicam dare lucem queat. Non frustraneum solum, verum infortunatum etiam, atque damnificum illum laborem esse, qui otiosis & inutilibus libris conscribendis impendatur optimorũ & sapientissimorũ virorum constat judicio. Sicuti (juxta sacrum effatum) filiorum insensatorum multitudo parenti in opprobrium vergit, non verò in ornamentum, ita librorum (quos haud abs re ingenii liberos veteres nuncuparunt) inutilium noxiorumque copia auctoribus suis maximum dedecus extremamque infamiam conciliat. Cum celebris quidam seculi hujus Scriptor in operis sui fronte illos Literatorum labores *Herculeos* dixisset, *qui fatigationibus immensis commoditates adferant aliis, authoribus verò suis præter aliquantulum famæ, plurimumque invidiæ, nihil;* nonnemo acerbè satis rigideque illum tractaturus enunciavit, *M. LABORES EOS ESSE, qui fatigationibus immensis, nec commoditates aliis, nec auctori suo aliquantulum famæ, sed plurimum infamiæ adferant.*

Phil. Lab. Tom. I. de Script. Eccles. pag. 380.

Quicquid verò de Scriptoris illius monumentis

tis sit statuendũ, nemo facilè inficias ibit effatũ istud cumprimis locum habere in omni librorum inutilium otiosorumque genere, quorum auctores speratæ gloriæ loco extremam infamiam fatigationibus suis consequuntur. Licet sapientiam absconditam, *inutilem* (non secus ac thesaurum invisum) Siracides pronunciaverit, notanter tamen *hominem qui stultitiam suam abscondat, meliorem esse judicavit eo, qui suam sapientiam evulgare recuset.* O si insensati quidam librorum conditores eam quam habere se putarunt abscondissent sapientiam, nec evulgassent illos suos luce indignissimos fœtus, non tantam sibi acciviſſent apud doctiores & meliores infamiam, nec veritatem * proverbii illius Talmudici experti fuissent, *quod homines prodeuntes* (temerè scil.) *in publicum sint quasi tradendi lictoribus, &c.* Severissimorum equidem judiciorum ac censurarum aleam utplurimum illi Scriptores subeunt, qui licet abunde ingenio eruditioneque præditi sint, laborem tamen omnem, ætatem ac valetudinem in elucubrandis nullius frugis argumentis, & libris edendis consumunt, *in quibus scribendis* (ut scitè Bartolus ait) *VITA, legendis verò tempus infeliciter omninò conteritur.*

Sirac. cap. 41.

Bartol. charactr. Quodlit. par. II. pag. 346.

 Quod

* *Proverb. hoc ex Talmudis tract. de Sabbatho haud malè Buxtorfius ad scripta quædam seculo hoc evulgata accomodavit.*

Quod si jure meritissimo Seneca quibusdam ævi sui philosophastris succensuit, qui nocturnas vigilias, & diurnarum velitationum clamores assiduos in puerilia, non risu modo sed ferulis digna conferre neutiquam dubitarunt: *Mus Syllaba est: Syllaba caseum non rodit: Mus ergò caseum non rodit. O pueriles* (exclamat ille) *ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes docemus & pallidi*; Si inquam Seneca nugaces ejusmodi illiberalium artium magistros meritò reprehendit; quis obsecro piè-doctorum illos laudaret Orbis christiano-literati incolas, qui vitam omnem studiis inanibus nugisque puerilibus impendere neutiquam verentur? *Tantane est* (inquit modo laudatus Scriptor) *nugarum futilium ubique penuria, ut juvet iis gravi studiorum & noctium, vitaque adeò multa sumptu, numerosas farcire paginas? Si possum animo in selectam prædam cum aquilis & accipitribus assurgere, cur malim cum alaudis uno garriendi desiderio alas explicare? quod illæ dum faciunt, tamdiu cantillant, quoad rupta garritu cadant, suo illo cantu adeò læta, ut si canendi magistra cæli Sirenibus fuissent.* Navigatio vitæ hujus quam fermè

Idem l.c. p. 348.

in

in ſtudiis ponitis (ita poſt quædam alia Bartolus ævi noſtri ſcriptores eleganter compellavit) felicitas indolis, & ſcribendi labor quibus poteſtis rem literariam, auro & unionibus augere, quo tendunt obſecro? quibus amabo vos mercibus locupletamini? fabellis nimirum, altercatione frivola, quæſtiuncularum, nugis prope dixi heroicis; amatoriis inquam nugis; reſtitutione textuum, aut depravatione potius, emendationibus arbitrariis, conjectaneis, imaginariis, & quid plura? *Quare appenditis argentum Veſtrum, & non in manibus* (inquit ſacer vates Eſaias) quod cum exponat B. Hieronymus de ſecularibus ſtudiis, quantò verius de veſtris, tum planè inanibus, tum ſæpè fatuis dici poteſt? An vivit aliquis Tiberius qui vos matris Hecubæ nomen, qui uſurpatum ab Achille inter Lycomedis virgines abſconſo nomen edere jubeat? - - - An aliquis Domitianus ad quotidianam & diuturnam muſcarum venationem vos invitat? Amplitudinem Romanæ urbis oſtentaturus Heliogabalus, aranearum telas omnes tota undique de-

cussas & collectas urbe exaggeravit in montem demens, magnitudinem Urbis urbium Reginæ stolidè arbitratus hoc documento contineri. Stultum hunc nemo sapiens non videt; est tamen illorum (scriptorum) archetypus, qui experimentum sui publicè præbituri, araneis pluribus quam foliis libros implent argumenti planè inutilis, & tractationis evanidæ ac prorsus inanis. *Utinam taceretis, & putaremini esse sapientes.* Plaudat iis, si vultis, stultorum amicorum fatuitas celebris; alia propterea non erunt illorum quam quæ in Bachi spectaculis laudavit Diogenes, magna stultorum miracula.

Job. XIII. 5.

XIX. Sicuti igitur scriptorum ejusmodi inutilium fructuque omni vacuorum ingens est fatuitas, atque pestilentium librorum divulgationem gravissima detrimenta insequuntur, ita satis deprædicari vix potest BONORUM AUCTORUM felicitas, summæ sociata utilitati. Equidem non Scriptoribus solum, verum ipsi etiam Ecclesiæ atque universæ rei literariæ egregia inde accedunt emolumenta. Amplissimam piè-eruditus scriptor lætitiæ gaudiique segetem habebit, si eas ingenii proles fuderit, quæ pietati pariter ac eruditioni sinceræ plantandæ

tandæ propagandæque inserviant. Dilabuntur opes, corruunt ædes, numerosissima interdum deficit familia, ast præclaris operibus nobilitata nomina nunquam intereunt. Quinimò talis tantaque ea est bonorum pièque doctorum scriptorum felicitas, quæ cum universi Orbis opibus atque dignitatibus haudquaquam comparanda, ne dum permutanda videatur. Non ad vanam illi, sed sanam; non fallacem sed veracem perennemque adspirant immortalitatem, imperturbatæ junctam tranquillitati. Et cum neutiquam præpostera eos invadat immortalitatis affectatio, quæ profana seculi mancipia, Magistros quosdam nugivendulos, vanæque gloriæ ANIMALIA occœcare solet, qui nec ipso Cenodoxorum literatorum exitio à præpostero illo famæ acquirendæ studio sese revocari patiuntur, feliciora sc. sibi fata promittentes; cum inquam felices illæ Scriptorum nobiliorum animæ ab omni inanis gloriæ æstu, omnique insano immortalitatis desiderio maximè sint alienæ, cœlesti ut plurimum nutu accidit, ut non in tempore solum laudem gloriamque insignem (licet minimè quæsitam) obtineant, verum perennem etiam atque sempiternam beatitatem divino beneficio consequantur. Mille vivendi artes huc usque indagavit, nec invenit tamen impotens nunquam-moriendi desiderium, cumprimis id ipsum Sinarū philosophos

Primo-

Primoresque tantoperè olim invaſit, ut curas cogitationesque omnes vaniſſimæ illi immortalitatis affectationi duxerint impendendas. Et quod ea res ſcientiæ humanæ facultatem atque limites longiſſimè excedat, nulla prorſus ratione ut credant, induci potuêre. Fruſtra ſæpè qui inter illos ſapientiores in detergendo iſto morbo, atque deprimendo contumaci ſociorum ſuorum affectu fuêre occupati. Herbis alii argentoque vivo vitam producere ſunt conati, alii neſcio quale immortalitatis poculum ab impoſtoribus quibuſdam paratum propinatumque impigrè hauſere, oleum ſimul perdentes ac operam. Scilicet herbis Medeæ carebant fatui illi βιόφιλοι, & Jovis ambroſiâ, quibus vitam ſibi immortalem accerſerent. Nuſpiam reperti ſunt illi quos finxêre immortales in montibus errantes, inque ipſum cum libuerit adſcendentes cœlum. Nec minus præpoſterè illi quondam immortalitatis iter culmenq; honoris perpetui adierunt, qui mortem ſubire voluntariam, necemque ultroneam (urgente ſcil. inſana gloriæ cupiditate) ſuſcipere non dubitarunt, veluti Calanus ille magni nominis philoſophus Indus, qui diu multumque Magnum ſecutus Alexandrum tandem ipſo vidente ſeſe in ignem conjecit, ratus ea ratione ſe apud ipſum Alexandrum & poſteros fumum immortalitatis adepturum, ad ſtolidi nimirum Empedoclis [cujus ſupra meminimus]

Nic. Trig. lib. I. Expedit. Sinic. c. 9. confer. Commentar. noſtr. de Re liter. Sinenſ. Sect. XIII. p. 158.

mus] exemplum, qui in Ætnæ craterem insiluit ut pro Numine haberetur. Sic Cleombratum cum Hegesyæ discipulis immortalitatis statum tanto ardore concupivisse legimus, ut præ potiundi desiderio præmaturam mortem oppetierint. Et si qui oblatam à superis immortalitatem (uti fabulata est antiquitas) respuerunt, quemadmodum de Chirone perhibetur, illi quoque ex ipso immortalitatis contemptu gloriam venati sunt augustiorem, tantoque illustrius aviditatis illius (scil. famæ in perpetuum producendæ) dedêre documentum. Longè felicius veræ immortalitatis metam librorum optimorum scriptores atq; conditores à tot seculorum decurso tempore attigêre. Monumenta quæ publico bono ediderunt quovis ære, quibusvis marmoribus, Mausoleis, arcubusque triumphalibus [quibus nonnulli olim affectarunt quidem, non item affectati sunt nominis immortalitatem] perenniora extiterunt. Illi quos studio indefesso peperêre filii parentibus suis etiam vitâ functis honori decorique sunt perpetuo. *Mortuus est pater, quasi non sit mortuus, similem enim post se reliquit.* Ecclef. c. XXX. Adeò enim in filios hujusmodi egregios parentum virtus pietasq; sese transfundere solet, ut in iisdem post fata vivere semper spirareque videatur. Si tam procul longeque à parentum suorum vultibus

& mo-

& moribus naturales filii exerrent, ut [quod prisci finxére Ægyptii] ex patre fulgure boves interdum nascantur; illi quos diximus melioris notæ fœtus vivas parentum suorum repræsentare videntur imagines. Est proles illa verè immortalis, cujus ope literati felices cunctis miseriis defuncti, gloriæ perpetuæ vivere incipiunt, incomparabilibus planè laborum suorum præmiis æternùm condecorandi. Audiamus de insigni hâc Scriptorum optimorum felicitate * sæpè laudatum Bartolum egregiè disserentem ad h. m. Quibus obsecro firmamentis stabilius magnorum hominum gloriæ, & meritorum nomina fulciuntur, quam LIBRORUM IMMORTALITATE? Inspiciamus rerum strages quas agit ubique omnium edax tempus, præcipitando alias, reliquas sensim ac lentè arrodendo. Rupes sub annorum decrepitæ pondere subsidunt, in sepulchrum curvantur, membratim

Bart. char. lit. p. 365.

* *De quâ etiam legi meretur memorabile* Philobiblion, *quondam à Richardo de Euri Episcopo Dunelmensi in Angliâ conscriptum, & unà cum centuriâ Epistolar. philologicarum ex Bibliotheca Goldasti antehâc Francofurti, nuper verò Lipsiæ 1674. edit. In cujus capitul. 1.2.3.4. author egregiè ostendit quanta bona per libros proveniant.*

dissi-

dissiliunt, ossiculatim disperguntur; & ipsæ quoque mendicare videntur è subjectis vallibus tumulum quo tegantur. Tabescunt rubigine quæ sunt ferrea, & lima temporis pulverascunt. Altissima quondam Palatia superbis minuta capitibus, nunc ostentant ædium cadavera, è quibus si pars aliqua murorum non tam stare, quam ruinam perpetuo minari videatur, ea videtur à tempore relicta, ut esset potius ejus trophæum victoriæ, quam pristinæ magnitudinis aliquod monumentum. Ubi olim Deorum templa, Imperatorum aulæ, Senatorum sedes, Doctorum exedræ fuerant, nunc cubilia sunt luporum, bubonum nidi, latronum receptus. In hâc strage annorum, in iis ætatum ruinis, quam magnificè invicta seculis attollant capita VIVACES RELIQUIÆ INGENIORUM PRÆSTANTIUM; quã vivant in morte omnium securi, & æterna vireant senectute LIBRI ERUDITI, & in libris ipsorum parentes dicat Stoicus Romanus, & sileo: Cætera quæ per constructionem lapidum & marmoreas mo-
les

les aut terrenos tumulos, in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem, quippe & ipsa intereunt: IMMORTALIS EST INGENIORUM MEMORIA! Fortunatus Metellus, qui filiis quatuor succollantibus ad sepulchrum elatus, primis consularibus, tertio tunc, & quarto post paulùm consulibus, Vellejum movit ut diceret: *Hoc est nimirum magis feliciter de vitâ migrare quam mori.* Utcunque sit, tamen *de vitâ migrat*, & à filiis effertur. Parentes suos non filii quatuor; sed quam MULTI prodeunt IN LUCEM EORUM LIBRI, morti ereptos & cineri, ubique cum pompa circumferunt, deponunt in omnium manibus, oculis veneratione. Quot suâ patriâ obscuri, & dote ingenii paucis noti, librorum suorum præconio omnium animos, omnium sibi existimationem & laudem huc usque conciliarunt! - - - Hi Soles doctrinarum, quorum radiis floret terra, vigent scientiæ, secula illustrantur, illum honorem videntur promeriti, quem lucis con-

Vell. l. 1. Hist.

conditor lucis attribuit. Primam siquidem illam sua laude, suo inter omnia opera ore dignatur; non tam quod pulchra per sese, quam quod quicquid videt pulchrum efficit & formosum. *Tantum sibi prædicatorem* (ait Ambrosius) *potuit invenire à quo jure prima laudetur; quoniam ipsa facit ut etiam cætera mundi membra digna sint laudibus.* Hi sunt quorum animos Seneca ob meritorũ suspicit gloriam, quorum adorat ortum in hanc lucem, quam viventes calcarunt terram osculatur, momentum illud mœrens luget quo vivis ablati sunt, *vocatq́; PRÆCEPTORES GENERIS HUMANI, ET DEORUM ritu colendos. Cum enim* (*subderet Vitruvius*) *tanta munera ab SCRIPTORUM PRUDENTIA fuerint hominibus præparata, non solùm arbitror palmas & coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos, & inter Deorum sedes eos dedicandos.*

Ambr. l. hex. c. 9.

Sen. Epist. 14.

XX. Talis igitur librorum *SCRIPTOR*, verè *FELICIS LITERATI* gaudet elogio famâque dignus perenni, qui non vulgari solum doctrina ingenioque præditus,

verum etiam supra spem, metumque, aut alium perturbati animi affectum est positus, deniqúe extra ostentationem atque ambitionem constitutus uni operatur veritati, uni gloriæ divinæ intentus, viamque sibi per ingenuos labores ad veram & beatam, non vanam & umbraticam illam parat immortalitatem. Satis gloriosè quondam Flaccus, suæ sibi conscius præstantiæ exultavit:

Exegi monumentum ære perennius,
Regaliq́, situ Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens; & quæ sequuntur.

Nec minus superbè celebris ille Ovidius Naso in Octaviani Cæsaris invidiam suum consolatus est exilium:

Jamq́, opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas,
Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus

Jus

Jus habet, incerti ſpacium mihi finiat
avi
Parte tamen meliore mei ſuper alta per-
ennis
Aſtra ferar, nomenque erit INDELE-
BILE noſtrum.
Quaque patet domitis Romana potentia
terris,
Ore legar populi, perque omnia ſecula
fama,
Si quid habent veri Vatum præſagia,
vivam.

Quodſi verò tantam profana vanæ gloriæ mancipia de futura ſua immortalitate dulcedinem concepêre, ut ejus intuitu cuncta deſpexerint humana, nihiliq́ue penderint fortunam, neque labores neque damna, non graves averſata ſint ruinas, quibus obſecro elogiis illi ornandi ſunt Scriptores, qui Chriſti ſpiritu afflati, *in operibus ſuis per ingenii oblationem* (ut Chryſóſtomus loquitur) *DEO ſoli ſacrificarunt*, per ſacroſanctos labores ad veram beatamq́ue immortalitatem viam ſibi aperientes, atque longè celſiora pegmata iu æternitatis ſacrario obtinentes. Nunquam priſcos Eccleſiæ Doctores, alioſq; ſinceræ fidei ac pietatis chriſtianæ propagatores infelices di-

xerimus, quod vel variis ſuppliciorum generibus, vel Imperatorum & Præfectorum gentilium tyrannide ſint ſublati, vel quod exules egentesque aliquandiu vixerint, quodque tot injuriarum & calamitatum turbinibus ſint expoſiti, ſi doctiſſima pariter ac ſanctiſſima eorum ſcripta evolverimus, quibus laudem famamque perennem ſunt conſecuti. Vivit Martyr ille Juſtinus, vivetque feliciſſimus cum Cypriano, Irenæo, Baſilio M. Chryſoſtomo, Auguſtino, aliisque pluribus qui (ut Horatius exultavit) *Libitinam evitarunt.* Nec ulla unquam tabe corrumpentur veneranda illa Doctorum & Antiſtitum nomina, qui noſtro pariter ac ſuperiori ævo omnes cogitationes ſuas, ſtudia omnia ad divinarum rerum tum intelligentiam tum propagationem contulerunt. Etſi enim laude eximia illi quoque videantur digni, qui vel in lingvarum vel artium & diſciplinarum humanarum ſtudio ætatem transegerunt; imò plurimos ſtilus ſpectabiliores longè fecerit quam alios enſis, [non ſecus ac C. J. Cæſarem, qui ſtylo etiamnum vivit, poſtquam pridem enſe miſerrimè occubuiſſet;] longè majorem tamen beatæ iſtæ animæ Divinæ tantùm litantes gloriæ merentur commendationem. Quantò enim æterna mundanis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tanto illi reliquos Scriptores longiſſimo poſt ſe relinquunt intervallo. Quorundam profanè doctorum vaſtos ſcri-

ſcribendi conatus mors ſubitanea interemit, ut rapidiſſimo fato abrepti ſint eo ipſo tempore, quo (ſicuti de Bartholomæo Leonico Pierius Valerianus memorat) im̃ortalem ſibi gloriam comparare laborarunt; Alios nimia ſcribendi aſſiduitate interemptos fuiſſe legimus, veluti Paulum Decanalem, qui dum præſtanti labore Ptolemæi Geographiam non tam temporum, quam imperitorum hominum injuria paſſim depravatam incolumitati priſtinæ reddere contendit, tam utilem & jucundam humanis ingeniis cognitionem brevi exhibiturus, ex nimia ſcribendi contentione, rupta intra pectus vena ita ſanguinem evomere cœpit, ut mox perpetuæ datus ſit quieti; Quinimò quoſdam ex mero dolore ob ſcripta perdita periiſſe, vel immedicabili contabuiſſe ægritudine cognovimus, quos inter Avorum noſtrorum memoria emicuit Jacob⁹ Conſtantius, qui (teſte laud. Pierio) triſtem librorum à ſe conſcriptorum jacturam immoderatius ferens, morboſum animi contraxit æſtum, quo in dies horasque creſcente miſerè eſt extinctus. Nihil tale novêre majori Numinis afflatu perculſi ſcriptores, qui omni ævo ſingulari cum induſtria, pietate, gravitate imò bonorum omnium applauſu conſcripta volumina edidêre in publicum, atque plus cæteris laborantes, Sacro-chriſtianam rem non exiguo locupletarunt augmento. Hi (quicquid ipſorũ monumentis olim obvenerit) de

Pier. de liter. Infelicit lib. II. p. 164.

Idem lib. I. p. 58.

Idem Pier. lib. II p. 100.

de invidiâ, de ſcelere, de hæreſi, mendacio, ipsâ morte denique feliciter adeò triumpharunt, ut non modo poſt buſta ſua & cineres ſint etiamnum ſuperſtites, verum longè diutius perennante ſcriptionis fructu, quam ipſorum librorum vitâ, fulgeant ſicut ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates. Ac licet quædam forte ipſorum ſcripta perierint, memoria tamen eorum, hominum doctorum & eloquentium teſtimonio celebrata, quinimò Solis ipſius radiis inſcripta nulli dabitur oblivioni.

XXI. Itaque FELICI ex infelicium caſibus & periculis SCRIPTORI opera præprimis navanda eſt ut recta gaudeat intentione, h. e. labores ſuos divinæ gloriæ proximiq; utilitati conſecret prius, quam eos perficiat atque comunicet cum pluribus; dein ut ea quæ ad legentium fructum parare conſtituit, optimo ordine atque eleganti digeſtione conſcribat, cum magiſtrâ experientia conſtet, ea quæ ordine inſtituuntur, minore laboris ac temporis impendio perfici, nec ſolùm citius & commodius, verum etiam rectius ſolere abſolvi. Sed & ſollicitius ea à literato ſunt elaboranda quæ chartis mandantur, quam quæ dicuntur ex tempore, ſi modo rata atq; haud pœnitenda illa eſſe debeant. Curam inquam ſeriam adhibeat ſcriptor piè-eruditus, ne illotis quod ajunt manibus tantum ſuſcipiat negotium, Euripides εὐλάβειαν quæ hæc ipſa cura eſt, utiliſſimam dixit

dixit esse Dearum, cum scientiæ lumen adhibeat operibus, abstrusa penetret, revelet operta, illuminet obscura, cuicunque scriptori hæc adest virtus sinceræ sociata pietati, hoc assequetur, ne animus unquam negotio desit, nec votis successus. Optandum quoque esset ut qui scriptis edendis operam navant, tot frustra editorum librorum causas atque rationes sibi revocarent ad animum, quas Bartolus in sæpe laud. opusculo ad h. m. exposuit: Prima est quod multi nihil se putant egisse, si librum ediderint, nisi Bibliothecâ libris suo Marte cusis Orbem ditaverint. *Bartol. charact. lit. p. 330. seqq.*

Hinc oblita modi, millesima pagina surgit.
Omnibus, & crescit multâ damnosa papyro. *Juven. sat. 7.*

Volumina centum, mille chartarum singula cum ediderint, iis unius ingenii tot partubus, unius mentis, unius studii & styli tot filiis incedunt tumidi, nec animadvertunt famam & gloriam haud quaquam librorum indigestâ turbâ, sed delectu parari, nec æstimari numero, sed solo pondere. Numeret sanè opus editum centum volumina, cum Ausonii echone de se profiteri hoc poterit:

Aëris & linguæ sum filia, mater inanis
Judicii, linguam quæ sine mente gero.

Quam sensatè & pulchrè libros Domitius Piso THESAUROS ajebat esse OPORTERE

non libros, verba totidem gemmas, paria numero paginarum monilia; ut quicunque legerit, decenni authoris labore horâ unâ ditetur. Heu! illa ætas quo abiit? quò mos eximius, scientiarum mel committendi ceris tenacibus? Quo descendebat lentius styli cuspis in tenacem ceram, hoc erat morosior in cogitando mens, hoc maturius quod cogitaverat. Nunc verba digitis calamus præripit, capiti cogitata, utraque tanto leviora, quanto minus perpensa - - - Si dicturus esses in consessu centumvirum sapientissimo, & omni doctrinarum genere exculto, malles eorum aures indiscriminatim verbis vulgaribus & impolitis, delectu nullo nec ordinè nec soliditate profanare? annon gemmas si posses, & aurum loquereris? Et non vides Te libris quidquid ubique Orbe toto doctorum hominũ & sagacium est affari, qui legendi tui & audiendi studio tenentur? Quin tu potius Phocionis consilio uteris, qui rogatus, quid tam diu cogitabundus animo versaret; sum inquit dicturus ad Athenienses, & verba retracto singula, ne quid excidat mihi, quod fortè dici minimè deceat. Tu igitur qui scribere, qui scripta in publicum emittere cogitas, juxta prudens poetæ monitum: *Laudato ingentia rura, exiguum colito.* Moles voluminum gigantæas nulli invideas, æmulare si quid in iis est rarum & ævo dignum: scribe aliquid quod solum multorum

&

& laudem & pretium æquet. Altera origo editionis librorum infaustæ infelicisq; delectus est *INIQUÆ MATERIÆ*, & cui sustinendæ par desit ingenium. Ode, epigramma, simile aliquid typis est datum, & placuit, fingitque mox animus se ad Heroica & Tragica vocari:

Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.

Metire humeros de onere quod moliris, post si videbitur par oneri cervix, tolle sis onus, & benè ambula. *Prudentia hominis est, nosse mensuram suam, nec imperitiæ suæ Orbem testem facere.* Hieron. contra Vigil. Jungatur Briaræo Argus, nec centum præcipitent ad scribendum manus, nisi centum illis oculi præstò sint. Ne te campus ingens nobilis argumenti sic importunè sollicitet, ut non sinat te alas & vires prius attendere, quam Te aëri credas. Alas remitte, quibus altius quàm decet eniteris; & in hoc ciconiæ pullos à nido recentes imitare; alioqui certius ad casum quam ad volatum impelleris. - Tertia causa frequentiorum in edendis libris aborsuum verius quam partuum, IMPATIENTIA est fœtuum formandorum prius quam eduntur. Frustra illis sed cautè occinit scribendi magister & canendi: *Nonum prematur in annum &c.* Horat. in art. poet. Quid igitur mirum si fungus unâ hora natus, intra duas marcescat; & nostræ (quod ajebat

 Plato

Plato) lucubrationes in hortos mutentur Adonidis, *qui subitò & uno die nati, celerrime pereunt.* Viri docti quò scientiores & sapientius cordati, hoc semper fuêre in censurâ sui acriores. Gnarus quisq; illorum se sua auribus, oculis & examini credere Virorū sapientum & eruditorū, ita Bartolus. Nec malè Theophilus Raynaudus in eleganti suo de bonis & malis libris opere observavit, plerosque Scriptores in libris suis edendis justo esse celeriores, ut mirum non sit irrepere in eos quod gravi sit dignum censurâ ac reprehensione, cum ipso Apuleo animadvertente, ***nulla res possit eadem esse festinata simul, & examinata, nec sit quicquam omnium, quod habeat & laudem diligentia simul & gratiam celeritatis***; quinimò ipsa natura nos edoceat, fœtum non statim post conceptum esse exponendum luci, sed formandum prius quam in apertum exeat, pariter formanda & fingenda sensim esse ea quæ ingenii uterus conceperit, ne fœtus abortivi [musteos libros vocat Plinius, eumque æmulatus Sidonius, subventaneos ejusmodi fœtus summoperè improbantes] Orbis eruditi sistantur conspectui. Et quamvis [pergit Raynaudus] in tanta vitæ brevitate non placeat Ludovico Vivi ea per Poëtam indicta nonum in annum operis suppressio, cum partus humanus tantum sit nonimestris, nimiamque limam ipse Plinius impro-

Theoph. Rayn. de Bonis & mal. lib. p. 319.

Apul. lib. de Deo Socratis sub. init.

Plinius lib. VIII. epist. 21.
Sidonius lib. VIII. epist. 3.
L. Vives lib. 5. de tradendis discipl. in fine
Plin. lib. 9. ep. 33.

improbet; tamen præstat tarditate quam præcipitatione peccare, certumque est quod Quintilianus prudenter monebat, opus jam conscriptum aliquantisper seponendum esse, ut qui conscripsit ad illud postmodum refrigerato inventionis ardore tanquam ad alienum redeat ut lector non ut author, siquidem ex ea retardatione judicium limetur & expoliatur. Similem curam qui prætermiserit, & libros fundere potius quam edere diu pressos longaque lima expolitos laborarit, ac ut est apud Hieronymum fœtus suos evolare de nidulo siverit, & temerario editionis honore vulgaverit, non mirabitur, si pro bono libro fungum emittat, proque sperata laude & approbatione gravem censuram & reprehensionem reportet, quin immò ab illis ipsis qui ad scribendum & edendum adulando perpulerunt, vel coram opus laudibus ornarunt egregiis, irrisiones sannasq; tandem consequatur. *Ne ad scribendum cito prosilias* (ita Rusticum laudatus Hieronymus prudentissimè admonuit) *& levi ducaris insania, multo tempore disce, quod doceas, ne credas laudatoribus tuis. Immò irrisioribus aurem ne libenter accomodes; qui cum Te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post*

Hieron. epist. ad Desider.

Hieron. Epist. ad Rustic. de forma vit. mon.

post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. Cogitet (Plinio suggerente) Scriptorum quilibet, quam magni sit dare aliquid in manus hominum, sæpeque tractet, quod placere & semper & omnibus cupiat. Quæcunque igitur scripserit literatus, diutius habeat præ manibus, retractet eadem, iterum ac tertio ad examen revocet, cum libris sæpè idem quod plantis accidere soleat, ut quæ tardè crescunt firmiores sint, eæ verò in quibus præpropera luxuries efflorescit, celerius pereant. Quâ ipsa persvasione imbuti scriptorum prudentissimi (dicente rursus Bartolo) ex iis quæ elucubrarunt nihil prius judicio publico committunt, quam intimi cujuspiam sui censuræ crediderint, sed cordati ac fidi, qui dicat pro imperio REPETE! at si non ante quam missis in lucem libris deprehendant se reos esse alicujus nævi, manu ipsimet spongiæ admota castigant, retractantq; ut boni pictores opus nondum arte ultimâ perfectum, sed illo adhuc Polycleti & Apellis solenni suspensum lemmate, FACIEBAT, *tanquam inchoata arte & imperfecta, ut contra judiciorum varietates superesset artifici reditus ad veniam, velut emendaturo quicquid desideraretur. si non esset interceptus.* Hujus prudentiæ clarum præbuit documentum Vir longè clarissimus Hippocrates,

Plin. lib. VII. ep. 17.

D. Bart. char. lit. p. 234.

tes, quem sua quædam de fractura capitis revocare non puduit. Et cum nemo felicis adeò sit limpidique ingenii, quin aliquas in tradenda scientiæ luce emittat ignorantiæ suæ umbras, hinc dedecori Scriptoribus nemo facilè adscribet, nec propterea è doctorum circulo illi excludentur, si in emendandis corrigendisque erratis suis sint faciliores. *Nimis perverse se amat* (inquit Augustinus in Epist. ad Marcellinum) *qui & alios vult errare, ut error suus lateat.* Nihil æquè cordato pioque Scriptori curæ esse debet, quam ut tum ipse, tum alii quos erudire conatur errare desinant. *Non pigebit me* (ait rursum laudatissimus ille Doctor Hipponensis) *sicubi hæsito quærere, sicubi erro discere; proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum, ubi pariter hæsitat, quærat mecum, ubi errorem suum cognoscit redeat ad me; ubi meum, revocet me.* Utinam idem cunctis Scriptoribus christianis esset animus, consimilisq; modestiæ charactere illi essent conspicui, nec injuriosam sibi esse putarent nævorum postliminio deprehensorum sollicitam emendationem, nec adeò facilè irascerentur cordatis monitoribus, meritò ægrè ferentibus si (quod in veteribus Romanis hodiè ridetur) errores publici pro ipsa veritatis regula habeantur. Utinam [ita optamus insuper] omnes librorum conditores (ne sibi pariter

August. l. I. de Trinit. c. 2. 3.

ac

ac lectoribus suis, quin & seræ posteritati turpiter imponere velint) saluberrimi illius præcepti Delphici essent memores, atque serio αὐτογνωσίας studio invigilarent prius, quam de edendis ingenii industriæque suæ monumentis sollicitè cogitarent, præsertim cum sæpè accidat, ut Scriptores etiam ineptiores ob qualemcunque nominis intumescant celebritatem, eamque [licet non habeant,] habere tamen sibi videantur. *Nulli siquidem* (præclarè dicente Vossio) *iis desunt laudatores, & ut adulatores absint, sibi quilibet adulatur, suosque etiam deformes amat fœtus.* Ne igitur fucum Scriptor faciat & sibi ipsi, & aliis seculi sui imperitis lectoribus, ingenii doctrinæque suæ vires justa lance ponderet prius, quam argumenti nobilioris tractationem meditetur, cogitet etiam sollicita mente, utrum Scriptorum aliorum inventis quædam adjicere possit majorem spirantia genium, & num post tot tantaque volumina in lucem emissa operis à se conscripti editio Ecclesiæ vel Orbi erudito adeò sit necessaria? Neque verò sibi soli in tanti momenti fidat negotio, verum aliorum etiam (ut paulò ante monuimus) & doctiorum & candidiorum hominum calculos adhibeat, non contentus scil. secum cuncta probè perpendisse, ea veterum laudatissimo more communicet quoque cum prudentioribus

G. J. Voss de Cognit. sui pag. 30.

bus aliis, horum judicia exposcat, & rectiora haud difficulter sequatur monita, Magni cumprimis Ambrosii exemplo & documento illustri incitatus: Is siquidem librum à se conscriptum judicio & censuræ Sabini sui subjiciens; *Nescio* (scitè pronunciavit) *quomodo præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, unum quemq; fallunt sua scripta, & aurem prætereunt; atq; ut filii etiam deformes delectant, sic etiam Scriptorem indecorès sui sermones palpant. Incautius plerunq; aliquid promitur; aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum. Tum quia alieno examinanda judicio, non pro nostra debemus magis, quam aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos malevolentiæ.* Tam severæ hâc in parte diligentiæ Plinium fuisse constat, ut primo secum ipse quæ scripserat exactè pensicularit, deinde auribus duorum aut trium commiserit, ex vultu ipsorum pendens, mox aliorum etiam flagitarit notas, easq; si ambigeret, cum uno aut altero denuò expenderet, postremò recitatione solenni auditorii totius judicia voluerit experiri, quemadmodū etiam alii Scriptores veteres coram frequenti auditorio scripta sua relegere, & ex singulorum vultibus tum laudes tum culpas observare consveverunt. Tutissimè turpis

Ambros. lib. VI. Epist. 40.

phil-

philautiæ noxa vitabitur, & quæ plurimos decepit proprii ingenii fiducia reprimetur, si eruditi scriptores monumenta sua cum aliis lubenti animo comunicent prius, quam ea Orbis eruditi sistant conspectui:

Quippe est mos homini, quicquid sibi fecerit ipse,
Avien. fab. 14.
Vile licet maneat, comprobat ipse tamen.
Nolo velis rerum quicquam laudare tuarum,
Alterius nisi sint ore probata prius.

Quem obsecro latet sæpè viros eruditos (ut nonnemo loquitur) paratragœdiare, ac suis ipsorum scriptis nimiũ lenocinari, eadem confidenter æque ac audacter in oculos manusq; hominum mittentes, quæ tamẽ potius in scriniis occultanda aut blattis essent ad corrodendum relinquenda. Cum itaq; frequens indulgentia sui nesciat habere delectum, ideò Scriptores doctiorum stare judicio, atque (ne futilibus ineptiant inventiunculis, quin & toti turpiter imponant seculo,) acrem judicii non tam sui quam alieni limam etiam atque etiam adhibere deberent; Cavere etiam strenuè ne ab illaudatæ novitatis sive singularitatis, & perniciosæ temeritatis peste corripiantur, nec extra suscepti argumenti limites facilè oberrent, aut copiæ studio, vel judicii defectu volumina in immensum crescere

re patiantur, *non quod magnum est id semper bonum esse cogitantes, sed quod bonum etiam magnum esse* mole licet exiguum sit ex Demosthenis sententia statuentes. Curæ ipsis juxta Sidonii notabile monitum sit, ut causam potius seu argumentum impleant quam paginam, neque id solum agant, ut volumen turgescat & infletur, verum ut aurea potius & gemmea quædam scriptis inserantur, certo certius sibi persuadentes, nunquam grata lectori acceptaque fore, quæ præter rem intrusa deprehenderit. Haud imeritò multis quoque displicet genus illud Scriptorum, qui plura libris suis complectentur quam commodè stringere possint, tam vasta sæpe sæpius argumenta aggredientes, ut arbitrentur promissos sibi à divino Numine Nestoreos annos, quibus perficiant, quæ æterni laboris impendio moliuntur; cum vivere plerunque desinant, dum scribere cœperunt, longè melius facturi si illius consilium caperent ductumque sequerentur, qui apud Propertium Mecænatem hunc in modum compellavit : *Propertius Eleg. 3. ad Mecæn.*

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus
Et pressum inflexo prodere terga genu.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta
Flamma nec ex æquo ducitur ulla jugo.

Nec minus strenua Scriptoribus christianis opera navanda est, ut debitam in parandis adornandisque suis monumentis modestiam atque decentem reverentiam adhibeant, ne idem incurrant vituperium, quod operis aliàs famigeratissimi, (sub ROMÆ SUBTERRANEÆ titulo editi) authorem Anton. Bosium ex Jani Nicii Erythræi relatione excepit. En verba ejus singulari digna observatione:

Janus Nic. Erythræus Pinac. 1. p. 233.

Antonius Bosius Jacobi fratris ex ancilla Afra filius, paternum genus corporis brevitate, maternum fusco oris colore referebat. - - Ejus non solum adolescentia, sed corroborata etiam ætas, fuit liberior. Amicis utebatur dissolutis, impuris; & simul optimis viris deditus erat: in nocturnis bacchationibus & vigiliis, in comessationibus ac conviviis, nemo erat qui eum jocis, hilaritate amœnitateque antecederet; deinde cum tempus, res & negocia poscerent, nemo illo gravior, nemo prudentior, nemo consilio, diligentia, ac sedulitate superior inveniebatur; libidine sic accensus, ut eam, ubi facultas daretur, expleret, unde ancipites conjectus

in

in morbos, vitæ periculum ſubiret. - -
Intercedebat illi vetus uſus conſuetudoque cum fratre meo, homine mirè ad ejus mores facto, à quo, cum maxime in eâ cogitatione verſaretur, perductus eſt in cryptas, ſeu arenarias, quarum Romæ magnus eſt numerus, contortis, ac labyrintheis inter ſe flexibus implicatas atque connexas: in has, veteres Chriſtiani, primis Eccleſiæ recens natæ annis, minaciſſimis Imperatorum edictis perterriti, ad collectas, ut ajebant, celebrandas, ad Chriſti corporis & ſanguinis myſteria percipienda, & ad ſermones de divinis rebus audiendos conveniebant: quorum ille locorum ſitum, immenſitatem, rerumque in eis contentarum varietatem admirans, voluit illuc ſæpius reverti, ac ſingula diligentius inveſtigare atque perquirere; & cum magis magiſque admiraretur, ſtatuit, rem fore dignam, in qua omnes nervos ingenii induſtriæque ſuæ contenderet, ſi videlicet cryptarum earum ſuperficiem, aditus, aulas, aras, imagines deſcriberet: itaque fratre meo, qui erat earum regionum peritiſſimus, ac

pluribus aliis adhibitis, multorum annorum ſtudio, incredibili labore, magniſque ſumtibus perfecit illud opus, cui titulus eſt ROMA SUBTERRANEA. Cujus operis elaborandi gratia, aliqua in ſpeluncis illis ſanctiſſimis non religiosè facta narrantur ab hominibus minimè religioſis. Ibant illuc cum eo ſemper capita hominum quinque vel ſex, & cum igniariis, unde cereos, ſi eos contigiſſet extingui, rurſus accenderent. Et quia nunquam ferè eò ſe conferebat, ut paucas ibi horas conſumeret, ſed ut minimum, triduum vel quatriduum contereret, opiparis obſoniis, ac præſtantiſſimi vini amphoris inſtructus, ſeſe iſtuc inferebat; adducebatur etiam cocus, qui prandium ac cœnam coqueret, cum ſuis omnibus inſtrumentis, videlicet cum ollis, mortario ac piſtillo, ſartagine, abeno, patinis, aliiſque ejuſmodi vaſis; ac poſtquam multum temporis ei rei, propter quam venerant, datum erat, Cereri jam & Libero, ac ſolitis bacchationibus reliquum tempus deberi omnium vocibus ſignificabatur: nec mo-

ra

ra, exornatum ibi convivium inibant, quod non ſilentio, neque ea modeſtia, quam loci illius ſanctitas poſcere videbatur, ſed cum clamore, jocis, facetiiſque pluribus, atque effuſiſſimo omnium cum riſu celebrabatur; bacchabatur in eo patera bilibris, hoc eſt, bacchantis more, hac illac volitabat, ac plena & inanis, ſine ulla intermiſſione, fiebat; perſonabant ſpecus illi convivarum vocibus, madebant pavimenta vino, redolebant fornices nidore culinæ, quivis ut ſeverior, cum ex aliquo aditu, quorum aliquot in circumjectis ibi campis vinetiſque cernuntur, venientem ex cavernis illis debacchantium ſtrepitum accepiſſet, non illic verſari homines, ſed bacchari dæmones, non opus religioſum elaborari, ſed Baccho ſacra fieri, vel evocari ab inferis manes declamaſſet. Ac per hanc rationem confectus eſt liber ille eruditiſſimus atque doctiſſimus. Hactenus de Anton. Boſio Janus Nicius. Hujus itaque ſcriptoris periculo omnes librorum conditores diſcant quantam reverentiam ac circumſpectionem adhibere debeant ſi conſimilis vituperii probrum incurrere nolint. Quod agunt piè agant decenterque, quantique mo-

menti res sit posteritatis negotium suscepisse, etiam atque etiam considerent.

XXII. Quandoquidem verò [ut scitè nonnemo ait] magis sit in hominis potestate scribenda facere, quam scribere legenda, hocq; rarissimi ingenii sit ac paucorum, hinc illis præcipuè suscipiendum esset scribendi negotium, qui in eo quod tractare instituunt doctrinæ & eruditionis genere veluti communes quidam [ut antea Seneca dixit] generis humani præceptores esse queant, optimis etiam ad perficienda molimina sua instructi subsidiis, eoque styli seu dictionis charactere gaudeant, qui susceptæ potius tractationis argumento & peritorum menti quam inepto legentium judicio accomodatior videatur. Non malè etiã Seneca monuit; *Animo semper scribendum esse non auribus*; prout enim Scriptor affectus fuerit, erit ut plurimum & lector. Omnium sapientiorum Virorum oraculo vulgatum est, in severioribus, & ad communem utilitatem magis pertinentibus disciplinis non fucatum adhibendum esse sermonem, sed veritatem puram, ne perstrepentibus tot inanibus verborum lenociniis tibicines potius cecinisse, quam philosophi aut sapientes Viri dixisse aut scripsisse videantur, cumq; rerum varietas & multitudo, varium sæpè ac multiformem stylum exposcat à doctioribus haud abs re Scriptores aut Atticum aut

Seneca Epist. 100.

aut Aſiaticum ſcribendi genus ſemper exercentes reprehenduntur, pariter ut ii, qui (inanis gloriæ œſtro perciti) ſpecioſos adeò atque illuſtres operibus ſuis ſolent præfigere titulos [quos jure Seneca oculiferia appellavit] ut cum veſtibulum libri quispiam inſpexerit, credat eſſe regiam domum, gaza regia inſtructam, quò intrandum ſibi putet etiam cum periculo vadimonii, ſed cum intraverit, ſperata illa mox exuatur felicitate, cogaturque dicere, quod de inventa hominis larvâ apud Æſopum Simius pronunciavit. *Quam multi libri* (ita notanter Bartolus) *praferunt inſcriptiones propter quas vadimonium deſeri poſſet? quarum inſpecto faſtu mox occurrat illud Horatii:* Bart. char. lit. p. II. p. 333.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Currunt impatientibus oculis & manu plerique, illis ad legendas, iſtâ ad verſandas chartas, at cum intraveris Dii Deaq; ! quam nihil in medio invenies? niſi fortè Africam quandam, cujus ora amœna; mediterranea magnam partem arena ſunt ſteriles, deſerta, glabretum nudiſſimum. Prima hujusmodi librorum folia Parrhaſii velum eſſe dixeris, tam artificioſè depictum, ut pro

vero haberetur velo, & pictura sub eo aliqua latere crederetur. Zeuxis certè eò delusus, flagitavit tandem remoto linteo ostendi picturam; sed aliud nihil invenit præter velum, quo mendax penicillus hominum oculis imponebat. Sic inquit Seneca speciosa & magna cotravisentibus, cum ad pondus revocata sunt, fallunt. Sic poma Sodomæ primâ cute blanda & florida, manus & oculos falso colore alliciunt, intus cinis & fumus ubi ea fregeris in auras dissipantur. Si quæ illic poma cernantur inquit Tertullianus, oculis tenus, cæterum contracta cinerescunt. Miseret me planè doctorum hominum, qui sumto avidè in manus librorum ejusmodi aliquo, pro veris rebus fallacem opticen, & inanes colorum præstigias, pro Junone compta & divite, nudam nubem reperiunt; suaq; falsi expectatione plus dolent jacturam temporis in eo legendo, quam pecuniæ in emendo. Piscantur in eo tam diu donec fastidio victi dicant, nil cepimus. Pervolitant curioso instinctu, quà se prodit exoticorum sensuum aliquod specimen, aut novæ ad dicendum structuræ machina, mox à Zeuxidis pictis uvis illusæ aves, sic illi

Seneca Epist. 66.

à li-

à librorum avidam ſciendi famem ſpecioſo fuco pellicientium inani lectione, quam famelici venerant, tam jejuni recedunt. Modeſtæ igitur librorum inſcriptiones decent Virum piè literatum, nec min⁹ ſimplices & perſpicuæ, ut ſtatim ex eo quod eſt in limine & fronte operis judicare lectores poſſint quid lateat in receſſu. *Magnum vitium* (ait ille) *eſt in ædibus atrii obſcuritas, ac nemini ingredienti non moleſta; ac proinde librum voce vel ſententia tam obſcura inſcribere ut lector hæreat, nec niſi conſultis interpretibus eam intelligat, eſt offundere tenebras, non lucem affundere.* Non niſi planos & perſpicuos Veteres ſuis libris titulos præfixêre, ſi ſcripsêre de re Medicâ ut Celſus, ſi de Agricultura ut Columella, ſi de re bellica ut Vegetius, ſi de animalibus, de Moribus de Metaphyſica ut Ariſtoteles, ſi de beneficiis ut Seneca, ſi de inſtitutione Oratoria ut Quintilianus, ſi de Officiis ut Cicero & poſtea Ambroſius, ſi de Sacerdotio ut Chryſoſtomus, ſi de Hæreſibus ut Irenæus, & Epiphanius, ſi de cura paſtorali ut Gregorius Magnus, nullum alium titulum præpoſuêre, quam qui prima facie & obtutu libri argumentũ & authoris conſilium lectori indicaret ſine ambagibus, tituli obſcuritatem pariter vitantes ac nimiam periodorum prolixitatem, cum ea & faſtidium le-

genti afferat, atque à legendo avocet, quemadmodum ingentem brevitas creat voluptatem, & legendi auget desiderium. Verum hæc leviora pervagatioraque sunt scriptorum vitia, nec tantam ea committentes incurrunt bonorum censuram, ipsiusque Sacro sancti Numinis indignationem, quantam illi subire coguntur, qui inanis gloriæ (de qua nobis potissimum sermo fuit hactenus) fuco obnupti, non nisi *famæ laudisque* inhiant inanitati, eamque cœcis etiam viis & improbis captare artibus non dubitant, quemadmodum Andream Thevetum inepta adeò ambitione animum ad scribendos libros applicuisse Thuanus memoravit, ut eos alieno plerunque calamo exaratos, & ex vulgaribus itinerariis sarcinatos librariis miseris pro suis venditaverit. *Nam alioqui* (pergit Thuanus) *literarum, antiquitatis, atq; omnis temporum rationis supra omnem fidem fuit imperitus. ut ferè certa pro incertis, falsa pro veris summa fiducia semper scriberet. Equidem memini, cum amici quidam mei Viri docti & emunctæ naris ad eum animi gratiâ ventitarent; me præsente tam absurda quædam, tam ridicula, quæ pueri vix crederent illi persvasisse, ut ipse risum non tenerem. ut me hodiè misereat multorum, qui cum in literis plurimum videant, agyrtæ tamen illius fucos non solùm non pervideant, sed ejus nomen*

Thuanus Histor. lib. 16.

men quotidie in libris ſuis honorificè appellent; mirariq; ſæpius ſubiit, qui fieri potuerit, ut homo, cui tam facilè imponeretur, tanti nominis Viris tam turpiter imponat? Ad eundem ferè modum Scriptores alii complures & ſibi impoſuêre & ſeculo, conductis nonnunquam aliquibus, à quorum induſtria interpunctiones ſtilus accipiat, quique operis rationem & formam melius exponant, licet ipſe & liber nihil vel parum habeat proprium ejus, qui author inſcribitur, ſiquidem is nænias ſuas, vel ubique decantata præcepta, nec nova dote exculta, novis duntaxat magnificiſque titulis exornare ſoleat. Non malè hujus farinæ Scriptores Mamertus deſcripſit ad hunc modum: *Iſtic ille laudatus, ne infra laudantium videatur ſtare judicium, panniculos quosdam ex diverſorum varia lectione concerpit, eosdemq; vilibus ſuis, veluti quibusdam ſtuppeis aſſuit, laceroq; veſtitu palliatus incedit.* Quid igitur? Nefaſne eſt illuſtrare ſuo ſtilo & ingenio argumentum, in quo jam deſudarunt alii? eſtne id in alienum chorum (quod dicitur) pedem, vel in alienam meſſem immittere falcem? Num vile aut ineptum eſt ex decerptis undique floribus texere coronam? An Scriptoribus laborioſis *laudis nihil vel tribuendum vel ſperandum* (ut cum Voſſio loquar,) *propter ambitioſulos quosdam, in ſtrenua*

Mamert lib. II. de ſtatu Anim. c. 9.

Voſſius in præf. Theol. gentilis.

strenua inertia & ingenii & facundiæ laudem solis sibi vindicantes, aliis relinquentes duntaxat laboris gloriam, cum Arcadico ut loqui amant pecore communis? Multum interesse (respondebit Seneca,) utrum ad consumptam materiam, an ad subactam accedas. Is demum bono jure ad occupatum ab aliis argumentum stilum applicabit, qui non actum [ut proverbium vetat] agere constituit, sed vel controversa hactenus ad liquidum redigere, vel [Apuleo dicente] *omissa inquirere, aut defecta supplere, aut denique eadem ordinatius & cohibilius conscribere conatur.* Is porrò alienos labores licitè in suos vertere potest usus, qui [sæpè laudato Bartolo monente] *solerti optimorum scriptorum studet imitationi: Furta lucis de solari curru (quem lubens interpreter ingeniorum præstantium librum, & veritatis triumphalem currum) non sunt omnia rea Caucasi & Aquilæ voracis. Fas est multa ex eo tollere impunè, sed quo more crystallus exceptos radios reflectit in Solem cum fœnore, tantum abest ut quicquam eis detrahat; non autem ut Luna, quæ tam mala fide lumen à Sole accipit, ut cum fuerit Soli propinquior, & lumine plenior, tunc solem à quo illuminata est obscuret.* Apes potius ingeniosæ pariter ac prudentes felici sunt imitandæ Scriptori, eiq; sollicita navanda est operâ

Seneca Epist. 79.

Bart. charact. lit. pag. 167.

râ, ut nulla odoris depravatione, nulla venustatis labeculâ, nullâ integritatis iminutione ſuccus ex floribus colligatur. *Tolle ab aliis* (pergit Bart.) *quod lubet, verum à Te de tuo ſic perfice, ut eſſe illorum deſinat, tuum fiat. Quomodo adamas radium lucis quem fundo excipit, tot multitudine colorum variat, ut Sole faciat pulchriorem. Omninò bonorum authorum induſtrios imitatores* (ita ſupra laud. Thomaſius) *ſive ipſorum verba moderationem debitam adhibentes, diverſis accomodent ſenſibus, ſive, quam imitandi rationem alteram proponit Julius Pogianus, ſenſum ipſorum commutatis reddant verbis, quæ tales culpari non debent, aut cum furibus, niſi laudabilem in ſenſum comparari.* Sic de tranquillandi animi præceptis plures ſcripsêre è veteribus, eademque poſt Democritum Seneca, poſt hunc Plutarchus expoſuêre; Longo poſt Vellejum intervallo Rerum Romanarum compendium Florus quoque ſcripſit, ille profluentius, hic argutius, ille nitidius hic preſſius, & tamen in ſingulorum commentariis poſteritas quod probaret invenit. Sic ſuum adverſus gentes Apolegeticum ex Juſtino Tertullianum, ex iſto Octavium ſuum Minutium, ex hoc denique Cyprianum ſuam idolorum confutationem expreſſiſſe, multa & omiſiſſe & de ſuo quemlibet contuliſſe obſervarunt alii,

Thomaſ. de plag. liter. §. 142.

lii, neque Cypriano vitio vertentes, quod varia Tertulliani volumina solo stili jure in suum nomen ingeniumque adoptarit, cum palam illum Magistrum suum sit contestatus. Nil sanè impedit quo minus hujusmodi Scriptores pronunciemus FELICISSIMOS, qui instar apum ex variis floribus frondibusque tam subtili vi medullam colligunt, eamque suo spiritu ita in unam mellis dulcedinem immutant, ut omnia ipsorum & mente concepta & stilo nata appareant, adeoque ea quæ lectione hauserunt, non sicca & cruda expromant, sed potius vim eorum exprimant, & ex variis illis lineamentis ingenio suo aliud unumque corpus vel syntagma forment, omni caventes studio, ne quicquam alteri detraxisse, aut nævis aliorum literariis tanquam flagitiis insultasse, aut vana scientiæ persvasione ultrò publica maledicentiæ certamina appetiisse videantur. *Quantillum est* [ait scitè Vossius] *benè de aliis mereri, si de nobis malè mereamur*; uti fit, si studia in nobis primò fastum pariant non modestiam, dein ad æmulationem & horrendam animorum provocent commotionem, quâ præstantissimi nonnunquam scientiarum antistites afflati, male de aliis, pessimè de semetipsis sunt meriti, atque extremum tandem & famæ & vitæ [ut nihil de anima dicam] subière periculum. Adeò veræ eruditioni agnata est humanitas atque æquanimitas, ut quiddam habeant insociabile, quod si svavissimæ huic sororum

Voss. de cognit. sui pag. 32.

rum bigæ accedat christiana sinceraque demissio, omnisque vanæ & inanis gloriæ sollicita fuga, tot tantisque virtutum radiis collustratus felicissimi & Doctoris & Scriptoris animus sereno semper cœlo, mente semper tranquilla, denique exoptatissima & FAMÆ & ANIMÆ IMMORTALITATE gaudebit. Rogatus aliquando à Gabriele Naudæo *ALOYSIUS NOVARINUS*, ut operum suorum quæ aut ediderit, aut editioni paraverit syllabum emitteret, cum ista ferè cunctis sint ignota, illa omnia non omnibus nota, pleraque exterorum notitiam huc usque effugerint; Novarinus memorabilem admodum Naudæo rescripsit epistolam, quâ illustre Scriptoris & humanitate & humilitate verè FELICIS dedit documentum, bonosque omnes in sui traxit admirationem. Accedat propius, nobisque apertius loquatur Vir ille eruditissimus, ac simul felicem commentationi huic, ejusq; de felicibus Scriptoribus appendici colophonem imponat: Patiar literarium Orbem scire, quid imbecillitas mea DEO innixa valuerit, & quid voluerit, ut omnes divinum Numen mihi propitium reddant, ne ad pœnam mihi sit, chartaceis opibus operibusque divitem esse, illis verò carere, quæ ab animæ supera gratia gravidæ fœcunditate sunt. Quid mihi proderit si plura quam ullus alius effuderim volumina, si librorum multitudinem bonorum operum steri-

Aloys. Novar. part. II. Encyclop. Epistolaris, quæ ext. Tom. II. opuscul. Veronæ 1644. editor. pag. 67.

,, ſterilitate inficiam conficiamque, & tan-
,, quam cadavera anima vidua quodam
,, torporis & otii ſepulchro ſepeliero? Det mi-
,, hi DEUS libros in opus vertere, & ita ſcri-
,, bere facienda, ut faciam quæ poſſint ſcribi.
,, Multa huc uſque volumina Vir doctiſſime,
,, Orbi obtuli, plura paro quæ deinceps emit-
,, tentur, ſed quid certi ſpondeam, incertus an
,, diem craſtinum ſim viſurus? Ut vitam, ut vi-
,, res DEUS dederit in DEI GLORIAM, LEGEN-
,, TIUMQUE PROFECTUM emittã paulatim quæ
,, promiſi. — In libris quos edidi edãq; deinceps
,, illud cavebo, NE LAUDIS HUMANÆ letha-
,, lis aura labores meos inficiat, Sancti Hiero-
,, nymi verba liceat uſurpare, nam nec aliam
,, ab ejus mente mentem circumfero: Nobis
,, propoſitum eſt non plauſum legentium, ſed
,, FRUCTUM PROFICIENTIUM QUÆ-
,, RERE. Qui hunc plauſum ſequitur, PLAN-
,, CTU proſequendus eſt, & incipit laude in-
,, dignus eſſe, qui legentium laudem ambit
,, non profectum. Denique multa qui ſcri-
,, pſi, errare in multis potui, ego hîc errorem
,, omnem ejuro! - - Sed jam Vir doctiſſime,
,, habe, quæ tu optabas, & ego debeo quia ſum
,, pollicitus. Tantum dum hic ſumus ita lite-
,, ras colamus, ut vitâ noſtra functi inter eos
,, eſſe poſſimus, qui, quod ſanctus Daniel di-
,, xit, QUASI STELLÆ FULGEBUNT IN
,, PERPETUAS ÆTERNITATES. O U-
,, TINAM!

COM-



COMMENTATIO IV.
BIPARTITA, DE
INVIDIA
AC ÆMULATIONE LITERATORUM, DEQUE PRUDENTIA CIRCA ILLAM SIVE DECLINANDAM SIVE SUSTINENDAM A FELICE LITERATO ADHIBENDA.



PARS PRIOR,
QUA LIVORIS LITERARII IMAGO SIVE NATURA AC INDOLES CONQUISITIS EXEMPLIS ET DOCUMENTIS VARIIS OSTENDITUR.

I.



IN Xenodochio Literatorum [malè ad animum quod attinet sese habentium] progressum facientibus, turba nunc Phtisicorum occurrit, sive INVIDORUM, tantâ

tantâ tamque horrendâ mentis depravatæ malignitate laborantium, ut rebus aliorum ſecundis graviſſimè *doleant*, inque iis præcipuè, quibus aliqua LITERARIÆ FELICITATIS pars continetur, ferales ſtudeant extruere nidos, imò creſcente indies malo, omnem prorſus reſpuere medicinam videantur, *cunctis* (Ephræmo Syro obſervante) *ſe præbentes adverſarios, proborum æſtimationem cura ſingulari diminuentes, rectè incedentibus conſtituentes ſcandalum, bonos vituperantes, pietate religioneq; conſpicuos maximoperè contemnentes.* Tanto autem gravius eſt morbi hujus Literatorum epidemici periculum, quanto fraudulentius mentes etiam nobiliores penetrat, *ut* (ipſo monente Cypriano) *vix à SAPIENTISSIMIS advertatur.* Millenos reperies eruditos hâc peſte infectos, qui tamen malum quo premuntur ſibi neutiquam adanimum revocent. Serpens est Invidia Mordens [juxta ſapientis effatũ] In Silentio, cum morſus ejus ut plurimum non ſentiantur, donec veneno mortifero cor ipſum occupetur, & evertatur. Undè ſcitè laudatus modo Cyprianus; *Leve* [ait] *apud quoſdam & modicum crimen videtur; dumq; æſtimatur modicum & leve non timetur, dum non timetur contemnitur; dum contemnitur non facilè vitatur, & fit cœca, ac occulta pernicies, quæ dum minus perſpicitur, ut caveri*

Cyprian. lib. de Zelo & livore.

Eccleſ. 10.

caveri à providentibus possit, improvidas mentes latenter invadit. Nec minus appositè Johannes Cassianus de enormi Invidiæ malo differens, longè difficilius illum morbum ad medelam pervenire judicavit, quam vitia cætera; *Nam eum* (inquit) *quem semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio. Ipsa namq; est lues de qua figuraliter dicitur per Prophetam: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. Rectè igitur à Propheta mortiferis basilisci venenis morsus INVIDIÆ comparatur, quâ primus ille venenorum omnium author & princeps & periit & peremit. Nam ante suus quam ejus cui inviderat interemptor, priusquam in hominem mortis virus effunderet, ipse se perdidit. Invidiâ enim diaboli mors introivit in Orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Sicut enim ille qui primus ejusdem mali peste corruptus est, nec medelam pænitentiæ, nec fomentum ullius curationis admisit, ita & hi qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatoris excludunt; quia cum utiq; non culpis aliorum quibus libet, sed pro-*

Jo. Cassianus Collat. XIIX. c. 17 opp. f. m. 744.

Jer. IIX.

speritate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecus sibi quasdam superfluas & ineptas causas offēsionis inquirūt. Haud equidem à veritatis tramite aberravit Cassianus, quod detestabile Invidiæ monstrum proprium diaboli fœtum sive Luciferi abortum esse dixerit, cum & Magnus Basilius idem vitium dæmonis adinventionem appellaverit; serpentis documentum, & inimici seminationem. Et cum ad ejus exemplum, invidi proximorum malis lætentur, deque bonis illorum doleant, hinc Chrysostomus invidos dæmonibus per omnia similes, imò deteriores esse pronunciavit; *Invidet* inquit *Satan, sed hominibus, socio autem nemini, Tu verò homo cum sis, hominibus invides, odium adversus genus naturamque communem exerces; quod nec Satan quidem fecit.* Etenim si inter dæmones regnaret invidia, non arcto adeò inter se essent uniti vinculo, jamque pridem eorum dissoluta fuisset societas, id verò illi cura studioq; agunt singulari, ut noxio livoris veneno corda Mortalium inficiantur, atque (scitè dicente Gregorio) in antiquam hostis nequitiam demergantur, & à sedibus illis arceantur, à quibus ipsi infeliciter sunt prolapsi. Idem alibi vitii hujus enormitatem perpendens; *Ecce* [ait] *alius fratri in corde suo tacitus invidet, & si occasionem reperiat, eum supplantare contendit,*

Basil. M. Homil. de Invid.

Chrysost. Hom. 31. in Ep. ad Cor.

Greg. M. part. III. past. admon. c. 11.

Lib. xxix Moral. cap. 6.

dit, cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum: Invidiâ diaboli mors introivit in Orbem Terrarum. Quapropter & Bonaventura accomodam quæ inter invidum & dæmonem versatur similitudinem innuere volens, *similis* [inquit] *est diabolo, vellet uterq; ut nullus esset Bonus.* Quem obsecro in scholis dialecticorum eruditum latet, propriam affectionem esse eam, quæ omni soli ac semper conveniat; cum verò invidentia odiumque implacabile, *propria diaboli sit affectio*; ergò implacabilem humani generis hostem illum quoque esse dixeris, qui pestifero livoris morbo laborat. *Unus ex vobis diabolus est*, dixit de Juda Christus, nos haud abs re de *Invido*; diabolus is est, tantique criminis pondere pressus, ut in profundum exitii barathrum cum parente suo sit descensurus. Lunaticum etiam haud malè nuncupaveris, luna plenâ, h. e. florente aliorum statu pessimè sese habentem. Finxêre antiqui colligatas invicem *fortunam* seu felicitatem & *invidiam*, cæcam scil. ex nimio successu sociatam fuisse *nimis videnti*, hanc verò citò in præcipitium traxisse suum illum comitem, suaque sponte una corruisse; *Libenter nimirum perit invidia, dummodo secum pereat & fortuna; nec aliud superest invidiam perdendi remedium, quam si ipsa felicitas deficiat.* In duab9 quasi lancibus sunt invidus, & is cui invidetur, si hic

Bonav. Diat. Sal. Tit. I. c. 4.

si hic exaltetur in lance sua, alter nempe invidus deprimitur, si verò iste deprimatur, hic mente animoque totus erigitur. Quis verò hinc vitii hujus abominabilem non deprehendat malignitatem? Eandem Ambrosius exaggeravit ex eo, quod *improbus suo delectetur bono, INVIDUS verò torqueatur alieno. Ille diligat mala, hic bona prosequatur odio, ut propè tolerabilior sit, qui sibi vult benè, quam qui malè omnibus.* Quid, quod Socrate apud Xenophontem tradente invidia eorum plerunque bono tabescat, quorum calamitate homo tristatur, indeque apertè innotescat, quod contra naturalem voluntatis impetum, bonum, odii & tristitiæ materiam faciat, quod etiam ex Hippothoonte Stobæus notavit. Theomachiam equidem Gigantæam instaurare livor videtur, eò quod homines, à DEO bonorum omnium largitore donis egregiis instructos, impugnare, adeoque de DEI judiciis calculum ferre non dubitet, uti locis variis * D. Chrysostomus añotavit, ut & de vita contemplativa Prosper, inque collationibus suis Johannes Cassianus.

Ambros. l. 2 de offic. c. 30.

Xenoph. l. 3. de dictis factisq; Socratis confer. Plutarch. opusc. de invidia & odio. Stobæus Serm. 38.

II. Ean-

* *Joh. Chrysost. homil. 7. in epist. ad Rom. & hom. 20. ibid. homil. 3. in I. Ep. ad Tim. ac homil. 24. & 27. in I. ad Cor. item hom. 44. 45. & 53. ad popul. Ant. Prosper lib. 3. de vita contempl. c. 9. Cassian. coll. 18. c. ult.*

II. Eandem Invidiæ turpitudinem ex ejus origine deprehendere licet atque natalibus. Ut enim latè & sigillatim expendit Dio Chrysostomus, invidia animi adeò pusilli, nimiumque suspicientis fœtus est, ut pro unico bono ea habeat quæ aliis obtigisse deprehendit, moreque canum, equorum & cæterarum passim bestiarũ mordere & lædere non desinat, si alii saturentur, suamque expleant voluptatem. *O maximam invidiæ improbitatem!* [exclamat apud Stobæum Palladas,] *Invidus odit fortunatum, quem DEUS amat, adeò stolidi per invidiam erramus, adeò facilè servimus stultitiæ. Nos Græci homines sumus nihili, mortuorum sepultas spes habentes. Res enim omnes perversæ jam sunt. Si quis odit hominem quem DEUS amat, maximam stultitiam sibi inducit.* Sed & eo nomine miser est invidus, quod suomet judicio de gradu & excelsitate sua dejiciatur, & infra alios (quibus invidet) statuatur, siquidem Gregorio Magno notante *invidere non possimus, nisi iis quos nobis in aliquo putamus meliores. Parvulus ergò est* (pergit) *qui livore occiditur: quia ipsa sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit cujus invidia torquetur. Hinc est quod hostis callidus primo homini invidendo surripuit,*

Dio Chrys. Orat. 78.

Stob. Sermon. 38.

Greg. M. lib. 3. Moral. c. 33.

puit, quia amissa beatitudine minorem se immortalitate ejus cognovit. Hinc est quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit cujus DEUS hostiam accepit, & quem meliorem se esse exhorruit &c. Nec dissimiliter è Gentilibus Simplicius, pudendam livoris originem declarans; *Dolorem esse* enunciavit, *ex alieno bono ortum, quendamque fervorem voluntatis sese exæquandi cum aliis. Nascuntur autem hæ perturbationes ex eo, quod quivis homo ipsius naturæ impulsu honoris est appetens, nec paribus de dignitate vult concedere. Itaq; si qui sunt infirmioribus ingeniis, qui ipsi nihil proficere possunt, proximum quemque deprimendo, æquare illum, aut etiam superare contendunt, & successibus aliorum dolent. Ad eum qui cum benè agitur vel agi videtur, invidia velut irrepit, in primis vel genere, vel studio, vel fortuna parem. Nemo enim vel prorsus eminenti, vel omninò inferiori invidet, neq; cum talibus certat quispiam. In quibus verò aliquid animi & nervorum est, hi inflammati aviditate feruntur, ut illos strenuè progrediendo vel æquent vel superent, cum qui-*

Simplicius in c. 26. Enchir. Epicteti.

quibus sibi examen instituerunt, quare invidia semper est vitiosus affectus. † *Æmulatio verò cum virtutem spectat, bona est, & cognata boni amoris; cum autem res externas, mala, nec invidiâ melior.* Itaque ut sit inter quosdam invidiæ locus, inæqualitatem & disparitatem quandam invectam fuisse oportet, invidique dispares se ac inferiores comparatione eorum quibus invident sese profiteantur est necesse. *Habet enim* (ut Quintilinus ait) *mens nostra sublime quiddam & erectum & impatiens superioris, ideoq; abjectos aut submittentes se, libenter allevamus, quia hoc facere tanquam majores videmur. Et quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se Majorem, quam minores cæteros facere. Inde INVIDENT humiliores. Nam hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere.*

Quintil. II. Instit. cap. I. conf. Tacit. lib VII. histor. num. 6.

† *Hanc ipsam Æmulationis & Invidiæ distinctionem tradit Hieron. in Epist. ad Gal. c. 5. aliter verò secernuntur à Stoicis apud Laert. lib. 7. in Zen. & Philostrato epist. ad Jul. Augustam. conf. Cyprian. lib. de Zelo & Livore.*

III. Sed cum de LITERATORUM INVIDIA nunc præcipuus ſit dicendi locus, apprimè notandum, monſtrum illud epicœnum non ſimplex eſſe ſed multiforme & varium, cum modo LIVOR ſit modo, INVIDENTIA, dum naſcitur in animo malè affecti literati, indignatio, dum adolevit & exarſit PRAVA ÆMULATIO dicitur, quocunque efferatur vocabulo, vitii abominabilis deſignat malignitatem. Siquidem Doctor invidus ſemper ob mala ſociorum pravo & volucri perfunditur gaudio, ob aliena autem bona, virtutem puta, doctrinam, famamque ampliorem intimè affligitur, omniq́ue ſtudio eo tendit, ut perdat & ſubruat doctiorem atque celebriorem. Et quemadmodum (teſte Ariſtotele) implacabile eſt muſtelæ in ſerpentem odium, quia utrique commune ſtudium, ſcopuſque communis, pari ſcil. vigilantia & contentione mures inſectari; SERPENTEM ait ille *impugnat muſtela, cum præcipuè qui mures venatur*; ita maximè proprium eſt illorum literatorum, qui idem agunt negotium, & pares tractant operas *æmulari mutuò*, & perſequi, invicem vexare & exagitare, lethaliſque invidiæ facibus inflammari, quia finem eundem appetunt, idemq; anheli præmium ſuſpirant, nec facilè quieſcunt donec tollantè medio æmulos. Quam ipſam peſtilentem, boniſ-

que

que viris sæpius exitiosam Invidiæ pravitatem sapientissimus Regum manifestaturus, in hæc erupit verba: QUIS CONSISTERE POTEST CORAM INVIDIA? Nemo (vult dicere) illæsus occulta livoris evadet spicula, nemo incolumis coram invido [cumprimis literato] versabitur, ita ut clam felicitati suæ non succenseat, aut de intervertendâ prosperitate noxia non agitet consilia. Nec malè quidam [[ipso præeunte Aristotele] Invidiam alieni successus odium definiverunt, vel respectu superiorum, quia iis non coæquentur, vel inferiorum ne sibi coæquentur, vel respectu etiam parium quia coæquentur. Alii Sacratioribus imbuti dogmatibus, livorem ipsissimum ingenii diabolici, mentibus humanis impressum vestigium nuncupare non dubitarunt, quandoquidem invidus semper alterius rebus secundis doleat, à quo nunquam sit læsus, cujusque commoda ipsi nulla prorsus detrimenta afferant. Quid obsecro fingi pingique potest ab omni humanitate alienius, quid crudelitati est conformius? quid malignitate ista (quam græci ἐπιχαιρεκακίαν nuncupant, mœrori, quo quispiam ex aliena felicitate afficitur ut plurimum sociatam) pestilentius? Quid curiositate in rimandis alienis rebus ad perniciem proximi accelerandam infelicius? *Nescio* (dicebat olim Bion ad hominem eâ labe corruptum)

Proverb. c. XXVII. vers. 4.

ptum)

ptum) *utrum Tibi malum, an alteri bonum contigerit.* Quodsi verò totius humani generis historiam excutiamus, atque gravissima atrocissimaq; livoris pestiferi documenta & nocumenta consideremus accuratius, sapientissimi illius dicti Salomonæi veritas magis magisque elucescet, clarissimeque apparebit, Viros etiam maximos, *coram invidiâ nenuiquam stare potuisse.* Quemadmodum Josephum Invidia fratrum patriâ fecit extorrem, Davidem Saulis livor propemodum oppressit, Ipsum Salutis nostræ authorem Christum Dominum durissimis plagis affectum, ad indignissimā necem postulavit; ita optimos & doctissimos quosque, imo cunctos supra vulgum eminentiores viros gravissimis semper affecit molestiis, extremoque & famæ & vitæ periculo exposuit. Hinc Socratem Græcorum sapientissimum invidi Athenienses cicutam bibere coëgerunt, alios de publica re meritissimos viros, post res feliciter gestas urbe ejecerunt, quibusdam tantas crearunt molestias, ut ipsi de patriâ & statione sua deserenda [impatientiâ victi] frequentissimè cogitarint. Ex merâ invidia Periclem Simmias, Pompejum Clodius, Epaminondam Menneclides Orator oppressêre. Idem Phocioni accidit, idem Camillo, idem Scipioni, idem aliis etiam ex ordine literatorum plurimis, postquam non concivium solùm, verum ipsorum studii & professionis suæ sociorum livore summoperè

moperè fuerunt exagitati. Sed & *CICERONEM* viris illis doctissimis Hieronymus annumeravit, adversus quos livor EXARSERIT: LICET [scribit ille] *in arce eloquentiæ Romanæ stetit Rex oratorum & latinæ linguæ illustrator, repetundarum accusatur à Græcis.* Quinimo omnium retro sapientum ac proborum virorum hanc fuisse sortem memorabili ipsius etiam PYTHAGORÆ ab invidiâ exagitati exemplo Themistius orator egregiè demonstravit: *Sapientia* (inquit) *quo præstabilius atque perfectius bonum est, eò plures adversus illum impellit atque excitat, qui eâ vel præditus sit, vel esse videatur. Eaq; velut necessaria quædam hæreditas, jam inde initio à PYTHAGORA transfusa, perpetua quadam transfusione in illius posteris permansit. Siquidem ille Mnesarchi filius, hunc de celebri illa sapientia fructum cepit, ut peregrinando ætatem omnem traduceret, propter certos homines, qui INVIDERE ILLI ac lacessere non desisterent. Primum enim è Samo Crotonem ob Polycratem fugit. Tum propter Gylonem Crotone Locros concessit. Locrorum deinde, non unus duntaxat, sed fermè omnes, Pythagoræ virtutem ferre non potuerunt, ac Tarentum relegarunt. Tarentini verò*

Hieron. Tom. IV. opp. f. 90.

Themistius oration. 4.

verò rursus tanquam mercimonium aliquod Metapontum deportàrunt, ubi & obiisse dicitur in Musarum templo, cum in quadragesimum diem inediam protraxisset, ita Themistius. Sane cum invidi literati proprium sit semper bonam aliorum lacerare famam, nec apertè tamen, sed occultè, cœcisque viis & improbissimis quibus plurimum potest artibus, imò instar latentis viperæ in tenebris sua frequenter coquat venena, mirum adeò non est, quod optimi etiam ea fraude perierint ac perfidia, & ex supremæ felicitatis statu in extremam miseriam sint conjecti. Summâ nimirum ope literatus invidus ea demoliri nititur quæ lumen sibi præripere videntur, ceu cum finitimæ domus altitudo ad proximam aream Solem non admittit, jure vel injuria ejus Dominus procurare solet, ut omnis obex summoveatur, atque res ad æquabilitatem redigatur. Sic Zoilus Homerum luminibus suis officientem etiam post fata infestavit; Antiochus Lemnius Socrati, Cydon Pythagoræ, Xenophanes, Colophonius Hesiodo, Amphimenes Cous Pindaro, Pherecydes Thaleti, Salarus Bianti, Anaxagoræ Sosibius, Timocreon Simonidi eam ipsam ob causam teste Laertio pessimas struxêre insidias. Nec bigam summorum ævi istius virorum, Platonem sc. & Xenophontem tali pernicioso affectu expertem fuisse, indicio est, quod neuter alterius

Diog. Laert. lib. II. in vit. Socr.

alterius unquam meminerit, licet multa uterque ſcripſerit, Socraticæque ſapientiæ ambo fuerint Alumni. Ariſtotelem ægre adeò tuliſſe accepimus florentem Iſocratis fortunam & gloriam, ut repentè propterea totam propè formam diſciplinæ ſuæ mutaverit. Sic Pollio ille Aſinius Ciceroniano nomini adeò fuit infenſus, ut laudes ejus ferre imò audire nequiverit. M. Varroni [quem haud abs re Maurus Terentianus virum undiquaq; doctiſſimum appellavit] tantoperè invidit Rhemmius Palæmon Alexandrinus Grammaticus, ut illum non alio quam porci appellatione inſigniverit.

IV. At verò non gentilium duntaxat philoſophorum pectora nequiſſimus tenebrarum princeps atro illius loliginis ſucco conſperſit, verum chriſtianorum, imo DEO etiam ſacratorum hominum animis illum ingenii ſui peſſimum characterem impreſſit. Innumera equidem, Sacræ cumprimis ſive Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta loquuntur, quam gravia mala eos plerunque exercuerint, quos ejusdem fidei ac profeſſionis ſociorum livor duxit ſupplantandos. Non pauci ſanè inter primarios Eccleſiæ veteris Doctores triſti ſuo exemplo docuere, conſummatæ doctrinæ virtutisque præmium ac ſtipendium INVIDIAM; nec impune cuiquam fuiſſe laudis exceſſiſſe limites. Utque id ipſum clarius aliquantò appareat, atrique illius ſerpentis

pentis [Livoris scil. ecclesiasticorum etiam hominum pectora sæpè occupantis] natura & indoles penitius cognoscatur, illustres aliquot priscæ Ecclesiæ Doctores intuebimur, quamque indigna illi urgente sociorum Invidia sint perpessi, nobis revocabimus ad animum. Licet Tertullianus (teste Eusebio) omnium Ecclesiarum sermone fuerit celebratus, eoque (dicente Hieronymo) nihil eruditius, nihil acutius fuerit, tamen Romani Cleri Invidia ita fuit vexatus atque exagitatus, ut in Montani tandem castra transierit, gravissimumque inde Ecclesiæ universæ illatum fuerit damnum. † *INVIDIA & contumeliis Clericorum* (disertè modo laudatus ait Hieronymus) *ad Montani dogma est delapsus &c.* Et quamvis Commentarii in Paulinas Epistolas (perperam B. Ambrosio adscripti) author invidiam hanc ita sit interpretatus, quasi ipsius Ter-

Euseb. in Chron. Hieron. epist. ad Magnum orat. Roman.

† *Meritò Pamelius hunc Tertulliani in castra Montani transitum inter tristia Ecclesiæ numeravit, qui tamen non nisi Invidiâ urgente contigerit. Esto, συναίτιον fuerit ingenii ejus durities, morum quadam austeritas, (de qua Baron. ad ann. 201. n. 10.) Fuerit etiam Tertull. melior Patientiæ encomiastes quam gymnastes, id tamen non impedit, quo minus malignantium livore tragœdiam illam & incboatam & consummatam fuisse statuamus.*

Tertulliani in Clerum Romanum fuisset, multò tamen rectius Græcus interpres Sophronius lapsum Tertulliani φθόνῳ καὶ προπηλακισμοῖς τῶν κληρικῶν τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας duxit tribuendum. *Quid enim hoc Viro* (scribit de Tertulliano Vincentius Lirinensis,) *doctius? quid in divinis atq; humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam & cunctas philosophorum sectas, auctores, adsertoresq; sectarum, omnesq; eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum veritatem mirâ quâdam mentis capacitate est complexus &c.* Tantam itaq; doctrinæ multijugæ lucem livoris umbra excepit, insignemque adeò Tertulliani gloriam pudenda sociorum Invidia obfuscare constituit. Et quemadmodum eadem ferè Tertulliani atque ORIGENIS * fuêre tempora, eadem in utroque eruditionis prælustris copia, eadem nominis famæque celebritas, ita eandem cum Tertulliano invidiæ aleâ Origenes subiit, pariterq; indigna ab ipsis fidei ac professionis suæ sociis est perpessus. Quamprimum is Universalis Magistri Doctorisque communis elogium retulit, factum, ut clarissimi quique Viri, sive virtutem & eruditio-

Vincent. Lirinens. Common. I.

* Scitè Gilb. Cognatus in vita Christ. Tom. II. opp. f. 239. *Quod Origenes* [scribit] *Græciæ fuit, cujus in divinis libris studium feliciter excitavit, hoc Afris fuit Tertullianus, in divinis literis ad prodigium usq; doctus.*

ditionem ejus æmulando, sive meritis & famæ tantæ insultando ad invicem certasse deprehendantur. Pessimè erga eum sese gesserat ipse Episcopus Alexandrinus Demetrius: Hic (teste Eusebio) ægrè ferens quod Origenes doctrinæ reconditæ gloria & virtutum complexu Episcopi honorem obscurare videretur, acerbè illum est insectatus. *Et quando nihil aliud habebat, quod ei objiceret, facinus illud quod adolescens olim* (seipsum scil. emasculando) *patraverat, gravissimè est criminatus, illos etiam qui Origenem ad presbyterii honorem evexerant, accusationibus suis conatus involvere &c.* *Et cum non multò post tempore* (pergit Eusebius) *Demetrius eum prosperis successibus indies augeri, & magnum jam atque illustrem omnium sermonibus celebrari videret, HUMANI QUIDPIAM passus, literis ad omnes ubique terrarum Episcopos scriptis, facinus illud proscindere tanquam absurdissimum cœpit.* Quid quod præter durum Invidiæ telum, etiam dirum excommnnicationis fulmen in Origenem evibrarit Demetrius? siquidem disertè Hieronymus, non depositum solùm, sed excommunicatum * etiam ab Episcopo suo illum fuisse memo-

Eusebius lib. VI. Hist. Eccles. c. 8. f. 209.

* *Ex Bibliotheca Photii cod. CXIIX. discimus duas adversus Origenem Synodos con-*

memoraverit. Ac licet ea Demetrii [qui Pamphilo Martyre dicente amorem Origenis in odium vertit, laudesq; cum vituperatione commutavit] sententia absque ullo manserit effectu, livor tamen per omnem vitæ cursum infestare, probrisque & iniuriis innumeris magnum illum illustremque Doctorem afficere non destitit. Hoc nimirum immensorum laborum ab illo devoratorum fuit præmium! quod paulò altius considerans Hieronymus, non abs re in verba hæc notatu dignissima erupit: *Quis unquam tanta legere potest, quanta ipse* (Origenes scil.) *conscripserit? Pro hoc sudore tamen quid accepit præmii? Damnatur à Demetrio Episcopo, exceptis Palæstinæ & Arabiæ & Phœnices atq; Achajæ Sacerdotibus, in damnationem ejus consentit Orbis. Roma ipsa contra hunc cogit Senatum, non propter dogmatum novitatem, nec propter hæresin, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant, SED quia GLORIAM ELOQUENTIÆ EJUS ET SCIENTIÆ*

Pamphilus Martyr in Apol. pro Orig. cujus fragmenta extant apud Photium in Biblioth. Hieron. apud Ruffin. in Apol. II.

Gg 2 FERRE

vocatas fuisse, quarum prior Origenem ex Alexandrina Ecclesia pellendum esse censuerit, sed presbyterii non ademerit honorem; altera verò eundem Sacerdotio quoq; penitus exuerit, flagrantissimo Demetrii in Origenem odio incitata.

FERRE NON POTERANT, & illo docente omnes muti putabantur. Ac licet rarissimè mortuos livori ncursare, verum plerumque post fata quiescere soleat, neutiquam tamen defuncto ille pepercit Origeni, quin potius vario probrorum genere miserum affecit. Nullaten9 quidem hominem ab omni tam vitæ quam doctrinæ absolvamus nævo, satis gnari, etiam tot pro eo scriptas Veterum, Pamphili scil. Martyris, Eusebii Cæsar. Ruffini, aliorum Apologias Origenem à temeratæ fidei stigmate haudquaquam liberare potuisse; nec culpâ eum omninò vacasse, quod in Scripturæ S. explicatione sensum ut plurimũ allegoricum (neglecto proprio) sit consectatus; satis abunde tamẽ constat, pessimũ illum livoris odiiq; affectum sæpè rectum de Origene judicium impedivisse, *quando* (ut appositè ipse inquit Origenes) *nihil ordinatum habet furor & odium, sed his affectibus occupati, convitiis appetunt quos prosequuntur odio, non permissi consideratè atq; ordine accusationem texere.* Annon lividi quidam Origenis adversarii hunc in censum sint referendi, dum illum non hæresi solùm, & trabalibus erroribus infectum [quorum tamen in vita nunquam fuit convictus] verum etiam ecclesiâ cœloque extorrem & ad perpetuas flammas damnatum pronunciarunt, viderint alii. *

Origen. II. contra Cels. p. 647.

* Festiva admodum sunt, quæ Jo. Picus Mirand. in erudita apologia (quæ inter opera ejus fol. 199. reperitur) de literario cum Origenomastige quodam conflictu memoravit ad h. m. Cum ego [inquit pag. 215.] ut Origenem de pertinacia defenderem, cuidam multum insistenti, determinatum ab Ecclesia, Origenem pro pertinacia in anima damnatum, dicerem, ex græcis haberi historiis, Origenis dogmata post mortem ejus, multos post annos fuisse damnata: remisissemque illum, si libros domi non habeat ad Episcopum Traguriensem, Virum non minus doctrina & moribus, quam sua dignitate præstantem: apud quem ego Græcum librum videram, in quo de conciliis multa erant aggregata: dixit ille bonus Pater: quid me ad Græcos remittis, quem scis græcas literas penitus ignorare? Petamus inquit Latinas, nonne habemus Fasciculum temporum, qui de his rebus elegantissimè tractat? Afferatur dixi ego iste fasciculus, quanquam subjunxi: Si mihi quasi hoc fasciculo supposito ignem ut hæretico pares, abigam ego protinus tuum fasciculum in malam crucem, neque enim illi ulla fides. Excanduit illle ac si Trinitatem blasphemassem, ne excandescas inquam, afferatur fasciculus, nec me quasi solutis fascibus jam velis cedere; allatus est, & in eo de Origene hæc legimus: *Origenes doctor egregius, ac sanctitate vitæ incomparabilis, clarissimus in Ecclesia DEI*: & post pauca in fine dicit: *Grandis labyrinthus à diversis texitur, de Sansone, Salomone, Trajano, & isto Origene, an videlicet salvati sint annon? quæ quia sine periculo nesciuntur, nec etiam Ecclesia certificata est de his, Domino totaliter com-*

mittenda sunt. Hæc bonus faſciculus, quibus lectis cum audiſſet ille de damnatione Origenis non eſſe certificatam Eccleſiam, mirum ut expalluit, & apud quem probatiſſimorum FASCES nihil poterant, potuit tantum iſte FASCICULUS, ut ſententiam illicò commutarit. Hactenus in Apol. Comes Mirandulanus.

Num Invidiæ æmulationisque labe eos quondam Epiſcopos caruiſſe dixerimus, qui ſcripta Origenis tantummodo legentes ac evolventes hæreſeos notare ſtigmate, nec alio prætextu optimos etiam paſtores de ſedibus ſuis exturbare non dubitarunt, niſi eo, quod Origeniana omnia calculo ſuo damnare neutiquam voluiſſent? Verum alium Eccleſiæ Veteris inſignem Doctorem, chriſtianæque Academiæ prælustre decus, Livoris damnifici umbris aliquandiu obſcuratum contemplabimur. Id MAGNUS BASILIUS eſt, qui illud quod Oratione peculiari egregiè depinxit Invidiæ monſtrum, toto vitæ ſuæ curſu ſummoperè infeſtum habuit, ſiquidem indigniſſima aliquandiu perpeſſus ſit non ab apertis ſolum orthodoxæ pietatis hoſtibus & adverſariis, verum ipſis fidei profeſſionisque ſuæ ſociis, ipſoque Collegâ & deceſſore ſuo EUSEBIO: Gravem adeò ille adverſus Baſilium exercuerat ſimultatem, † ut Doctorem innoxium ab Eccleſiâ repellere

† *De hac ipſa Euſebii cum Baſilio M. ſimultate prolixè in notis ad vetuſtius Martyrologium (D. Hieronymo aſcriptum) diſſe-*

pellere constituerit, postquam scil. ejus virtus oculos hominis tantoperè perstrinxisset. Vir cætera quidem (ait de Eusebio illo Nazianzenus) fortis & mirabili pietate præditus, - - sed tamen in Basilio aliquid *humani passus*, vel ut Gregorii verba Volaterranus reddidit: INVIDIÆ *resistere non potuit, quin & humanum aliquid ipse pateretur.* In summam siquidem [Svidâ dicente] externæ doctrinæ magnitudinem evaserat BASILIUS, & in Sacris Scripturis quantum ad lectionem & expeditam memoriam conducebat, non vulgarem habebat experientiam. Hinc illæ Eusebii episcopi lacrymæ, hinc favillæ tanti odii! cujus declinandi, gravioris scandali præcavendi, atque tranquillitatis ecclesiasticæ conservandæ gratiâ Basilius prudenter fugam meditatus est, atque comite Gregorio suo salutarem in Pontum usque secessum, re ipsâ scil. præstiturus, suoque comprobaturus exemplo, quod alicubi fratres à sociorum livore nimioperè pressos commonuit: Quemadmodum materiam quæ facilè ignem concipit curæ est nobis quam longissimè ab igne seponere, sic oportet quantum possibile est amicitias ab invidorum conversatione abducere, ut extra Invidiæ tela consistamus; Ab invidi igitur Episcopi sui

Nazianzen. Orat. XX. in laud. Basil. M.

Basil. M. Orat. de Invidia.

Gg 4 con-

ruit Franciscus Maria Florentin. fol. 606. seqq. ita tamen ut Eusebii causam pro virili sua agere neutiquam dubitaverit.

conversatione maturè sese subduxit Basilius, *conducibilius* (dicente Gregorio) *id sibi esse existimans, quam in præsenti negotio cogitationem quandam philosophiâ suâ indignam suscipere, ac consilii & prudentiæ clavum in tempestate perdere, quem in tranquillitate tenuerat.* Ac licet post suum in Cappadociam reditum Eusebio reconciliatus, defunctoque surrogatus fuerit, nihilominus tamen in ipso throno episcopali consídens, tetram mastigum colluviem valdè infestam Basilius habuit, parumque benevolos expertus est eos, quibus invitis & repugnantibus illud honoris fastigium conscenderat. Maximæ nimirum Viro optimo creatæ sunt ab invidis nonnullis Clericis molestiæ, ad quas forti animo perferēdas Gregorius ipsum peculiari epistolâ ad hunc modum est cohortatus: Audio Te à recenti rerum novatione turbari, tibique à sophisticâ quâdam & usitata curiositate negotium exhiberi. Nec sanè mirandum est, neque enim INVIDIAM ignorabam, quodque ex iis qui LATUS TUUM CINGUNT (*Clericis scil.*) complures sint qui fomitem accendant. Illud verò non metuo, nec quid à philosopho alienum atque & Te & nobis indignum in rebus

Gregor. Naz. l. c.

Gregorius Nazianz. Ep. XXV.

NB.

rebus adversis ac molestis Tibi accidat. Quin potius nunc vel maximè futurum existimo, ut Basilius meus cognoscatur, & ea quam per omne tempus collegisti sapientia patefiat, ac Tu improborũ hominũ injurias & impressiones superes, velutque in altissimis fluctibus immotus maneas, aliis in perturbatione ac tumultu versantibus. Quodsi ita Tibi videtur, ipse quoque adero, fortasse quidem ut consilii quoque Tibi aliquid impertiam (si tamen Mari aquâ opus est & Tibi consultore) procul dubio autem ut utilitatem ipse capiam, patientiæque IN FERENDIS CONTUMELIIS socium me Tibi præbeam.

V. Habuit equidem Magnus Basilius socium GREGORIUM suum in ferendis injuriis, (fœdo LIVORE urgente ipsi pariter illatis,) tum temporis maximè, cum de Constantinopolitanæ Ecclesiæ sede solius Invidiæ malignitate esset deturbatus. Quamprimum scil. Timotheus Episcopus Alexandrinus promotionem ejus (se posthabito neglectoque factam) ut vitiosam atque illegitimam arguere cœpisset, abdicatus est Gregorius, & Nectarius quidam, catechumenus, è curiâ petitus rerumque

ecclesiasticarum planè ignarus in thronum Episcopalem fuit evectus. † Optaverat Gregorius alicubi notanter, *ut ex hominum vita LIVOR interiret, invidorum tabes*; tantum verò abest ut voti sui compos factus sit, ut poti⁹ innumera etiam post suam à sede Constantinopolitanâ dejectionem malevolentiæ jacula, odii spicula, invidiæque sceleratæ sagittas subire debuerit, nec ipse (ut Salomon ait) coram livore consistere potuerit, nunquam non falsorum Doctorum & fratrum technis atq; imposturis divexatus. Nullus autem est inter priscos Ecclesiæ Patres, quem venenosa illa & immanis fera, LIVOR scilicet, vehementius læserit, cui plures gravioresque concitarit tempestates, quam JOHANNES CHRYSOSTOMUS: In hunc præcipuè, telum illud diabolicum maximo cum impetu fuit evibratum, huic

Gregor. Orat. XXVII.

† *Unde clarißimè apparet, etiam in veteri Ecclesia sæpè ineptos indignosq; (repudiatis doctioribus & melioribus) sacris admotos fuisse officiis, dignos verò optimosq; Viros invidiâ urgente sive neglectos, sive à sedibus suis rursus dejectos deturbatosq; fuisse, sicuti non malè Billius (in argum. Orat. 27. Gregor.) notavit, multos in Urbe Constantinop. fuisse, qui Gregoriani nominis splendorem ac gloriam ægerrimè tulerint, atq; accerbissimo in Virum odio sint debachati.*

huic illa malorum pessima mater (ut ipse invidiam alicubi salutavit,) horrendas peperit calamitates, insidias, miserias, exilia, contumelias, mortem denique indignissimam acceleravit, siquidem nefandi livoris œstro perciti ejus (è Sacro etiam ordine, ipsorumq; orthodoxorū episcoporum cœtu) adversarii minimè quieverint, donec iterata Viri ex Urbe Constantinopolitana ejectio decreto Imperatorio constituta, moxq; executioni injustissimæ data fuisset. Aptissimis furoris sui organis (Clericis nimirū invidis, quorum Dux & antesignan⁹ Theophilus Alexandrinus erat) adjutus dæmon, tantum perpetraverat facinus, Ecclesiæq; illius agrum, ab Arianis tribulis spinisque recens purgatum, cultore optimo in exilium ejecto duxerat devastandum. *Vides* (ait apposite os illud aureum) *quantis fuit ministra malis INVIDIA? qualiter insatiabilem diaboli mentem implevit, & ei tantam apposuit mensam, quantam is cernere concupivit.* At verò non in Græcâ solùm, verum LATINA etiam Ecclesia illum Satanæ angelum olim tyrannidem suam exercuisse, pugnisque suis optimos præstantissimosque Viros petiisse, præter Tertulliani [antea memorati] exemplum, gravissima etiam HIERONYMI Stridonensis cum invidis & æmulis certamina docuêre. *Sicuti enim vita ejus* (dicente Erasmo) *nihil aliud fuerat quam*

Chrysost. hom. 53. ad popul. Antiochen.

Chrysost. l.c. hom. 53.

Erasmus in vita Hieron.

quam diutinum ac perpetuum Martyrium; ita continuis lividorum odiis atque injuriis divexabatur. *Ego* (ait alicubi) *probrosus, ego versipellis & lubricus, ego mendax & Satanæ arte decipiens* (appellor) *osculabantur mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant, & dolebant labiis, corde gaudebant &c.* Et cum saluberrimis suis reprehensionibus devios quosdam maleque viventes Clericos in viam revocare studuisset, non solùm nihil illæ effecêre, verum superinfuso veluti oleo livoris igni novâ dedêre incrementa: Græcus appellabatur & impostor, Urbe pellendum dicebant irreligiosi illi fratres, Josephum, h.e. Hieronymum veridicum, lapidibus obruendum, inque fluctus præcipitandum, ut ipse in quâdam epistola perhibuit. Quid mirum igitur quod tantoperè lacessitus Hieronymus de Româ deserendâ seria secum agitaverit consilia, graduque tandem concito (ut ipse loquitur) Bethlehemum, velut in svavissimum ex tantis tempestatibus portum perrexerit, vehementissimum nimirum Invidiæ turbinem feliciter evitaturus, inque sacro illo secessu deinceps æternitatis negotium peracturus. At verò nec ibi omninò à livoris *fulgure* (quo, ut ipse alicubi ait *summi etiam montes feriuntur,*) tutum consistere potuisse, arduæ illæ quas cum Ruffino, Johanne Hierosolymitano * alisque

opp. præfixa. conf. Hieron. ipsum Epist. ad Asell. Tom. II. opp. fol. 363.

Hieron. Apolog. adversus Ruffin. Hieron. in Epitaph. Paul. Tom. I. fol. 176. Conf. Vet. Acad. J. C. p. 157.

* Ad cujus, scil. diœcesim Bethlehem attinebat.

& qui Hieronymiani nominis splendorem ægerrimè ferebat, cum scil. tantum illi famæ & authoritatis, doctrina, eloquentia, vitæque integritas peperisset, ut erudita quoq; Græcia unius Hieronymi commentarios in linguam suam transferendos curarit, imò ad antrum Bethlehemiticum, non secus atque ad totius Orbis Christiani publicum oraculum concursus factus fuerit, crebræ epistolæ & nuntii ex Italia, ex Hispaniis, è Galliis, ex ultimâ Germania ex Africâ huc (spreto & postposito Johanne Episcopo) commeaverint, plurimos denique non tam loci religio, quam Hieronymi videndi desiderium in Palæstinam attraxerit. EX toto Orbe (ipse inquit alicubi) huc venitur Bethlehemū; Ezechielem cœpi exponere, vix finiam, nulla enim hora nullum momentum est, eX quo non fratrum occurramus turbis. Omnes nimirum cum Hieronymo loqui, omnes illum videre cupiebant. Hinc exarsêre atrocis invidiæ flammæ, hinc novæ maligni livoris procellæ exortæ, Episcopo Johanne eas concitante, adeò ut non solum Hieronym9 cum suis ab ejus communione abstinere debuerit, verum etiam presbyteri gradum & honorem amiserit, quo de ipse Hier. ad Pammach. (To. II. f. 179.) *Ego misellus* [scribit] *dum in solitudine delitesco, à tanto Pontifice repente truncatus, Presbyteri nomen amisi*, & paulò ante non sine indignatione narravit, quam malitiosè literas orientaliū ad se scriptas supprimere Johannes conatus sit, ne ei redderentur; *Qui* [inquit] *Theophili Episcopi mandatum nobis loquebatur*, [Isidorus scil.] *literas ad nos ab eo missas noluit reddere, cumque diceremus si Legatus es, reddo*

redde legationis Epistolas; si Epistolas non habes, quomodo legatum Te probabis? Respondit, se habere quidem literas ad nos, adjuratum tamen ab Hierosolymorum Episcopo ne nobis eas redderet. En legati constantiam! [addimus, en nefandæ invidiæ dolos!] *qui ut pacem faceret, & suspicionem in alteram partem favoris excluderet, aquum se utriq; tribuit.* Quæ verò aliquandiu sub cineribus latuit livoris scintilla, ea in horrendam odii flammam erupit, postquam Johannes Episcopus Hierosol. Arianæ factionis suspicionem incurrisset, àque illius communione meritò abstinens Hieronymus, errores gravissimè impugnasset; utque de hæresi se excuset, acerba epistolâ [quæ Tom. II. f. 162. extat] monuisset. Neque defuêre qui oleum igni huic infundentes, variis Episcopi injuriis exasperatum Hieronymi animum, literis insuper suis instigarunt; hinc Riparius, illinc Marcella, aliunde Paula, Pammachius, Domnio, Oceanus, compluresque alii, quorum iteratis suggestionibus: *Purga famam, compesce hæresim, succurre fidei;* locum non abs re dedit Hieronymus, atque Johannem pro merito suo tractavit.

Invectiva hæc Petri Blesensis extat inter opera ejus Paris. 1672. edit. fol. 455.

isque pseudo-fratribus habuit velitationes (de quibus alibi diximus) apertissimè loquuntur.

INVIDIÆ etiam telis apprimè olim patuit PETRI BLESENSIS virtus, adeò ut in invectivâ quâdam adversus obtrectatorem necesse habuerit famam suam contra invidi & malevoli cujusdam Clerici calumnias tutari, hisq; inter alia

alia armis amentatas æmuli ſui repercutere hastas: Apponam ſagittas acutas contra lingvam doloſam, maledicam, magniloquam, ſcurrilem, diſſolutam: loquar contra ſibilos ſerpentis antiqui, nam in lingua tua loquitur, qui quondam in ſerpente locutus eſt - - Unde me noſti? *Non expectato vulnus ab hoſte tuli.* Porrò licet faciem tuam non viderim, ego Te intus & in cute novi. Exiſtimaſti inique quod eſſem tui ſimilis. Ego quidem in opere meo ſimpliciter ambulabam, tu verò dolosè agebas in lingvà tuâ. Seminabam triticum & tu inimicus homo ſuperſeminabas zizania - Dicis & ſcribis quia me non vidiſti, gaudeo planè quod me non videris. Jam ſpiritum aſpidis in Te ſenſi. Utinam me non videat oculus Baſiliſci! INVIDE & Detractor, DEO odibilis, quid me mordes? Qui enim detrahit, dicit Eccleſiaſtes, ſicut ſerpens, qui mordet in occulto - - ſi ore ad os diſputatio & conflictus eſſet inter nos, patientius ſuſtinerem, facilè eſt tibi impugnare abſentem, teſteque Hieronymo delicata doctrina eſt, pugnam dictare de muro.

Ovid. Epiſt. Heroi.

ro. In me utinam experiaris & oris & operis vocem! Tutum tamen mihi esse non arbitror cum homine cerebroso contentiosum funem trahere, & contra consilium Salomonis, stulto juxta stultitiam suam respondere. Ita adversus obtrectatorem & æmulum suum Petrus Blesensis, qui alibi etiam Archidiaconi Bathoniensis dignitatem lividorum quorundam imposturis sibi jam seni ereptam fuisse conquestus est, implorato duorum aulicorum adversus falsam malevolorum criminationem auxilio: Senex (*scribit*) & emeritus à juvene, simplex & valetudinarius ab ambitioso, mansvetus & innocens à versuto; & ut temperatius loquar, turpi crimine diffamatus ab omni honore Archidiaconatus mei violenter expellor. Porrò lator præsentium tragœdiam istam vobis apertius explanabit: singultuosus enim dolor os meum syncopis & λειποθυμίᾳ impediens, me loqui aut scribere non permittit. Datus sum per astutiam malignantis in opprobrium & contemtum, nisi miseria mea vestram excitat misericordiam, & passiones meæ vestræ compassionis affectum provocaverint.

Proverb. XXVI.

Confer. Petri Blesens. Ep. 149. *opp. fol.* 134.

rint. Verùm eâ lamentatione impedire non potuit, quo minus tandem in alieno ſolo (quod exilium alicubi vocavit) extremum vitæ clauſerit diem. Quantæ inſuper calamitates à ſociorum livore preſſos exercere ſoleant, triſtis etiam atque miſerabilis HIERONYMI SAVONAROLÆ Prædicatoris Florentini diſertiſſimi ac ferventiſſimi (ut poſt vetera illa recentius quoddam Invidiæ exemplum & documentum in medium afferamus) caſus exituſque ſub finem ſeculi decimi quinti clariſſimè docuit. Is licet (Cominæo teſte) *moribus fuerit inculpatus, & docendo multos ad ſanitatem vitæq́ emendationem perduxerit*; livore tamen Clericorum quorundam, ipſiusque Pontificis Alexandri VI odio ſæviente factum, ut non acutis ſolum linguarum & calamorum ſpiculis acriter petitus, verum graviſſimis tandem vexatus tormentis, deniq́ue ſuſpenſus, & in publico foro poſt necem fuerit combuſtus. Ac licet diverſa à ſcriptoribus diverſis de triſti hoc igne lata ſint judicia, pauci tamen eunt inficias, inſignem Savonarolæ virtutem, obfirmatæ parrheſiæ ſociatam, graviq́ue livoris turbine infeſtatam, flammæ huic atroci fomitem ſubminiſtraſſe. *Ita enim* (Jovio perhibente) *multitudinis Florentinæ animos virtutis opinione occupaverat, ut illum rerum omniumq́ quæ imminebant verum Vatem di-*

Idem Epiſtol. 160.

Comin. l. 1. de bello Neapol.

Jovius in Hiſt. Leonis X. Pont.

vinumque depravatis moribus emendandis censorem cælo missum crediderint. Quid quod Pierius eum nuncupaverit magnæ apud literatos etiam authoritatis virum, christianæ disciplinæ concionatorem egregium, doctrinâ præditum admirabili; alius Virum perspicacis admodum ingenii, solertiæ perraræ, tam in omnis generis philosophia, quam in sacrarum literarum studio exercitatum salutaverit. Hinc magis magisque exarsit livoris nefarii ignis, tantamque Hieronymi virtutem atrati quidam fratres ægrè ferentes, è medio tollere laborarunt. Non quievit equidem prius vel extincta fuit sævientis invidiæ flam̃a, quam Hieronymus medio foro esset exustus, atque in profluentem Arnum projecti cineres, ne religiosè à quibusdam servati colerentur. *Etenim* [si Cominæo fides] *populus incitatus ab adversariis, facto concursu & connivente novo Magistratu, Hieronymum & cum eo duos præterea comprehenderunt, gravissimisque subjecerunt tormentis, Pontifex etiam misso legato permiserat illis ut de causâ cognoscerent, quo facto tandem crematus est cum sociis.* Videdetis [dico rursus cum Magno Chrysostomo] quantis malis ministra fuerit invidia, qualiterque insatiabilem diaboli mentem impleverit, & ei tantam apposuerit mensam, quantam is cernere concupivit.

J. V. Pierius de infel. liter. lib. II. p. 152. Anton. Sen. in Biblioth. Ordin. Præd.

Comin. l. c.

Chrysost. Homil. 53. ad pop. Ant.

VI.

VI. Idem scabiosus Livoris genius, ad alienum splendorem præstinguendum factus, refulgente bonarum artium & literarū luce ita in orbe literato regnavit, ut plurimos illustres, de literaria re optimè meritos, reconditæque doctrinæ laude egregiè micantes Viros acriter impetere, imò pudendis artibus & criminationibus prorsus extinguere allaborarit. Quot præstantes doctrinâ homines exorto literario Sole gravissimas passi sunt eclipses, invidis quibusdam & maledicis sive Theologastris sive philosophastris opacitatem suam interponentibus? Ipse FRANCISCUS PETRARCHA rarissimum ævi sui lumen livore urgente graviter est exagitatus, eò quod Poesim calleret. Ita nimirum in vitâ refertur, primo operum ejus volumini præfixa: *Fuit illa tempestate nomen poeticum ita invisum, ut qui ea studia sequeretur, magum, sortilegum, & hæreticum esse dicerent. Erat tunc hæreticæ pravitatis inquisitor quidam Marcus Picenus, de Solipodio oriundus, frater rudis, & omnium bonarum literarum omninò expers, qui temerario ausu in nonnullos injicere manus tentavit, & ni provisum fuisset, maxima hinc oriri videbantur scandala. Sed cognita illustriorum hominum scientia, & fratrum avaritia, Solipodius tanquam stolidus, & bo-*

Vid. vitā Petrarche conscriptā ab Hieron. Squarciafico.

narum disciplinarum ignarus explosus est, non tamen sine labore se purgavit PETRARCHA. Nec minus *Jo. Antonium Campanum*, Poetam & Oratorem suâ ætate summum ac famigeratissimum (qui oratione de inventoribus scientiarum ad tres horas habitâ totam Perusinam Urbem in tantum stuporem rapuerat, ut longo tempore nihil aliud quam de Campani eruditione sit locuta) sociorum invidia tantoperè exercuit, ut ad extremam desperationem adductus eò sæpè incaluerit, ut cum Turcis vivere potius quam christianis ejusmodi lividis conversari optarit. Similes ferè atri livoris insultus expertus est (Jo. PICUS MIRANDULANUS summum illud ingenii doctrinæque ævo suo miraculum) eò quod supra ætatem, & supra quoscunq; alios reconditæ eruditionis, etiam Theologicæ laude micaret, & aliorum officeret luminibus. Non quidem palam eum [ait vitæ scriptor] vitilitigatores, & libero examine aggredi audebant, sed strophis potius & cuniculis suggillare, clanculariisq; suffodere telis pestifera corrupti INVIDIA [quæ semper velut ignis alta petit] conabantur. Multi qui vel ambitione, vel avaritiâ literario negotio diu incubuerant, indecorum sibi fore autumabant, si juvenis ille aggestis atavorum opibus multaque doctrina velut fertilis ager luxurians, in primâ Orbis urbe de naturalibus divi-

Vid. vitam Campani à Michaele Ferno conscript.

Conf. vitam Mirandulæ opp. ejus præfix.

divinisque rebus, deque multis per plura secula nostris hominibus non accessis, periclitari doctrinam & ingenium non vereretur. Et cum doctrinam variis machinis adhibitis subrui non posse animadverterent, tormenta calumniæ in medium attulerunt, tredecim ex nongentis quæstiones rectæ fidei suspectas reprehendentes. Et quamvis graviter h. m. lacessitus Mirandulanus, apologiam ediderit, miris elegantiis, multaque rerum scitu dignarum cognitione refertam; nihilominus tamen infinitis fœdatus fuit criminationibus, imò magis magisque procedente livoris acritudine, solum tandem vertere & apud Gallos Allobrogasque liberius cœlum captare est adactus. Testem laudamus JO. CAPNIONEM REUCHLINUM, in primo de arte Cabalistica libro de Pico ita scribentem: *Novi ipsum olim domo exulantem apud Gallos & Allobrogas, pulsumque patria, & fugatum acerrimè ab INVIDIS quâdam detestabili persecutione, propter eximia philosophica studia sua, & nobile ingenium. Est adeò genus hominum* (ait Terentius) *qui esse primos se omnium rerum volunt, nec tamen sunt, ex corvo forte nati, quæ avis usque ad Coroneì annos, (ut est in fabulis) vestita prius albis plumis, posterius nigris.*

Reuchlinus lib. I. de arte Cabalist.

colorem indumenti eis præbet, candidi & atri, unde fratres atrati *dicuntur, quippe volucris ea ob impiam delationem semper odiosa Phœbo. Hi tunc fuerunt mastiges, hi canes tam generosi &c.* Sensit equidem malo suo morsus ejusmodi caninos ipse Reuchlinus, (primus hebraicæ linguæ apud Germanos professor,) ab iisdem fratribus atratis, duce quodam Jacobo de Hogstraten iniuriis continuis divexatus, probrisque innumeris lacessitus illorum, qui [dicente Eleutherio Bizeno] barbarie, ignorantia, & INVIDIA stimulantibus, multiplicatis intrá & extra Germaniam calumniis, & scriptis Reuchlini, non secus ac perditissimi sycophantæ omni fœdâ nota inustis, miserrimè hominem afflixerunt, donec Cæsare, & variis Magnatibus excitatis tantum lumen literarum extinctione est prohibitum. Ægrè nimirum tulerant æmuli, limisque oculis aspexerant reconditarum literarum scientiam, quâ Reuchlinus erat præditus, & frequens quod habebat auditorium gravi livoris incendio addiderat oleum, siquidem [ut ipse in quâdam ad Bilibaldum Pirkamerum epistolâ est contestatus,] Ingolstadii quotidiè plus quam trecentis discipulis hebraicæ græcæque linguæ præcepta tradiderit, atque matutinis quidem horis R. Mosen Kimchium, vespertinis verò Aristophanis Plutum singulari

Longo carmine id ipsum Eleutherus Bizenus descripsit, cui tit. Triumphus Capnionis.

ri dexteritate explicarit. Hinc illæ atratorum fratrum lacrymæ, & plusquam vatiniana in Reuchlinum odia! hinc pestilentissima de illo extinguendo opprimendoque consilia! Oppressus equidem fuisset ab invidis sycophantis Reuchlinus, nisi fatali quâdam conversione adversariorum tyrannis labefactata, furoresque illorum per bonos & doctos viros fortiter repressi fuissent. Nec levioribus postea aculeis petitus à lividis fuit JOANNES LUDOVICUS VIVES, Philippi Secundi Hispan. Regis Præceptor, [Vir doctrinâ & ingenio maximo, nec minus egregiis in publicam rem meritis conspicuus;] præsertim cum ad Augustini opus de Civitate DEI illustrandum sese accinxisset, atque veterum interpretum ineptias & ignorantias detexisset, denique se ERASMI amicum professus ibi fuisset, laudibus ejus prolixè decantatis. Is nimirum eâ tempestate erat DESID. ERASMUS, in quem potissimum nulla non livoris jacula, odii spicula invidiæq; sagittæ ex hostium [auctoritati suæ & famæ metuentium, indeq; studia literarum resurgentia opprimere omni conatu laborantiû] animis veluti arcubus sunt evibratæ. Ita eum Stunicæ, Lei, Sutores, Bucentæ, Standicii, Dorpii aliiq; calumniis celebres, in aulis, in concionibus, in collegiis, in gynecæis urgente livore oppugnaverant, ut concidisset millies, ni gorgone sua, h. e. doctrinâ eloquentiâque insigni

Conferà præf. operi Aug. de C. D. à I. L. Vive præfixam.

armatus, hostium agmina fortiter repulisset, imitatus scilicet insignem illum artium & literarum amœniorum restauratorem LAURENTIUM VALLAM, cujus doctrinæ virtutique cum pariter infesta esset fratrum atratorum invidia, gravissimisque contumeliis in nomen ejus ac famam fuisset grassata; ipse tanquam ad disputandum provocatus, quæcunque in se carpi damnarique acceperat, publico programmate proposuit contra quosvis defendenda. Sed cum adversarii ejus (qui de honore suo conservando apprimè erant solliciti) haud obscura ignavi timoris indicia præ se tulissent, authoritate regiâ publicum illud certamen fuit inhibitum, idque ab ipsomet Vallâ significatum studiosis confluentibus hoc disticho:

V. d. Boxhornii Histor. universſ. p. 955.

Rex pacis, miserans sternendas Marte phalanges
Victoris cupidum continuit gladium.

Et cum hoc probro magis magisque turbati efferatique Vallo-mastiges, nihil intermisissent eorum, quibus fieret, ut vel ad perpetuum carcerem ille damnaretur, vel capitis supplicio libertatem dicendi expiaret, præsentissimum ille famæ pariter ac vitæ discrimen incurrit, donec singulari ingenii sui felicitate promtitudineque, & multo amicorum [adversus injurias insidiasq; omnes illum masculè defendentium] labore studioque id ipsum evasit.

VII.

VII. Haud ineptè quidam è ſapientioribus, Literatum invidum SERPENTI comparavit, ſiquidē is cum mortalium optimis atq; clariſſimis ſerpentis inſtar internecinas exerceat ſimultates, diroque ac exitiali veneno ſuo nullas non præclaras meliorum actiones & cedro digna monumenta contaminare conetur, perditam omninò cupiens inſignium laborum memoriam, imò tantoperè turgens pudendæ loliginis ſucco, ut extremum Virorum de publica & literaria re meritiſſimorum ſemper ſpiret atque meditetur exitium, utq; gloriolam ſibi aucupetur, alios omnes velit inglorios. Prius quam JOHANNES HUSSUS Synodi Conſtantienſis decreto non turpis ſolum hæreſeos ſtigmate eſſet notandus, verum graviſſimo etiam ignis ſupplicio adjudicandus, formidabiles per quietem vidit SERPENTES, qui magno numero illi apparuerunt, capita in caudis habentes. O memorabile livoris ſerpentini hieroglyphicum! quod doctiſſimus Alciatus hujusmodi carmine eſt complexus:

Conf. epiſt. Huſſi XXXIII. quæ extat Tom. I. opp. fol. 68. b.

Squallida VIPEREAS manducans femina carnes,
Cuiq; dolent oculi, quæq; ſuum cor edit,
Quam macies, & pallor habent, ſpinoſaq; geſtat
Tela manu. Talis pingitur INVIDIA.

Alciatus Emblem. LXXIX.

Atque ut SERPENTINÆ livoris literarii ARTES eò magis innotescant, ut caveantur, apprimè notandum, eruditis atræ illius loliginis succo tinctis solenne esse, ut miris vocibus præsentes commendent, absentes verò VENENATA detractione jugulent, inque ipsos cives suos, & quod turpius est, familiares, quos pares habere nollent, exitiali scelere grassentur. Quippe cum quis dignitate præstat, inde caliginem sibi offundi putant, & quantum alicujus splendor augetur, de suâ credunt existimatione diminutum. Semper istiusmodi serpentum lateri lethalis hæret nocendi cupiditas, socios illi adsciscunt sibi, & administros, qui nequitiæ glutino solidantur, non maledictis abstinent & conviciis, nulla etiam iis est in optimos & doctissimos reverentia, quin potius petulantia adeò abominabilis, ut cuncta hominum doctrinâ virtuteque præstantium opera cupiant perdita eque medio sublata. Cujus quidem INVIDIÆ exempla multivaria sunt in aprico. Ipsum divinum [ut vocant] Platonem aliquando in Democrito humani quidpiam passum, æmulationeq; tantoperè accensum fuisse, ut omnes philosophi istius libros [qui erant sine numero] comburendos statuerit, apud Laërtium Aristoxemus perhibuit. Et quod designaverat Plato, postea Alexandri ope exequutus est Aristoteles, quasi parum esset Alexandro se Asiæ dominatorem efficere, nisi etiam

Conf. Benedictum Menzinum Fior. de liter. hom. inv. cap. 5. p. 23.

etiã Ariſtoteli jus daret in omnes philoſophos, quo ſolus inter cæteros emineret. En memorabile SERPENTINI livoris extremæque malevolentiæ veſtigium! Utinam in Lyceo ſolùm, non etiam alibi ille ingenii diabolici character olim fuiſſet obſervatus! Sabinianum equidem tanta in Gregorium Magnum deceſſorem ſuum INVIDIA exarſiſſe memoravit Platina, ut parum abfuerit, quin omnes ejus libri juſſu lividi ſucceſſoris fuiſſent combuſti, atque ſublati è medio. Periiſſent hoc modo Gregorii omnia, nî veloci fato extincto Sabiniano nefarii illi conatus [multis ſtupentibus] *in fumum abiiſſent.* Sic ægrè etiam ab interitu vindicata ſunt doctiſſimi Ebræorum Magiſtri *Moſis Maimonidis opera cum tantæ nominis celebritati INVIDENTES* (verba Edvardi * Pocockii adſcribo) *nihil non, & contra IPSUM, & IPSIUS SCRIPTA molirentur,* *à quo-*

Platina in Sabiniano.

* *Pocockius in præf. Portæ Moſ. præfixâ* * *3. conf. Gregorii Abulfaragii Hiſtor. Dynaſtiar. Arab. & lat. ab eod. Pocock. ed. p. 298. ubi legitur, opus inſigne Maimonidis, cui ipſe titulum indiderit* Delalah i. e. Indicis ſeu Directorii, *ab invidis quibusdam Ddelalah* [h. e. Errorem] *appellatum fuiſſe.*

à quorum (tanquam religionis Mohametica, quam aliquando ſimulaverat deſertorem accuſantium) calumniis unâ Alkadi Alfahel Abdirrhahimi fidi amici ope & gratia eſt liberatus. Quid, quod conſimili in libros innocentes invidiâ, inter ipſos SINENSES olim nonnulli extremæ ambitionis homines ita flagrarint, ut conatu nefario omnia philoſophorum ſuorum monumenta igni addicere non dubitarint, faces quidem præferente ipſo Imperatore Sinico Chingo ſeu Xio, (quo ſcil. priorum Impp. omnium deleretur memoria, ipſeque apud poſteros famam ſolus obtineret,) ignique oleum addente philoſopho quodam livido, LISUO, qui oratione peculiari in congreſſu regio habitâ, præter Imperatorem omnes Regni proceres (Martinio memorante) non dubitavit hunc compellare in modum: *Olim cum in plures diviſa Dominos eſſent Regna, non abnuerim neceſſarium fuiſſe Literarum ſtudium, ut quæ ad cujuscunque Regni gubernationem pertinerent è libris promerentur. Nunc eviluit hæc ratio, cum ſub unius Imperio totus quieſcit Orbis, omnes unius nutum intuentur, unus ordo, una lex ſervanda, cui rei quid plura ſcire ſit opus, ego quidem neſcio, at obeſſe potius, hoc ſcio,*

Mart. Marti. Hiſt. Sin. lib. VI. p. 210.

ſcio. Quid enim? Otioſis litigioſisq; literatoribus Regnum cur oppleamus? Quo impenſius Imperatori vigilandum, NE QUIS LIBROS HABEAT, domi vel ſua, vel aliena, neve abſcondat, ſed quamprimum addicat FLAMMIS, etiam ſub mortis pœna denunciandum, ſalvis tamen illis, qui de agricultura, medicina & divinatione agunt. Tanta ſerpentinam hanc, & non niſi à livore dictatam Liſui orationem excepit librorum Sinicorum ſtrages, ut omnia ferè Sinarum doctiorum perierint opera, ſiquidem eam præfecti in conquirendis concremandiſque libris diligentiam adhibuêre, ut ſtudiorum omnimoda everſio, totaleque exitium fuiſſet ſubſecutum, ni ſingulari laudabilique feminæ cujuſdam operâ libri quidam philoſophici ſervati fuiſſent. Nimirum Confutii ac Mentii ſcripta anus quædam paginis diviſis ad domus parietes agglutinavit, feliciterque ab interitu vindicavit. Nihil magis ſanè duobus iſtis egregiis moralis philoſophiæ Doctoribus Sinicis (pariter ut illuſtribus quibusdam ſcriptoribus Europæis) profuit quam manus carnificis, & hoſtilis rogus, nec ſupereſſent, niſi periiſſent, cum immortali laude de INVIDIA, livore, malevolentia & ſcelere triumphantes.

Martin. l. d. p. 210. 211. conf. comment. noſtrum de Re liter. Sin. Sect. III. p. 42.

IIX. Nor-

IIX. Nondum ſatis excuſſum peſtiferi Serpentinique Livoris Literarii ſeminarium, neque exhauſtus puteus atræ illius loliginis ſucco repletus: Ea ſemper illos humanâ quidem facie, aſt diabolico animo præditos SERPENTES cura verſat atque cogitatio, quâ ratione venenum ſuum credulis aliorum auribus inſtillare, omnemque obloquendi, doctorumque hominum conatibus obſtrependi anſam arripere poſſint. Vipereus nimirum Invidiæ fœtus eſt atrociſſima quælibet CALUMNIA, quam inferre optimis quibusdam literati lividi non dubitant, nihil intereſſe exiſtimantes, ſive multum à vero, ſive parum recedant, dummodo infrunitæ ſuæ nequitiæ libido expleri poſſit. *Quinimò* (ut ſcitè non minus quam

Menzin9 l.d. cap. 3. p. 15.

verè nuper ſcripſit Benedictus Menzinus,) *uni aut alteri nocere parum putat invidus,* (literatus) *parata habet in omnes infeſtiſſima tela. Et cum non ratione, ſed mentis feratur impetu, de latibulo prodit cruenta beſtia, quæ rabidâ fame correpta, obvia quælibet petit admorſu. Invidia enim ut ait verè Baſilius ille Magnus, cum illi qui eam poſſidet primum ſit, & familiare malum, nihilominus omnia foris perſcrutatur, inquirit, ut nunquam non ſuppetat, quod illam veluti tortor inteſtinus excruciet, cumq; ex*

vero

vero criminari non possit, in OFFICINA MENDACII omnes percurrit artes, ut falsa pro veris obtrudat. Nec ulla tam nobilis actio, tamque præclara & inculpata vitæ consvetudo, quam cœca illa malitia, & fœda calumnia & livens invidia, diro ac furioli pectoris sui veneno non conspergat tingatque, eò potissimum laborans, ut Viri profundioris doctrinæ elogio conspicui, temeratæ fidei, fœdæque hæreseos abominabili stigmate ubique notentur, omniumque exponantur odio & execrationi. Cujus insaniæ cum seculis superioribus innumera extiterint documenta, haud abs re illam doctissimus, & arte non minus quam virtute præstantissimus Vir, Jo. Lud. Vives tantoperè est detestatus, ut palmariam corruptarum disciplinarum culpam isti nequitiæ duxerit impingendam: *Non satis* ait *fuit illis* (lividis scil. & temerariis hæreticofabris) *literas ignorasse, & ab earum cognitione pro virili parte sua arcuisse alios, etiam infamarunt teterrimi criminis, ne quis vellet propius accedere, metu contagii. Ajunt linguas errorum esse velut quoddam seminarium - - Ceu verò in sermone sita sit hæresis, & non in intelligentia: an ideò erit fons culpandus si liquidior fluat & purior? Deinde cur potius vera & exacta latinitas*

Vives lib. II. de caus. corrupt. art. f. 363. opp.

tinitas hæreses adferet quam corrupta & neglecta? quasi non omnes penè hæreses è pravo sanctarum literarum intellectu nascantur, quod necesse est iis contingere, qui linguas eas ignorant, quibus Scripturæ sunt proditæ. Mirum ni Basilius, & Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus, quanto Ario eloquentiores fuerunt, tanto hæreticiores existimentur: tum Hieronymus hæreticus sit, qui latinos, græcos, hebræos, chaldæos scriptores plures evolvit, accuratius excussit, quam eorum qui post eum quisquam: nempe homo summa industria præditus, indefatigabili studio, & longa vita usus. Vigilantius verò, Jovinianus, Ruffinus catholici, qui minus græcè ac Latinè, quam ille noverant, & quos Hieronymus velut linguarum imperitos insectatur, tanquam errores ex ignorantia hauserint, & revera ita erat. Nam ut de aliis taceam, Vigilantius si scivisset, qui vocarentur hebraicè FRATRES, *& vim illarum vocum novisset* Primogenitus, *&* Antequam, *non illa adversus puritatem sacræ Virginis deblaterasset* Sed hæc, ejusdemque farinæ alia surdis semper excepêre auribus illi, qui furiali livoris œstro perciti optimos

ptimos doctissimosque omnes perditos cupivere, aut infami saltim hæreseos stigmate notatos, artium insuper lingvarumque damnarunt studia, *quoniam scil.* ut præclarè idem Vives ait, *TANTUM BONUM ALIIS INVIDERUNT. Profectò oportet eos esse pravissimos, ac impios, qui quod IPSI SINT CÆCI, nec alios communi hâc luce frui patiantur. Enimverò non tam ego de illis malè sentio, quamlibet sint imperiti, & ex iis nonnulli stupidi, ut credam hæc ipsos non assequi. Sed hoc eorum animos urit acritèr, quod vident adventu lingvarum non parum dignitati & gloriæ eorum detrahi, qui tam necessaria eruditionis parte carent. Ideò lingvas rem invisam sibi conantur cum hæresibus conjungere, re omnibus meritissimò invisa, quum natura & re sint disjunctissimæ, quod vel ipsi non ignorant pueri.* Et quamvis aliorum haudquaquam eò usque processerit furor, ut doctrinâ literisque illustres homines hæreticorum albo duxerint inserendos, probris tamen incessere aliis, lutoque suo obvios quosque conspergere non dubitarunt. Quippe artifex (*ut bellè ante laudatus Menzinus*) liventi oculo alium spectat artificem; imò Oratores damnant non-Oratores

Vives l. c. pag. 364.

Menzin. in Florent. l. c. c. 7. pag. 1.

ratores; poetas improbant non-poetæ, aut si quid utraque in facultate valent, cum egregiis certè hominibus nequaquam conferendi, quibus ut in honore sint, natura dedit ut excellant. Cujus quidem rei exemplum adscribere non verebor. Nostra vidit ætas Oratorem adeò egregium, atque omnibus eloquentiæ viribus ita instructum, ut in ipso Romanum Hortensium prudentes viri agnoverint & admirati sint. Et quamvis nullus faciei decor, nulla oris elegantia viro inesset, ut qui colore plumbeo, strabis oculis, distortis, divaricatisque cruribus; illi tamen tanta in dicendo majestas, hypocrisis tanta, ut quo ipse vellet, omnium animos facilè impelleret. Nihilominus diobolarii Oratores tanti viri culpabant eloquentiam, nare subsannantes, inflatis buccis explodentes: atque ex eorum numero impudentissimum quendam agnovi, qui uno & altero egregii viri audito verbo protinus veluti furore correptus, de celeberrimo conventu abiens, qua data porta erumpebat. INVIDUM ne dixeris, an imperitum? Eidem enim arti addi-

addictus, alterum dicentem ferre non poterat, aut saltem ea de causa patientem aurem commodare, ut ex alterius auditione & ipse in dicendo proficeret. Nunquid enim torqueri debemus, aut cepto itinere desistere, cum potiorem viderimus aliquem, & felicius eò pervenisse, quo & nos omni studio contendimus? Longè præstabilius esset ea nos assequi posse confidere, quæ tot ante nos Viri videantur assecuti. Sed & proximè nos antegressum seculum consimilia vidit livoris exempla: MARCUM ANTONIUM MURETUM ipsa sibi Galliam INVIDISSE, misisseque in exilium Samarthanus prodidit, quo etiam memorante GUILELMUS BUDÆUS plures tum in Italia, tum Germania habuit æmulos, qui pulcherrimam ejus DE ASSE operam sibi præreptam contenderunt, ipso ERASMO faces calumniæ admovente, QUI CUM (ut notanter ait Sammarthanus) OCCULTE Budæo principem in literis locum INVIDERET, cuniculis oppugnare non desinebat, donec pervicerit veritas, nec se opprimi passa sit mendacio. Simile prorsus eodem Scriptore perhibente fuit CHRISTOPHORO LONGOLIO fatum, quem ut ut Tullianæ eloquentiæ studiosiorem, Itali (nullum urgente livore in hoc

Scævola Sammarth. in elogiis illustr. Gallor. p. 3. 5. & 65.

laudis genere supparem ferre valentes) ut in sententiis exilem, & in verbis minimè luculentum prorsus sint aspernati. Neque à sævo hoc invidiæ joco PHILIPPUM COMINÆUM vindicare potuerunt illustria in Gallicam rem merita, cum ab occulta malevolorum conspiratione apud Regem in levitatis & perfidiæ crimen adductus, duram & iniquam teterrimi carceris calamitatem aliaque suis virtutibus indigna subiisset, nec ullus sui purgandi relictus esset locus, patronis adversariorum potentiâ deterritis, donec suam ipse causam in Senatu ageret, omnibusque Patrum conscriptorum suffragiis honorificè tandem absolveretur. Nostro etiam ævo nobilis ille Anglicani Regni Cancellarius FRANCISCUS BACO VERULAMIUS, invidiâ procurante à negotiis civilibus & vita activâ retractus, vel potius ab officio suo remotus, illustre literati hominis, à sociorum livore vexati dedit documentum.

Sammarth. l. c. pag. 6.

Conf. vit. Verulamii, opp. ejus præfix.

IX. Non autē honori solum, dignitati famæque clarorum virorum, verum etiam VITÆ ipsi invidos quosdam literatos insidiatos fuisse, tragicus Poëtæ illius exitus docuit, quem cœca olim Aridæi Macedonis & Crateva Thessali malitia miserrimè canum ministerio interemit, sicuti avorum nostrorum memoriâ Theophilus Demetrii Chalcondilæ filius, ingenio pariter ac eruditione præstantissimus juvenis, AB INVIDIS (Pierio teste) miserè est interfectus.

Carolus

Carolum quoque Molinæum, doctiſſimum ſuo ævo ICtum Pariſienſem per invidorum inſidias duram carceris moleſtiam perpeſſum fuiſſe, Sammarthanus prodidit. Et teſte Johanne Imperiali celebris ille Venetorum clarorum encomiaſtes Baptiſta Egnatius, educto ſenili gladiolo in Franciſcum Robortellum ÆMULUM SUUM impetum facere non dubitavit. Johannes Müllerus Regiomontanus, poſt Ptolemæum, omnium qui artes mathematicas tractant doctiſſimus, à Sixto IV. evocatus ut Calendarii emendationi, quæ jam tum agitabatur operam impenderet, Romæ ſtatim deceſſit, à Georgii Trapezuntii filiis VENENO petitus, ob LIVOREM ſcil. ut notanter ſcribit Thuanus, quod ille parenti ipſorum gloriam in magna Ptolemæi ſyntaxi illuſtrata præripuiſſe videretur. Quo non mortalium [cumprimis literatorum] pectora cogis, ô horribile INVIDIÆ tormentum! Ecquis piorum, Livorem cætera vitiorum monſtra (quæ Orbis Literatus alit) & protervià, & fœcunditate & virulentia ſuperare dubitaret? quis cum inſigni quodam philotheo non exclamaret: Quodnam invidià monſtroſius monſtrum aut quod damnoſius damnum? quæ culpabilior culpa, quæ pœnalior pœna? Hæc (addit idem) eſt erroneæ cæcitatis abyſſus, humanæ mentis infernus, contentionis ſtimulus, corruptionis aculeus, qui ſunt invidiæ motus, niſi humanæ (cumprimis literariæ) tran-

Jo. Pier. Val. lib. II. de infel. lit. p. 114. Samm. l. c. Joh. Imper. Muſ. Hiſtor. p. 61. Thuanus lib 76. & 90. Hiſt.

quillitatis hostes, mundanæ tentationis satellites, animæ laborantis hostes vigiles, alienæ felicitatis excubiæ. O portentosa invidia! ecquam humani corporis partem insidere Te dicam, ut sciri possit, quâ oppugnari, quâ expugnari queas, quâ sectione, quâ potione, quo igne quo ferro possis exscindi? Eone ex inferis emersisti, ut quicquid cuipiam benè est tuum supplicium faceres, quod cuique improsperè accidit, ex eo captares tua vesana & infelicia gaudia, operamque apprimè dares, ne bonorum aut doctrina virtuteque singulari conspicuorum ullus *coram Te consistere possit.* Superfluum omninò esset, plura ejus rei exempla notare, dareque documenta, quin etiam noxium videri posset atque damnosum, cumulandis iis, quæ impiè aliquando & malignè in eo genere admissa sunt diutius immorari. Ea quæ jamjam recensuimus exempla sufficere possunt ad persvadendum, muniri oportere hominis literati [cumprimis DEO sacrati] pectus adversus execrandam illam iuvidentiæ pestem, atque perniciosas adeò principis tenebrarum catapultas, quæ nunquam defuerunt, deeruntve, quamdiu per absentiam Domini permistim cum bonis degent improbi, quod eousque durabit, *donec veniat Dominus, ventilabrum in manu sua habiturus, ut discernat populum suum. Interim cum Hierosolymitis habitat Jebusæus.*

In

In grege Jacobi animalia alba & nigra. In agro Domini granum cum palea, ut ſcite ait Petr. Bleſenſis.

X. Veruntamen illud peroportunè accidit, cunctisque livoris pondere preſſis maximo eſſe poteſt ſolatio, quod ille ut plurimū CORAM SE IPSO STARE NEQUEAT, ipſe ſibi ſævum ſit & perpetuum tormentū, nec tamen ita ſe conficiat, ut non ſemper redivivus potensque ad ſeſe identidem excarnificandum compareat; ita proindè vivat LITERATUS INVIDUS, ut nullis vitæ frui poſſit commodis, ita rebus aliorum ſecundis agitetur, quaſi furiarum tædis ardentibus terreatur, ita deſipiat, ut nævos & turpes exorbitationes ſuas non animadvertat; ita ſit excœcatus, ut crimina ab aliis admiſſa aliis adſcribat, ac cæteris nihil, ſibi verò ignoſcat omnia, ita denique ſit comparatus, ut vix conſtet utrum vivis an mortuis ſit accenſendus. Quo ipſo ex capite juſtá eſſe invidiam ait Gregorius Nazianzenus, quod in artificem & parentem ſuum ſæviat, eique notabile fiat tormentum, juxta illud à S. Hieron. ex quodam [ut ait] neoterico laudatum: *Gregor. Nazian. Orat. 27. Hieron. in c. V. ad Gal.*

Juſtius invidia nihil eſt, quæ protinus ipſum
Authorem rodit, diſcruciatq; animum.

Nec malè Horatius:

Invidus alterius rebus marcessit opimis:
Invidiâ siculi non invenêre Tyranni
Tormentum majus - -

Naso insuper cum Virgilio livoris imaginem effictiurus, mulierem caliginoso loco obscuroque & ab omni hominum frequentia remoto sedentem, ac se ipsam flagellis occultis semper dilacerantem suoque vitio contabescentem repræsentavit. Iisdemque ferè coloribus priscæ Ecclesiæ Doctores infernalem illam furiam depinxere. Audiamus Cyprianum pessimi hujus sceleris litanias hunc in modum decantantem: Qualis animæ tinea est invidere in altero virtutem ejus aut felicitatem, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, aliorum gloriam facere suam pœnam, & velut quosdam pectori suo admovere carnifices, & cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungvibus pulsent. Miserabilior, quam ille cui invides, & non illi sed Tibi noces, &c. Non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper, & gemitur & doletur, dumque ab invidis nunquam livor exponitur,

Cypriano lib. de Zelo.

nitur, diebus ac noctibus ſine intermiſſione pectus obſeſſum dilaniatur. Mala cætera habent terminum, & quidcunque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro, in latrone conquieſcit zelus homicidio admiſſo, & prædo capacitatem finit poſſeſſa præda, & falſario modum imponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum eſt. - - Vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, &c. *Baſil. M.*
Nec minus luculenter Baſilius MAGNUS *homil.* 11.
Nihil (ait) mortalium animis invidiæ perturbatione pernicioſius contingit, quæ ante omnia ipſi nocet authori, aliis verò quam minimum. Quemadmodum enim venenum ferrum, ſic invidia hos qui eam poſſident conſumit atque vaſtat. Magis autem, ſicuti viperas dicunt abrupto matris ventre naſci, ſic & invidia concipientem ſe animam, corrodere ſimul ac tabefacere ſolet. Unde colligit Baſilius, quanto horrore homo præſertim Literatus ferri debeat in vitium adeò tetrum ac virulentum,

 quod

quod non malè tineæ idcirco aut teredini quidam comparārunt. Sicuti sc. cæteræ res ab insito aliquo perire soleant vitio, ut à ferrugine ferrum, à tineis vestes, à teredine lignum; ita livor, morbus ille Literarorum pessimus non quidem alienis, sed propriis suis telis jure meritoque sit conficiendus. Et quemadmodum Hiarbita Maurus, dum Timagenem Philosophum æquare vellet concionantem & non posset, præ invidiâ crepuit, juxta illud Horat. 1. Epist:

Rupit Hiarbitam Timogenis æmula lingua
Dum studet urbanus tenditq; disertus haberi;

Ita literatis plurimis livor mortis, extremique exitii causa extitit. Optimè hinc Augustinus livorem odio sociatum navi fluctibus assiduis jactatæ semperque perturbatæ, lupo item immaniter insanienti comparavit; Chrysostomus Dæmoni; Alii Polypo pisci, qui propria subinde membra corrodat; Tigridi item, quæ se ipsam occidere soleat, eò solum, quia citharæ concentũ ferre non potest; viperæ, quæ perrupto matris utero nascitur; atque hanc justissimam pœnam lividis omnibus divinitus constitutam esse rectè quidam censuerunt, ut istâ corrupti labe gravissimè afficiantur, eorumque animi perpetuò crucientur. Pulchrè admodum

August. Epist. ad Jul.

dum sciteque Valerianus; *Felicem planè* [ait] *illum judicio, cujus gloriosam vitam torvis oculis alter aspexit. Nam satis bono loco est illius causa, qui alienâ laborat invidia, quia non livet homo nisi melioribus, nec invidiæ subjacet, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus evexerit. Illos verò plusquam miseros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant, & iracundia, impia æmulatione concepta, occultis cordis jaculis inquietat. Benè istos sua tela puniunt. Ut videatur mihi ipsa invidia aliquid habere discretionis, cum authoris sui cor repercutit, & malè conscium pectus cruento semper livore consumit.* Notanter etiam Hieronymus, illum Ecclesiast. locum: *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas*; invidorum suppliciis voluntariis applicans, *Qui alienæ* (inquit) *felicitati invidet, & quasi spiritu furoris raptatur, & invidiam in sinu suo receperit, nutrieritq́ eam in pectore suo, ille comedit animam suam & carnes suas. Quanto enim eum cui invidet feliciorem videt, tanto ipse amplius contabescit & deperit, & paulatim zelo ac livore destillat.* Abominabili sanè, nec unquam au-

Valerianus hom. 13.

Ecclesf. IV. ỳ. 5.

S. Hieron. ibid.

ditæ

ditæ ſubjaceret infirmitati is, qui viſo ſodali ſano atque robuſto, ipſe propterea macer fieret, & nihilominus, ut canit Poëta:

Invidus alterius macreſcit rebus opimis.

Hujusque farinæ hominem literatum culpâ livoreque ſuo longè miſerrimum, Pet. Bleſenſis hunc in modum reprehendit: *Qui adverſus innocentiam tuam erigebat tormenta invidiæ, ſuum gerebat in mente tortorem. Nam juxta verbum ethici, juſtius invidia nihil eſt, quæ protinus ipſum authorem torquet, decrucians animam, nonne tormenta ſunt, ex bonis aliorum marceſcere, ægreſcere, deperire?* Eandemque invidi doctoris ſtultitiam inſinuans Bellovacenſis; *O inſania* [ait] *& ſtultitia! invidia de alieno vulnere, ſuum vult ſanare vulnus, ſanitatem quærit in aliena infirmitate, bonum in alieno malo, quod idem eſt ac ſi quæreret ignem in aquâ, & aquam in igne, in ſpinis uvas, in tribulis ficus.* Ipſeq; D. Aurelius Auguſtin. invidum quendam fratrẽ efficaci ſermone ſuo curaturus, *tormentum* ajebat *ſine refrigerio, laborẽ ſine reſpiratione, pœnam ſine intermiſſione, famem ſine ſaturitate ſemper habere videris. O invide vermis, mortifere, qui in hedera Jonæ quotidie*

Pet. Bleſ. epiſt. 80.

Bellovac. Spec. mor. lib. III. p. 4. diſt. 1.

Auguſt. Serm. 18. ad fratres.

tidie nasceris. O igneus serpens, quo populus Israel pungitur! Quantumvis igitur vitia omnia sectatorum suorum sint carnifices, nulla tamen noxa ita reum cruciat, uti livor invidum; *Torquens scil.* [dicente Chrysologo] *ejus animum, discrucians mentem. Hunc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia semper in se domesticum diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est, ubi cruciatus est aliena felicitas.* Neque verò aliunde dolor ille provenit, quam ex corrupto de bonis nostratibus judicio, ea enim si invidus minoris faceret, & pro mensura tantum perfectionis, quâ reverà prædita sunt æstimaret, labe ista neutiquam pollueretur, adeoque Literatus scientiæ nostratis tenebricositate perspectâ, alteri ob eam neutiquam esset invidus, etiamsi Gregorius Nazianzenus *doctrinam rem omnium invidiosissimam* nuncupare non dubitaverit.

Chrysol. Serm. 172.

Gregor. Nazian. Orat. xx.

XI. Ast miseros istos suæ nequitiæ suisque pœnis atq; suppliciis relinquentes, mala porrò damnaq; gravissima ad animum nobis revocabimus, quæ nullo non tempore etiam Literatos sociorum invidiâ exagitatos pressosque exercuerunt, atque turbarunt tantoperè, ut [juxta laudatum Salomonis judicium] *coram invidiâ consistere nequiverint.* Utut enim optimis Viris bona atque commoda singularia invito livoris ipsiusmet ministerio tribuantur, venenataque

taque invidorum ſpicula in egregiæ virtutis trophæa ſæpiſſimè convertantur; non leves tamen moleſtiæ imò horrendæ tempeſtates iis omni ævo fuerunt ſubeundæ, quos invidorum malitia omni conatu opprimere atque è medio tollere laboravit. Livor (præclarè dicente Zenone) *ipſa Naturæ jura confundit, ſive leges ejus* (Chryſoſtomo interprete) *à ſuis compagibus motas revellit, mortique valvas adaperit.* Quid mirum itaque, quod tantæ calamitates hactenus omnib9 iis quos aliena infeſtavit invidia, fuerint devorandæ? Si invidus contra ipſos fratres, ſive ſanguine junctiſſimos armare ſe ſatagit (quod cumprimis exemplo Caini, Eſavi, fratrumque Joſephi patuit,) quomodo mitius aget cum aliis, ad nullam equidem charitatis ſive honeſtatis reſpiciet legem, dummodo ſuam explere poſſit malignitatem. Ingenioſè nonnulli obſervant, quod eo præcipuè tempore Joſephi fratres in necem eius conſpirarint, quo ipſe cibum iiſdem attuliſſet. *Cum vidiſſent illum* (ait Chryſoſt.) *procul venientem ipſisq́; cibum afferentem, inter ſe dicebant: Venite interficiamus eum &c. Ut fratrem non reverearis, neque naturam agnoſcas, certè menſam ipſam conveniebat revereri, ipſumque miniſterii officium, quandoquidem aliturus Te veniebat.* Tantum itaque abeſt ut ſuis lividus [etiam literatus] parcat benefacto-

Zeno Serm. de livore & invid.

Chryſoſt. hom. 7. in Ep. ad Rom.

factoribus, ut potius extremũ iisdem exitiũ machinetur, ad veterũ sc. pharisæorũ exemplum, qui eo ipso tempore de interficiendo Christo inter se consultarunt, quo ipse claudum quendam sano gressui restituit, cum potius ardenter eum rogare debuissent, ut se erga illos beneficum exhibere pergeret atque continuaret. *Euntes autem pharisæi* (inquit Evangelista) *concilium faciebant adversus eum quomodo perderent*. Scitisne *causam*? (quærit Chrysostomus,) *multo magis aliena gloria offendit invidos, quam proprium damnum, collata beneficia eos magis irritabant*. Ac licet salus publica in privatorum etiam redundet emolumentum, parum tamen de eo procurando atratus frater esse videtur sollicitus, dummodo suis indulgere possit affectibus, & neminem non de publicâ re præclarè meritum supplantare, ut ipse solus ab omnibus in pretio habeatur. SOLI inquam *Literati invidi* esse volunt, ceu SOLES, ast nimioperè utplurimum in SOLITUDINE ista appetenda errare solent. Sicuti Angelus apostata Luciferi dignitate splendoreque neutiquam contentus, increatum illum Solem h. e. DEUM referre studuit, moxque factus est Princeps tenebrarum ex principe lucis; ita qui instar Solis in erudito Orbe soli sapientiæ & gloriæ luce splendere volunt, plusquam cimmeriis plerun-

Matth. XXII. ℣. 14.
Chrysost. hom. 22. in Joh.

runque involvuntur tenebris, instar LUNÆ magis magisq; decrescentes,& instar cœcorum omni luce æternum destituendi. Dum omnium sapientissimi haberi voluerunt, evadunt stolidissimi, ut *stulti* [dicente Ecclesiaste] *ambulantes in tenebris.* Labor stultorum ut Syracides ait, affliget eos, labor scil. quo rixas contentionesque quotidianas generant, alienam famam semper lacerant, non tamen apertè sed occulte cœcisque viis, & improbissimis quibus plurimum possunt artibus, nimirum ut stulti ambulantes in tenebris, lucisque salutiferæ usurâ carentes. Hoc ipso [inquam] morbo laborantes literati quidã, felicissimos aliorum success⁹ virtuti singulari respondentes, limis intuẽtur oculis, atq; Viros de publica re præclarè meritos immani invidiâ de felicitatis sede deturbare, nullisque non afficere solent contumeliis. Cum post gravissimos pro patria labores exantlatos, nobilissimasque victorias reportatas, livoris nefarii telis petitus esset Scipio Africanus, ingratis concivibus haud immeritò illud crimen hunc in modum exprobravit: *Cum totam Africam vestræ subjecerim potestati, nihil ex ea quod meum diceretur, nisi cognomen retuli. Non igitur me Punicæ, nec fratrem meum Asiaticæ gazæ avarum reddiderunt, sed uterq; INVIDIÆ magis, quam pecuniâ locupletior.* Ita Scipio; quem haud ma-

Valer. M. lib. III. c 7.

lè Li-

lè Literatus de publica re optimè meritus, aſt alieno livore infeſtatus, hunc in modum imitabitur: *Cum arduos maximè pro publicæ & literariæ rei emolumento labores exantlaverim, nihil ex iis quod meum diceretur, niſi nomen famamq; (ſeu fumum potius) retuli, INVIDIA magis quam honore & pecunia locupletior.* Quem ipſum invidiæ ſtimulum & aculeos ævo ſuo ſentiens D. Hieronymus haſtam propè abjiciebat, ægreque adducebatur ut ſcriberet amplius, animi ſui ſenſum, cur tam diu laborare detrectaſſet aperiens hunc in modum: Accedunt ad hoc INVIDORUM ſtudia, qui omne quod ſcribimus, reprehendendum putant, & interdum contra ſe, conſcientia repugnante, publicè lacerant, quod occultè legunt: in tantum, ut clamare compellar & dicere: Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingva doloſa. Tertius annus eſt, quod ſemper ſcribitis, atque reſcribitis Eſdræ librum & Heſter vobis de Hebræo transferam: quaſi non habeatis Græca & latina volumina, aut quicquid illud eſt, quod à nobis vertitur, non ſtatim ab omnibus conſpuendum ſit: fruſtra

Hieron. præf. in Esdram ad Domnion.

NB.

autem (ut ait quidam) niti, neque aliud fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obſecro vos, mi Domnion, & Rogatiane chariſſimi, ut privata lectione contenti, libros non efferatis in publicum, nec faſtidioſis cibos ingeratis, vitetisque eorum ſupercilium, qui judicare tantum de aliis, & ipſi facere nihil noverunt. Ita notanter Hieronymus, qui tamen ſub ejusdem epiſtolæ finem animum adverſus objectas ab invidia moles rurſus erexit obfirmavitque, ſic ſcribens: Itaque licet hydra ſibilet, victorque Sinon incendia jactet, nunquam meum (juvante Chriſto) ſilebit loquium, etiam præciſa lingva balbutiet, legant qui volunt, qui nolunt abjiciant, eventilentq́; apices, literas calumnientur, magis veſtra charitate provocabor ad ſtudium, quam illorum detractione & odio deterrebor. Aſt cum minutiores timidioresq; literatorum quorundam animi malignitate adverſantium preſſi facilè concidant, hinc ſæpè accidit, ut ſcriptores idonei à labore ſcribendi, & communis boni ſtudio avertantur. Sunt porrò qui Invidiæ virus occulti odii loligine mixtum, ſingulari vafricie obtegere laborent, admiſcentes nimirum aliquam aſperæ cenſu-

censuræ laudationem, amicitiam simulantes dum necant, latus ense aperientes dum osculantur, perniciem procurantes, dum benevolentiæ præ se ferunt speciem, blandi trucidatores! quos ævo suo jam novit atque haud abs re atro carbone notavit Petrus Blesensis hunc scribens in modum: Si opuscula mea in manu Æ- *Pet. Bles. Epist. 91.* MULI quandoque sinistro devolvantur eventu, bona (inquit) hæc essent, si authoritates quas ipse adaptat sederent competentius, aut materiæ responderent: Sic in scriptis veterum plerumque describitur invidia, & venenosa malitia detractorum: Julium Fortunatum fateor Virum fortem, qualiter tamen judicium repetundarum evaserit, miror. Publius Antonius elegantissimè postularet, nisi quod prævaricatus est in causa Lucilii. Ecce quomodo invidia mel intoxicat, & dum aliena virtute torquetur, bonum quod apud se non invenit, malitiosè depravat. Opinionis enim alienæ dispendium suæ famæ reputat lucrum, totumque sibi detrahi credit, quod ad titulos vicinæ bonitatis accedit. Tantùm verò abest ut ea mellis admistio atræ illius loliginis turpisque livoris sit expurgatio, ut potius aggestio sit & cu-

mulatio odii, proprio ut plurimum gladio sese jugulant astuti illi laudatores, nec prius mustea convicia in alios [urgente livore] jacere desistunt, quam universo Orbi demonstrent se non candidos esse & veraces, sed mendaçes, non eleganter doctos, sed malè coctos, non justos censores, sed omnium reprehensores.

XII. Abominabilis itaque INVIDIÆ malignitas potissimum cognoscitur ex eo, quod gravissimam inter LITERATOS homines ODIA concitare soleat, vel potius illa sensim [ut nonnemo monuit] ex invidia configurentur. ODIA inquam non levia aut vulgaria, sed vehementissima, implacabilia, & quæ sæpè parum ab ipsâ mentis alienatione distare videantur. Consultum siquidem est Satanæ, ita depravari, tantopereque mutuis inter se odiis exerceri doctissimos mortalium, ut similes evadant navi, assiduis jactatæ fluctibus, lupis immaniter insanientibus, polypo pisci propria subinde membra corrodenti, imo ita tandem dementententur, tamque vesani reddantur, ut contra insensata ipsi pariter insensati irascantur, nec solum occultas & latentes, verum publicas etiam, pertinaces, omniumque conspectui expositas foveant simultates, imò tristi suo doceant exemplo, literatorum mutua odia internecinasque hostilitates sæpè gravissimis ansam dare calamitatibus, neç non pro seminario atq; radice infinitarum miseriarum es-

se

ſe habendas. Nonne experientia magiſtrâ hactenus abunde didicimus, literatorum plurimos vix ſine odio ferre vel leviter à ſe diſſentientes, & ſi quis ea quæ ipſi vel ore vel ſcriptis prodidêre, non ad crepitum digiti tanquam prætoria quædam edicta amplectatur, eum odiſſe jubeant, atque promiſcuæ etiam plebis in caput innocentis internecinum odium acuant. Neque verò nobis nunc ſermo de odio eſt quod ſecta in ſectam exercet,& quod in eluceſcentem veritatem ſemper fuit paratum, ſed quod LIVORE [imò ipſo dæmone urgente] inter fidei ac profeſſionis unius ejusdemque viget ſocios, anſamq; malis innumeris ſubminiſtrat. Narrat Herodotus Pſyllis populis aquas exſiccatas fuiſſe flante auſtro, illi ergò indignati, contra hunc ventum publico concilio coacto quandam ſuſcepêre expeditionem, ſed cum exercitus eorum ad campos quoſdam arenis refertos veniſſet, in quibus ventus ille arenas quaſi undas convolvendo vim ſuam valdè exercere potuerat, mox illum miſerè obrutum atque ſuffocatum fuiſſe; Ita ſanè eruditorum plurimi internecino odio, ac continuo vindictæ appetitu, graviſſimas ſibimet ipſis miſerias & fulminantes concitant calamitates, ut proin rectè Menander odio flagrantem hominem (præſertim doctum) SUI IPSIUS graviſſimum hoſtem nuncupaverit; aliorum verò, à quibus nullo unquam verbo læſus fuerit aut facto, car-

Herodot. lib. IV.

nificem truculentum, ſiquidem alienis malis atræ illius loliginis ſucco tincti plerumque intendant. Quemadmodum enim vultures pratis relictis amœnis, ad tabida loca feruntur, muſcæ deſertis membris ſanis convolant ad ulcera, ſues luto exultant, ſcarabæi ſtercore nutriuntur, noctuæ denique ſectantur tenebras, ſic & odibiles illi odioſique in rimandis aliorum defectibus unicè deſudant, luto quosvis conſpergunt obvios, ac ſi domi ſcholas ſuas perdiderint, alibi novas quærunt per quæſitas aliorum criminationes, occultè frequenter nocentes lædentesq; imò ſollicitè curantes, ut inter atrocis impoſturæ & audacis impudentiæ parietes furtim elabantur. Cum enim bonæ deſunt artes, tunc neceſſe eſt ad dolos verti & fallacias, ut odio interno æſtuantes literati externa tamen ſpecie benevolentiam ſimulare conitantur, ſuamque indignationem in latebris cordis ſervent occluſam, donec eandem aliquando furiali quopiam affectu manifeſtare poſſint.

Prov. X. verſ. 10. RIXAS *ſcil.* (dicente Regum ſapientiſſimo) *ſuſcitantes, ex quibus facile cædes ſequantur*, ſaltem acerbæ adeò ſimultates foveantur inimicitiæq; ut vix ullus amplius locus chriſtianæ ſuperſit reconciliationi. Unico id ipſum eoq; illuſtri exemplo comprobabim⁹, nempe Claudii S. qui in Dan. Heinſium ex eo tempore pluſquã vatiniano flagravit odio, quo ipſi non per omnia fuit adſtipulatus, tantumque abfuit, ut poſt ad-

miſ-

missum crimen aliquâ ductus sit pœnitentià, ut sæpè etiam admonitus, quam prius admiserat odii pestem graviore culpa cumularit. Et cum post multos annos fatigatus videri posset exercendo injusto hoc odio, adeoque vel sponte ab eo desistere debuisset, ab ipsis Academiæ Curatorib⁹ ut desineret, vix tandem fuit permotus. Postea verò novo majoriq; in Heinsium odio & invidia incitatus, quod prior criminatio fidem non invenisset, odiique sui causam nec dum quibus volebat probasset, neutiquam ad erroris sui cognitionem per Theologos adduci potuit, qui ipsum cum Heinsio reconciliare statuerant, nec effecêre illi aliud, quam ut multò reddiderint ferociorem, adeò ut fide dignissimi viri affirmarint, mortem ei obtigisse dignâ vita quam egerit turbulentissimam, plenissimamque odii & indignationis. Tantum sc. abest ut circa vitæ finem diu inveterata odia ocyus possint eradicari, ut potius majores tunc consequantur vires, & non nisi cum ipsa animâ soleant exhalari. Discant hinc mortalium doctissimi citò ea quibus aliquandiu flagravêre deponere odia, ne & ipsis exitus adeò turbulentus, odiique & obtrectationis plenus obtingat. Et quomodo proximum quis salvâ odisse posset conscientia, quem DEUS ad beatitudinem ordinavit, gratiæque suæ & donorum copiosiori scatebrrâ recreavit? Si aliquid ipsi insit mali, commiseratione longè dignior erit quam

Vid. Author. Animadvers. in quædam capp. 1 & 2. Specim. Sal. ed. Hagæ 1657.

August. l. 1. de serm. Domini in monte, c. 34. *Boet. de Consol. Philos. l. 4. pr. 6.* *Prosp. Sent. 1.*

odio, *ægrotus enim est,* (ut ait Augustinus) *parvulus vel phreneticus. Quis nisi stultissimus* (scribit Boetius) *Bonos oderit? malos verò odisse ratione caret. Nam sicut corporum languor, ita vitiositas est quasi morbus animorum, cum ægros corpore, minimè dignos odio, sed potius miseratione judicemus; multò magis non insequendi, sed miserandi sunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas.* Illud quoque D. Prosperi cogitandum: *Nemo non prius in se quam in alium peccat, imò gravius se lædit quam alium*, nimirum si invidiæ locum det odio semper sociatæ.

XIII. Quantumvis verò christiana Religio omnem INVIDIÆ odii & æmulationis ignoret mordacitatem, tristia tamen illa, quæ quarto & quinto commentationis hujus numero exhibuimus commemoravimusq; exempla abundè docent, non paucos ex ipso Virorum ecclesiasticorum ordine, diro ac furiali livoris abripi impetu, EOSq; etiam infelici illo glaucomate fascinari, qui proprio humilitatis, modestiæ & charitatis exemplo prælucere deberent omnibus, cavereque sollicitè, ne dæmonis astutiâ ipsi agantur in transversum, atque livore nefario occupentur perdanturq; penitus. Quo altiori theatro virtus suum decus

in Ecclesia Christiana explicavit, eò sublimius quoque ipsa INVIDIA conscendit, pestiferaque adeò inter ipsos DEI Legatos odiorum ac simultatum sparsit semina, quæ nulla deinceps arte industriâque extirpari potuêre. Hinc Doctor mellifluus, quosdam Clericos livore corruptos graphicè delineaturus; *Illi* (inquit) *qui regere gregem debuerunt per viam salutis, facti sunt laqueus & ruina in præcipitium damnationis, ex ipsis FLAMMA INVIDIÆ erupit, sicut in Job legitur: Ignis de cælo cecidit, & tactas oves pierosq; consumsit.* Cujus farinæ homines ecclesiasticos suo etiã ævo probe novit sanctissimus Ephræm Syrus, suisque illos depinxit coloribus ad hunc modum: SPECIE QUIDEM & apparentia Mundo renunciavimus, reverâ autem quæ Mundi sunt curamus, nec habemus, quo nos excusemus. Habitu monachi sumus, sed moribus crudeles quidem & inhumani, habitu humiles, & moribus pestiferi ac scelerati, habitu religiosi, & moribus exitiosi, habitu amici, & moribus inimici, habitu gratiosi, moribus odiosi, habitu exercitatores seduli, moribus ignavi athletæ -- habitu mites, moribus arrogantes, HABITU AB INVIDIA ALIENI, MORIBUS INVIDI & HOMICIDIq;, &c. *Et unde quæso accidit nos tales esse, nisi inde, quod mutuam inter*

Bernard. hom. de duobus discip. eunt. in Emaus.

Ephram. Syrus To. I. opp. fol. 97.

N.B.

nos dilectionem perfectam non habeamus? nisi quia vera in nobis humilitas non est, nisi quod præ oculis Timorem Domini non constituamus? quodque salutaria DEI præcepta despiciamus, ac pro nostro ea arbitrio detorquemus, & pro nugis existimemus. Raphanum adeò vitibus inimicum esse constat, ut si in vicinia earum seratur, procul diffugiant atque disspareant; Spini & sali aviculæ sunt cæterum commemorabiles, & in posterum longissimè prospicientes, sed quæ tam acerbis etiam post mortem inter se flagrant odiis, ut si quis earum sanguinem in eodem vase permisceat, coire aut congelascere nequeat, haud dissimile quidpiam in fratribus Eteocle & Polynice visum bello Thebano fuit, qui cum vivi distractis fuissent animis, regnumq; divisuri, mutuis sese vulneribus confecissent, unus rogus ne cadavera quidem ipsorum pati conjuncta potuit: Annon pariter dispares & remotissimâ intercapedine disjuncti Clericorum quorundam sint animi, viderint alii. Experientia magistrâ hactenus abundè didicimus, pestilens invidiæ virus in diversas transfusum Ecclesias, & misera livoris mancipia eos sæpè effectos fuisse, qui præ cæteris isto carere vitio, cunctisq; rectè vivendi & loquendi rationem præscribere debuissent. Quot modis obsecro ecclesiasticorum malevolentia mutua huc

usq;

usq; se exeruit, quantam donorum & charismatum varietas passim concitavit & quam turpem pudendamq; æmulationem! *Quæ nobis arma non intentavit* (scitè modo laudatus ait Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, Ephræmus,) *inimicus, quibusq; fraudibus & dolis nos vincere & occupare non est conatus? Heu mihi quis impendentia nobis mala non deploret? Cum enim angelicum feramus habitum, unà cum diabolo militiam gerimus, habitus quidem est angelicus, at vita mundana. Nunquid inter angelos in cœlis contentiones vigent & ÆMULATIONES, sicut nunc inter Monachos* (Ecclesiasticos) *videmus? Radices quippe inter eos egit æmulatio & INVIDIA atq; obtrectatio - - Propterea RIXÆ atque dissensiones sunt inter illos. Heu mihi quis non suspiret, quis non lugeat? quo pacto angelicum hunc ordinem confudimus?* Corpora cœlestia alia aliis inferiora minorique lumine à DEO donata sibi mutuo neutiquam invident; non Luna Soli, nec Terra quamvis infima & pedibus calcetur, Cœli convexis; non Terræ Oceanus; ast per Clericorum cœtus, arctissimaque spiritualis vinculi necessitudine junctissimos animos mira sævitia hoc monstrum grassatur, & alienum bonum

Ephræm Syr. Tom. I. opp. fol. 97.

suum

ſuum facit INVIDENDO peccatum. Nihil hîc intereſt, verumne ſit illud an apparens, æque hoc ac illud plurimos ad invidiam concitat, & quod nusquam occurrit, multoties vident lippientes oculi, licet id ipſum ſinceritati hominum DEO ſacratorum (qui gloriam SS. Numinis rebus omnibus anteponere deberent) apprimè adverſetur, imò ſummam illi inferat injuriam, & litem quaſi intendat, ac ſi minus prudenter dona ſua diſpenſaret, denique maximè impediat, quo minus in ſua conditione quis acquieſcat, quæque habet dona iis haud frui videatur. Quodſi inſuper mala, dolores ac cruciatus commemorare velimus, quibus omni ævo Viri in eccleſiâ chriſtianâ etiam primarii urgente aliorum [atque ipſorummet fidei ac profeſſionis ſuæ ſociorum] livore ſunt affecti, ampliſſimus nobis diſſerendi campus pateret. Satis equidem conſtat integras Eccleſias turbone iſto ſæviente fuiſſe ſubverſas, optimos & digniſſimos Antiſtites miſerè vexatos, & à ſedibus ſuis deturbatos, auream concordiæ eccleſiaſticæ catenam diffractam, denique ſummis & fulgentiſſimis Doctoribus plusquam diabolicas inſidias ſtructas, mortemque interdum ſive violentam, ſive præmaturam fuiſſe acceleratam. Non eſt quod aliquis exiſtimet (*optimè ait Cyprianus*) malum iſtud unâ ſpecie contineri, aut brevibus

Cypriano l. de Zelo n. 13.

bus

bus terminis, & angusto fine concludi. Late patet multiplex & fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo hoc excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, DEI timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque schismata prosilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, AUT DEDIGNATUR ALTERUM FERRE PRÆPOSITUM.

Confer Basil. Seleuc. orat. 42. sub. fin. & P. Blesens. epist. 87. Carbonen lib. de amore fraterno, c. 4.

NB.

TUM. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate & livore, non hominis sed honoris inimicus. Eadem mala quæ invidiam [cúmprimis Clericorum sive ecclesiasticorum] catervatim stipant altius expendens Gregorius Nyssenus, haud immeritò pseudofratrem atro livoris colore tinctum longè deteriorem eo qui apertè odit, pronunciavit : Nemo arbitretur (*ait*) me iræ injucunditatem, quæ ex odio designatur, gravissimam & atrocissimam putare, videtur enim mihi INVIDIÆ atque simulationis (*præsertim inter ecclesiasticas personas succrescentis*) vitium memorato morbo multò gravius esse; quantò occultum malum etiam aperto atrocius est. Etenim ex canibus eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præsignificat, neque ex adverso incursus est: Sed miti pariter ac mansveto habitu non prævidentes, neque circumspicientes nos observant. Tale est invidiæ atque simulationis vitium, in iis quibus intrinsecus quidem in profundo cordis odium veluti ignis quidam latenter fumigat, externus verò vultus, ad

Gregor. Nyss. orat. 7 in beatitud.

ad amicitiæ simulationem effingitur. Quemadmodum autem ignis si sub paleis occultatus sit, initio quidem proxima quæque cremando corrumpit, flammâ verò palam non editur, sed fumus quidem gravis & acris odoris, intrinsecus violenter coarctatus evolvitur: quod si aliquem flatum permeantem nactus fuerit, tunc in claram pariter & apertam flammam excitatur. Itidem invidia quoque, cor quidem veluti palearum quendam acervum condensatum ignis in modum peredit & absumit: ac morbum quidem præ pudore occultat, non tamen penitus in perpetuum abscondi potest, sed veluti fumus quidam gravis & acerbus, acerbitas invidiæ in iis, quæ circa habitum accidunt, apparet. Sed & alium æque notabilem Nyssenus adjecit malorum ab Invidiâ profluentium syllabum, ut scil. ostendat quam turpe sit, quamque homine [præsertim DEO sacrato] indignum tantam virulentiam etiam pietate prætentâ velle obductam. Præclarè admodum pientissimus ille Syrus Ephræm; *Grave* (inquit) *& pestiferum est INVIDIÆ & æmulationis venenum, unde detractiones ac odia pullulant. Procul igitur ab hoc*

Ephr. Syrus Tom. I. opp. fol. 37.

hoc teterrimo vitio fugite, qui vos cives Sanctorum & DOMESTICOS DEI (ΟΙΚΟΝΟΜΟΥΣ ΤΩΝ ΜΥΣΤΗΡΙΩΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ) *profitemini, procul à vobis omnem Invidiam ac æmulationem depellite, ne simul cum diabolo damnemini.* Nec minus religiosè Basilius Magnus; *Fugiamus ergò* ait *FRATRES intolerabile malum, serpentis id est præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cælorum privatio.*

Basil. M. in homil. de invidia.

XIV. Abhorreat igitur juxta saluberrima tantorum Doctorum monita quilibet pietatis eruditionisque solidioris cultor ab isto ingenii diabolici vestigio, sique ad veram sempiternamque aspirare velit felicitatem, omnem Invidiæ atque æmulationis mordacitatem ignoret. Quis obsecro, sive Literatotum sive etiam Ecclesiasticorum, probè perspectis tristibus invidorum casibus atque ruinis, locum facilè livori concedat pudendæque æmulationi? Equidem si consideret non tam donorum mensuram apud DEUM valere, quam fidelem eorundem usum & applicationem, insuperque expendat, quam parca manu aliis sua DEUS dispensarit, cunctaque ex gratia non autem ex merito sit elargitus, ipse obligatus nemini, si-

deníque sedulo pensitet mala è putidissimo Invidiæ livorisq; maximè perniciosi fonte promanantia, omni studio vitii illi[9] abominabilis malignitatem evitabit, eamque christianæ sinceritati [quâ gloria DEI rebus omnibus anteponenda] prorsus repugnare existimabit, siquidem impediat, quo minus quis in sua conditione acquiescat, pacemque & optatam animi obtinere queat tranquillitatem. Ut enim invidia pacem, sic pax omnem tollit atque eradicat æmulationem; *tantoq; magis* [dicente Gregorio] *proximum quis diligit, quanto minus ex profectu illius sua damna pertimescit.* Sincera igitur dilectio proximi non solum omnem è nobis invidentiâ expellet, verum etiam gratiam majorem atq; benevolentiam conciliabit. Adversus invidiam (scribit Isidorus) charitas præparetur, innuens, illi qui monstrum hoc ab animo suo eliminare velit, non opus esse ferro, nec ut lorica accingatur, vel galeâ caput suum contegat, sed solum ut cor ejus sincera ardeat charitate, cujus praxin egregiè commendaturus D. Chrysostomus, hisce notatu dignissimis usus est verbis: *Non es dicendo* [scribendo, agendo] *laudem assecutus, dum tamen alteri gratularis, majorem es laudem adeptus quam ille; si enim CHARITAS est res magna & caput omnium, tu eam, quæ ex ipsa paratur accepisti coronam; ille eam quæ acquiritur ex arte*

Greg. M. lib VII. mor. c. 31.

Isidorus II. Synon. c. 8.

Chrysost. homil. xi. ad Coloss.

Ll *dicendi,*

dicendi, tu eam quæ acquiritur ex vehementi amore. Ille ostendit vim verborum, tu per facta dejecisti INVIDIAM, & conculcasti livorem, quamobrem multò magis quam ille fueris coronatus; certamen tuum est præclarius, non solum conculcasti invidiam, sed etiam maj⁹ aliquid fecisti, ille unã solum habet coronam, tu verò duas, & duas illas unà splendidiores. Quænam sunt hæ? unam suscepisti adversus invidiam; altera est quâ fuisti redimitus ex charitate, non enim collætari solùm est indicium quod sis mundus ab invidia, sed etiam quod habeas charitatem quæ radices egerit. Nec minus præclarè alibi idem Chrysostomus; Etiamsi (ait) nihil aliud egeris, lætatus sis autem ob ea, quæ facta sunt, sic quoque non parum fuisti socius, attulisti enim charitatem, quæ est summa bonorum omnium. Nam qui flent, videntur esse luctus participes, & iis qui lugent multum gratificantur, & doloris multum adimunt, multò magis etiam qui lætantur majorem afferunt voluptatem. Aliud insuper remedium literato DEOque sacrato homini adversus exitiosam invidiæ pestem sit in promptu, *cordis nimirum animiq; à temporalibus ad bona æterna frequens assiduaq; sublevatio*; quando enim piè eruditi caduca ævi præsentis bona eo loco habuerint, quo

quo merentur haberi, vix unquam gliſcens livoris ſcintilla flam̄am apud eos concipiet, nec facilè iidem erga fluxorum donorū bonorumque poſſeſſores flagrabunt odio. Sola cupiditas rerum temporalium immodica plerosque exſtimulat ad invidendum alienæ proſperitati, *cum* dicente Gregorio, *difficile admodum ſit ut quis hoc alteri non invideat, quod adipiſci ipſe exoptat, quia quicquid temporaliter percipitur, tantò fit minus ſingulis, quantò dividitur in multis, & idcirco deſiderantis mentem livor excruciat, quia hoc, quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate reſtringit. Qui ergò LIVORIS PESTE plenè carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat, quæ eſt omnibus una, & ſingulis tota*; DIMINUTIO LIVORIS (ita diſcurſum hunc notanter laudatus Doctor concludit) ET PLENA MORS EJUS, EST PERFECTUS AMOR ÆTERNITATIS. Sed & ante Gregorium, Magnus Baſilius egregiè obſervavit, nihil tantum valere ad præſentis vitæ & vanitatis contemptum, livorisque oppreſſionem, quā jugem æternitatis beatæ contemplationem; *Quomodo morbum hunc* (ita in pecul. de invid. hom. quærit laudatus Pater) *aut ab initio non perpetiemur, aut ipſi ſubje-*

Greg. M. lib. V. Mor. c. 31.

Baſil. M. homil. de Invidiâ.

cti effugerimus? si primum quidem nihil magnum, nihil excellens rerum humanarum esse judicaverimus, non opulentiam, non gloriam marcescentem, non corporis bonam habitudinem, non enim in bonis prætereuntibus felicitatem statuimus; sed ad ÆTERNORUM ac verorum bonorum participationem vocati sumus. Et alius ex Bernardi schola piè literatus, scil. Gverricus Abbas sapientissimè pronunciavit: *Invidiæ peste neminem unquam laborasse, nisi eum qui terrena appetierit, atq; cælestia prorsus neglexerit.* Ad bona igitur æterna ô eruditi cordis nostri oculos erigamus oportet, si venenatos livoris evitare velimus morsus; terrena contemnamus, si æternam invidorum evitare velimus confusionem. Quantum æterna cognoscimus (dico cum Richardo Victorino) tantum transitoria despiciemus, & damnabimus, hæc est enim illa pretiosa margarita, quam qui invenerit, quæ prius amarat libenter derelinquit. Meritò Augustinus inter præcipuas beatorum felicitates recensuit, quod in civitate illa cœlesti NULLUS INVIDIÆ FUTURUS SIT LOCUS, neque inferior superioris ampliorem gloriam ægrè sit laturus, quin potius pacatissimo concordiæ vinculo omnes beati æternum invicem sint conjungendi & copulandi.

Gverric. hom. in die purif.

Rich. à S. Victore, p. II. in Cantic. c. 9.



COMMENTATIONIS QUARTÆ PARS POSTERIOR,

QUA PRUDENTIÆ CHRISTIANÆ CIRCA DECLINANDAM ET SUSTINENDAM INVIDIAM ADHIBENDÆ RATIO EXPONITUR.

XV.

QUandoquidem liberati à duro livoris jugo literati ut plurimum ab ALIENA INVIDIA infeſtentur, atq; truculentis acutisque ejus telis lædantur, imò ſæpè extinguantur penitus, hinc de ſalubri quodam antidoto illis in tempore eſt cogitandum, quo peſtiferos Serpentis iſtius morſus eludere poſſint. Nimirum PRUDENTIA Sanctorum ac DEO ſacratorum à FELICIBUS LITERATIS excolenda eſt, ſi horrendos livoris inſultus ſuperare, ac de tota maglignantium phalange feliciter triumphare velint. Prudentiam ipſis commendamus tum Chriſtianam, quæ piorum eſt propria, ad vitam eorum ſpiritualem contra multiplices dæmonum & lividorum fraudes tutandam; tum in ſpecie eccleſiaſticam (quæ chriſtianæ ramus eſt) circa declinandam pa-

riter ac ſuſtinendam invidiam pſeudo-fratrum adhibendam & uſurpandam. Magna PRUDENTIA *eſt* (ait ſapiens) *vel aliquo detrimento inſigni declinare ſemper* INVIDIAM. Atque ut elegantiſſimæ illius Virtutis faciem tanto fructuoſius contemplemur, excutienda nobis poſtliminio ipſa livoris mordaciſſimæque æmulationis ſunt ſeminaria, ut cauſis mali adeò pernicioſi probè perſpectis & exploratis, tantò rectius ſalutiferæ PRUDENTIÆ remedia applicare, horrendasq; Invidiæ tempeſtates ſive DECLINARE maturius, ſive SUSTINERE patientius diſcamus.

PRINCIPIO ægrè admodum INVIDI ferunt, limìsque oculis aſpiciunt INGENII Virtutisq; alienæ excellentiam & magnitudinē; *Quæ enim omnes res* præclaras (ſcite ait Greg Nyſſenus) *intuetur invidia, etiam noſtrum* (literatorum ſcil. & eccleſiaſticorum.) *bonum acerbo oculo eſt contuita, ac quæ per Orbem Terrarum obambulat, etiam per nos ambulavit. At quænam MORBI CAUSA eſt? Quod frater nimirum vel propinquus & neceſſarius in Animi tranquillitate vivit - - Quod ELOQUENTIA ornatus, quod propter prudentiam verbis ejus auctoritas ineſt.* Talis (ait porrò) erat Cain, qui idcircò quod Abel probaretur, atque placeret, in

Gregor. Nyſſ. in Orat. de morte Mel.

Idem Orat. VII. de beatit.

in rabiem ac furorem versus est; INVIDIA quidem intrinsecus ad cædem hortabatur. Nec malè propterea Chrysostomus fuco comparavit Invidum, qui alienos perdat labores; *Et ipse quidem* (pergit) *nunquam studet surgere, flet autem quando viderit alium surrexisse, & omnia facit ut ipsum dejiciat.* Hanc *ergò affectionem cuinam comparaveris? perinde mihi esse videtur, ut si quis piger asinus, & carnium pondere gravatus, cum equo volucri conjunctus nec ipse velit surgere, & carnium pondere ipsum detrahere conetur. Nam iste quoq; quemadmodum à profundo hoc somnio liberetur neq; cogitat, neq; studet, nihil autem non facit, ut eum qui evolet in cælum supplantet & dejiciat, ut qui sit perfectus æmulator diaboli. Etenim ille cum videret hominem in Paradiso, non ipse studuit mutari, sed illum expellere è Paradiso, & rursum in cælo sedentem hominem conspicatus, eodem illo livore intervertere, & ferventiorem sibi flammam excitare perrexit. Sic enim fit semper, ut cui invidetur, SI MODO VIGILET;* (alias si sapiat) *illustrior odio reddatur.* Notanter Chrysostomus dixit; SI

Chrysost. Homil. 31. in 1. Epist. ad Corinth.

MODO VIGILET; hoc est debitam justamq́; adhibeat PRUDENTIAM, magnas scilicet laudes plaususq; inanes omni declinans ingenio, bonaq́; mentis non prorsus quidem abscondens, sed nec ambitiosè jactans aut venditans, minimeque cæteris eà parte se præferens, siquidem nihil magis favorem & amicitiam concilict atque tueatur quam æquabilitas, ostentatio autem ubique sit invidiosa. Hinc pater ille Terentianus locupletissimum moribus filii testimonium dare volens; *Nunquam* [dixit] *præponens se aliis*, ita ut facilè sine invidia laudem invenerit, & amicos pares. Non enim est par dolor, ac videre se ingenio imparem, neque atrocius tormentum, quam ERUDITIONE superari & virtute.

Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Et quemadmodum instar Solis solus est, qui alios ingenio citra invidiam superet, ita experientiâ magistra probè constat, omnes ad opinionem hominum sese ostentantes, periculosæ admodum exponi aleæ, atq; perpetuos habere persecutores eos, qui in consimili bonorum genere optant esse clarissimi; è contra verò humiles, suæque indignitatis conscios, nec de se plusquam par est sentientes, demissæque studentes conversationi, & DEI hominumq; gratiam facilius invenisse, & atri livoris morsus felicius evitasse. Id quod etiam alia ratione modoque obtinebitur, nimirum si blandè interdum cesserimus ei, quem vicisse nihil erat nego-

negotii, honoris verò aut commodi parum; Secessum quandoque ad Magni Basilii exemplum instituerimus, *utq;* juxta Græcorum sententiam *feliciter vivere queam⁹, aliquandiu latuerim⁹*. Interrogatus Cleobolus quænã præcipuè essẽt cavenda Literato, bellè respondit amicorũ quidem INVIDIAM, inimicorum autem INSIDIAS: Quodnam verò ad utrumq; malum evitandum & declinandum livorem aptius atq; convenientius medium, quam fuga sive absentia, dans (secundum Apostoli monitum) locum ut iræ sic & invidiæ, magnoque periculo eripiens eum, qui inter se & invidum fratrem aliquod collocare studet intervallum. Refert Patricius Athenienses nonnullos, ut viperam illam invidiæ fugerent, sponte sua ad tempus elegisse exilium, sapientissimèq; judicasse, non spinam absentem, sed præsentem lacerare oculos, *Patricius lib. VI. de Republ.*

Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quærimus INVIDI.

Eaque propter Xantippus re optimè contra Romanos gesta, patriam neutiquam petiit triumphaturus, sed ut invidiam effugeret, longiorem moram interposuit. Alii præstantiores, christianæque prudentiæ laude conspicui Viri operam dederunt strenuam, *ne ab omnibus agnoscantur, neve à semetipsis* [quod pluribus accidit] *ignorentur*, quin imò universam tam corporis quam animi supellectilem excutientes,

planissimè aliis persvadere studuerunt, neutiquam sese ejusmodi ingenii facultatibus esse ornatos, quæ æmulationem aliorũ provocare queant, qui pari studio teneantur, quique easdem prosequantur Musas : Nihil porrò ad ostentationem, nihil ad arrogantiam & ambitionem facere statuerunt, re & opere ipso demonstrantes, bona sua donaque omnia sive ingenio, sive studio aut exercitatione diligentiori, eo duntaxat fine fuisse conquisita, ut aliis idem agentibus præsidio esse queant & emolumento. Tantum equidem abest ut Literati prudentiores alienis insultare defectibus, suaque solum bona prædicare velint, ut potius omnes de se sermones honorificos ducant propulsandos & supprimendos, aliorum verò dicta factaque insigniora miris elogiis efferenda. Cujus rei illustria exempla non christianæ solum pietatis seminaria, verum ipsa etiam gentilitiæ virtutis gymnasia suppeditant ; Ceu quum Apelles apud Rhodios Protogenem in modica existimatione haberi animadvertisset, ejusque opera non magni æstimari intellexisset, palam profiteri non dubitavit, se magna pecuniâ Protogenis opera redempturum, quæ ipse dein pro suis venditaret. Et cum infelicissimi ingenii nota sit aliena detractione gloriam sibi parare & existimationem ; hinc piè literati malè nunquam aut sinistrè, sed dextrè semper & candidè de aliorum donis judicabunt, hoc ipso atroces

troces invidiæ tempeſtates feliciter declinaturi & optatam animi impetraturi tranquillitatem. Quodſi alios præſtantiores debita laude privari perſpexerint, operam dabunt ſtrenuam, ut eá pro merito iidem potiantur, illud pro certo habentes, quicquid laudis in alios congeſſerint, id mox eodem numero ad ſeſe rediturum, ipſumque livorem, quod amplius criminetur, haud facilè inventurum, cum efficaciſſimum virtutis, cumprimis PRUDENTIÆ pharmacum non ſecus illi obſiſtat, ac theriacum veneno. Acuat licet invidus lingvæ tela innocentis in famam, ſpumet iras & cædes, mucrones intendat & lanceas, quid in mole illa dejiciet, quàm virtutis robur propugnat? Phariſæorum lingvæ continuata induſtria ſpumabant in Chriſtum, populus animabatur invidia, ſed quonam umbone Redemptor mitiſſimus conatus illorum peſſimos retardavit? An fulmen vibravit de cœlo? an pari calumnia inſidiantes repreſſit? minimè omnium, vitam oppoſuit, tot virtutibus radiantem, quot cœlum ſtellis, huic confidens, palam livorem phariſaicum profligavit atque confudit, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vix melior vindictæ de invidis ſumendæ ratio, quá virtuoſi decoris ornatus, ſiquidē juxta Romani etiam ſapientis effatum, invidi haud gravius quam ſolidæ virtutis exercitio torqueantur. Hinc VITII hujus abominandam fœditatem poſtliminiò illi agno- *Joh.IIX.*

gnoscant, qui ejus glaucomate miserè hactenus fuêre occœcati. *Quid enim turpius* (inquit nobilis ille Florentinus) *quam alienâ gloriâ contabescere, & ut ægrotis quibusdam usu venit, proprio morbo innutriri? Invidia enim anxia est, sollicita est, inquies est, & veluti tabida febre correpta, angitur, cruciatur, & quod alteri prodest bonum, illi apprimè nocet. Quod si ab invidendo ejusmodi rationibus non deterrentur, hoc unum saltem apud illos maximum pondus habere deberet, quod eâ de causa viles inhonestiq; existimantur. Nam si ille nobilior est, qui sui imaginem creatoris magis repræsentat; quomodo, cum DEUS de immensa bonorum largitate communicet, non vilissima & abominabilis Invidia est, quæ alieno tantum malo lætatur; tunc sibi beata & felix, cum quis eorum quos dejectos vellet, aut rerum aut famæ jacturam fecerit? Quomodo inquam ferendi sunt hi, qui cum viribus suis diffidant, aliorum virtuti infensi sunt, & steriles ipsi alienam liventi oculo spectant fœcunditatem? Homines certè nequissimi, qui in illud nati videntur, ut molesti sint, & pro virili sua virtutem impediant.*

Menzinus d. l. c. 14.

XVI.

XVI. Sed cum ſurdis plerumque auribus hæc monita excipiant livoris œſtro perciti, atque lippientibus eorum oculis FAMÆ etiam gloriæque, Virtutem atque Scientiam ſingularem concomitantis claritas ut plurimum ſit offendiculo, utque Cantharides ſæpe florenti ſpicæ connaſcuntur, aut roſis purpuraſcentibus, ita Invidia frequenter gloriæ famæque illuſtriori accedat, & graviſſimis ſæpè anſam det animorum motibus*; ea porrò nos cura verſabit atque cogitatio, quâ ratione quaque PRUDENTIA & iſtos livoris rabidi occurſus morſusque lethales evitare queamus. Præivêre nobis exemplo ſuo laudatiſſimo veteris ævi Doctores chriſtiani, quippe quorum famam atque exiſtimationem ſocii fratresq; atrati ſtudio ac conatu omni obfuſcare imò extinguere laborarunt, ſic Magni Baſilii gloriam Euſebius; Gregorii Nazianzeni Timotheus Alexandrinus, Johannis Chryſoſtomi Theophilus itidem Alex. Hieronymi denique Johannes Hieroſolymitanus interimere ſtudebant, nec leve illuſtribus illis, DEOque chariſſimis capitibus periculum à circumſtantibus invi-

* *Quamprimum Socrates Pythia teſtimonio mortalium omnium ſapientiſſimi axioma retulit, magna in illum conflata eſt INVIDIA, odiumq; exarſit illorum, qui ſe ipſos magni fecerunt & æſtimarunt. teſte Diog. Laert. lib. II. de vit. philoſ.*

invidiæ ventis imminebat periculum. Cui depellendo aut declinando, vix melius aptiusque medium supereſſe magni illi Doctores ſunt arbitrati, quam verè *Chriſtianum atque heroicum FAMÆ gloriaque Mundanæ contemptum & vilipendium*, ad quod exemplo non minus quam monitis ſalutiferis omnes Theoſophiæ ſanctæ cultores inſtigarunt, ſapientiſſimè judicantes, immodico famæ gloriæque appetitu præſtantiſſima etiam evacuari opera, atrociſque livoris tempeſtatem magis magisque concitari. Ingentes inſuper moleſtias conſiderantes, quibus ii obnoxii, qui famæ gloriæque inhient inanitati, utpote quæ olim Ninum compulerit, ut tot prælia committeret, Semiramidem ut tanta extrueret ædificia, Myſſen Græcum ut tot enavigaret maria, Alexandrum M. ut tot peragraret regiones, C. Jul. Cæſarem, ut quinquagies bis prælio decertaret; Philoſophos etiam Gentiles, ut tot ſectas conderent, tot claros ſcientiâ libros elucubrarent; priſcos illos hæreſiarchas, ut ſimplicitate veritateque chriſtianâ ſpreta, tot monſtroſas opiniones, totque damnatas de fide ſententias defenderent; quoſdam etiam [eheu!] orthodoxos, ut vel auditorum plauſum requirere, vel doctis ſermonibus laudem venari, vel conſcriptis etiam commentariis perpetui nominis gloriam adipiſci laborarint, atque ſubdoli illius ſalu-

ſalutis noſtræ hoſtis artibus conſentientes, perniciosa planè & gloriæ divinæ repugnantia gloriæ deſideria fovere non dubitaverint: has inquam moleſtias ac inevitabilia ferè glorioſulorum illorum pericula probè perpendentes philothei noſtri, laudes plauſusque populares (gravi livoris incendio oleum utplurimum adjicientes) protinus ſunt aſpernati, ipſasque ſolennes acclamationes (ad Magni Chryſoſtomi exemplum) ſuſtulerunt è medio, magis de fructu & emendatione gregis, quam vulgi rumore plauſuque ſolliciti. Hoc verò opus hic labor eſt; *Magna enim intelligentia* [alius ait, nempe DIO Chryſoſtomus] *virtuteq; videtur opus eſſe, quando admirantur unum multi, ab aliisque putant differre, ſi ſe modeſtè modo geſturus eſt vir ille, nihilque ſtultum paſſurus, neque animum multorum ſermonibus ſublaturus tanquam alis. Quemadmodum Achillem finxit Homerus, propter arrogantiam ſub arma elatum & concitatum.* Dio Chryſoſt. Orat. 35.

Huic verò facta ſunt alæ, alteq; levarunt
Paſtorem populi.

Quanta autem ſit vulgarium hominum potentia ad perſuadendum quicquid velint, maximè à pueris quis diſcat, quum hominem immodeſtum pueruli ſequuntur, dicentes eum

mente

mente captum esse. Primum enim abit indignans apud se, deinde resistens semper, & conviciis impetens unumquemque & persequens, illud ipsum patitur de mentis statu dejectus, famamq; suspicatus DEUM esse, eumq; non solum virorum sed etiam puerorum &c. Ne igitur his veluti alis pueriliter efferamur, & ab ea depressione abducamur, in qua nos conditionis nostræ ratio firmare deberet, apprimè consideremus, quam corruptum sit vulgi, imò depravatissimum judicium, cujus pariter ac animi ab eo pendentis illudque captantis inanitatem laudatus Dio hunc in modum exagitavit: Age an bonus tibi videtur tibicen, lætari ob artem, & eleganter de se sentire, ab artis musicesque laudatus imperitis? Et si circumstantes eum pueri, & subulci ac pastores admirarentur, plauderentque, ob id ipsum efferri, atque illorum laudem maximo pretio dignam existimare? Atqui hoc manifestavit Thebanus ille tibicen, qui neque Theatro valdè advertit animum, neque judicibus, artis tibiâ canendi inexpertis, atque hoc cum de præmio victoriaque certaret. Attamen ne modicum quidem decentem rythmum

Dio Chrysost. Orat. 58.

rythmum transgredi ausus est, dixitque se sibi canere & Musis. Quid igitur putas, Orpheum illum Musæ filium, si verus est, qui de eo fertur sermo, magis gavisum quum aves ad ipsum canentem advolarent, feræque â voce moverentur, astarentue mansuetè ac quietè, si quando auspicaretur canere, præterea & arbores una cum floribus ac fructibus accederent, ac lapides moverentur atq; coirent, ita ut magni lapidum acervi propè ipsum coadunarentur. An magis quum hæc videret fieri delectatum atque gloriatum esse, existimantem sese ad musices fastigium pervenisse, quam cum mater eum Calliope citharizantem laudavit, dixitque caput illi demulcens, satis Musicam didicisse, atque artis esse sapientissimum. Ego enim arbitror, maluisse se vel à Philammone laudari de Musica, aut si quis alius erat illo seculo cithara canendi peritus, quam ab universis simpliciter feris atque avibus. Quin neque olores, succlamantes concordantesque, quicquam curasse, quod non novissent artem scientiamque

canendi. Qualem deniq́ue ſanitatis ve-ſtem vellet aſſumere vir prudens? An me-dicum, & circa corporum curam exper-tum, an multas hominum myriades nihil intelligentium, qui eum (ſi ita res ferat,) plenum videntes ob morbum atq; tumen-tem & lividum, beatum dicerent, tanquam Polydamanta Theſſalium, & Glaucum Caryſtium, exiſtimantes eum bona cor-poris præſtare habitudine? Sed de arte quidem tibia aut cithara canendi, deq́ue præſtantia luctandi aut cæſtibus pugnan-di, præ omnibus aliis jucundiſſima eſt pe-ritorum laus, artes ſcientibus, omniq́ue digna ſtudio. DE PRUDENTIA verò & juſtitia omnique virtute (*addo & doctrina eruditioneque*) poteritne delectare virum prudentem illiusque explere animum, LAUS STOLIDORUM hominumq́ue vulgarium? Sed & fabulas apologoſque Dio ad explodendum depravatiſſimum vulgi judi-cium advocavit, hiſq́ue veluti bellariis ſuperio-ra condivit: *Fabula ait Pandoram non ab uno Deorum formatam, ſed communiter ab omnibus, alio aliud donante, & apponente; opusque neq; ſapiens, neq; bonum factum ſed omni-*

omnigenum variumque, accipientibus evenisse malum. Ubi autem Deorum turba atque populus communiter fingens operansque, non potuit benè atque irreprehensibiliter operari, quid dicendum est de homine vitaq; ex humana opinione formata & effecta? Perspicuum est igitur hominem revera prudentem, NIHIL ATTENDERE VULGARIUM SERMONI, *neq; observare laudem ab illis profectam. Itaq; neq; magnam, neq; pretiosam, neq; bonam (ut summatim dicam,) existimabit eam unquam.* Ita scite Dio Chrysostomus, cui consentiens Johannesq; Chrysostomus, felicissimè hostem illum nefarium, gloriam scil. inanem oppugnavit, nimirum *crudelem illam* (uti alicubi loquitur) *belluam, dæmonem horrendum, communem totius terrarum orbis pestem, viperam venenatam discerpentem eum cui innascitur.* Et alibi effusis eloquentiæ ac ingenii habenis excurrens, & quam inane bonum humana laus, quamque vile Theatrum vulgus sit explicatissimè tradens, illud cumprimis duxit urgendum, mirum omnino esse, quod cupidus gloriæ humanæ theatrum sibi conficiat ex furibus, latronibus fugitivis, & quibusvis omni vitiorum cœno oblitis, quales sunt ut

Johan. Chrysost. Serm. 15. in 1. Cor.

Homil. XVII. in Ep. ad Rom.

 pluri-

plurimum qui turbam conflant, ita ut quos seorsim jure despiceret homo, indignissimosque judicaret, quorum judiciis se & sua permitteret, eos adunatos tanti faciat, ut suæ etiam saluti anteponat, seque iis subiiciat, & viliorem ducat, quasi sibi ipse non sufficiat, sed talium comendatione egeat ac præconio. Hoc Theatrum in terrâ per nos quæri, cum sit nobis in cœlo constitutum longè splendidius & nobilius, haud abs re summæ amentiæ Chrysostomus damnavit, sic scribens inter alia: *Sed dic quæso, quot velis habere laudatores? centum seu bis, seu ter, seu etiam quater totidem? quin sint duo millia, aut etiam quatuor, vel si ita placuerit, innumeri qui applaudant: Nihil tamen illi omnes à graculis desuper garrientibus different. Imo si Angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumque præconium aranearum texturâ, fumoque & somniis infirmius.* Quid sunt (ait alicubi Augustin9) homines, nisi homines? Quod si perversitas seculi admitteret, ut honoratiores essent, qui meliores, nec sic pro magno haberi debet honor humanus, qui nullius est ponderis fumus. Singularis igitur prudentiæ documentum illos dare credamus, qui ab hujusmodi depravato fatuoque judice neutiquam pendere, neque ab eo operum suorum applau-

Chryss. l. c.

Lib. V. de C. D. c. 17.

applausum & approbationem captare flagitareque velint.

XVII. Egregium consimilis Prudentiæ exemplum D. Bernardum dedisse, omnemque invidiam [famâ ejus gloriaque surgente concitatam] aut humilitatis exemplo mortificasse, aut charitatis provocatione in melius mutasse, vitæ scriptor disertè commemoravit: *Quis enim* (scribit notanter) *tam efficacis & affectuosæ Prudentiæ hodie invenitur ad fovendam charitatem ubi est, ad provocandam ubi non est, tam ad quoscunque potest beneficus, ad omnes benevolus, tantum habens gratiam ad amicos, patientiam ad inimicos &c.* Sed juvat ipsum Bernardum de singulari illo Prudentiæ verè christianæ arcano, sive laudis gloriæque fallacis generoso contemptu audire disserentem: *Vanus* (inquit) *utiq; labor est, qui studio vanitatis assumitur. O DOXA DOXA in millibus mortalium nihil aliud quam aurium inflatio vana! Et tamen quantam pravitas infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit? Hinc namque cæcitas cordis, hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspicionis labor anxius, hinc LIVORIS crudele tormentum, & cremantis INVIDIÆ miserior quam miserabilior crucia-*

Guil. Abbas in vita D. Bern.

Bern. in l. de conv. ad Cleric.

cruciatus. Quo ſi carere velint piè literati ac DEO ſacrati homines, patulas porrò Doctori mellifluo præbeant aures; *Parcite* (ait) *obſecro fratres, parcite animabus veſtris, parcite ſanguini qui pro vobis effuſus eſt, horrendum cavete periculum, ignem qui paratus eſt declinate -- Fugite de medio Babylonis, fugite & ſalvate animas veſtras, convolate ad urbes refugii, ubi poſſitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præſtolari. -- Nihil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fert auxilium, & obediendi devotio lenit imperium. Quamdiu ambulatis in magnis & mirabilibus ſuper vos? Difficile & impoſſibile eſt ut ex amara radice AMBITIONIS, ſuavis fructus prodeat charitatis.* Hoc itaq; ſtratagemate, ſive elationis & ambitionis pernicioſæ abdicatione felices illæ animæ non ſolum atrocis invidentiæ ejusq; pediſſæq; calumniæ aculeos feliciſſimè evitarunt, verum bonorum omnium favorem famamque & gloriam longè præſtantiorem, perpetuam nimirum & ſempiternam, nullo livoris afflatu interturbandam ſunt conſecuti. Qua etiam nos haud dubiè olim beabimur ſi conſimilia Prudentiæ verè Christianæ

edamus

edamus ſpecimina, ſummoque caveamus ſtudio, ne ulla ſecularis gloriæ cupido vel ſacra tractantes invadat, vel etiam ſcripta parantes publica exſtimulet, haudquaquam per ea immortales fieri cupientes, ſed immortali potius & inviſibili ſeculorum Regi honorem omnem tribuentes. *Væ univerſis* (ita egregiè Franciſcus Lambertus Avenionenſis) *qui ſibi perpetui nominis gloriam in hoc ſeculo parare nituntur: Sed ante omnes hi maledicti ſunt, qui propheticis ſcriptis ſeu commentariis id faciunt. Sat eſt fideli ad omnem gloriam ſi in illo benedicitur nomen Domini, & tandem in gloria ſuperna illum confiteatur & honorificet Chriſtus, coram Patre ſummo & Angelis ſanctis, &c.* Hunc gloriæ ſupremæ apicem omnes illi attingent, qui [ut ſupra diximus) opera ſua DEO conſecrare ſtudent & BEATÆ ÆTERNITATI, non autem tempori & inani gloriæ litare velint. Infeſtet licet atrox invidia ſcripta pie-doctorum, nullius parcat authoritati, inque monumentis etiam optimis ferales ſuos conſtruat nidos; tantum tamen abeſt ut Scriptores, divinæ intentos gloriæ, de laudis ſupremæ ſolio deturbare, ſpiſſisq; ſuis obfuſcare tenebris poſſit, ut potius majorem iis ſemper lucem conciliatura ſit nominisq; claritatem. Quicquid pie litera-

Franciſc. Lambertus Aven. in Comment. de Prophetia cap. 30.

torum laboribus urgente invidiâ hactenus obvenit, parum aut nihil attulit detrimenti, rediviva semper post busta sua prodiêre DEO & beatæ æternitati sincero pectore consecrata monumenta. Qui vel mediocriter in Ecclesiasticæ historiæ lectione sunt versati, ignorare non possunt, primarios quosque Scriptores christianos mastigas suos passos, & livore urgente summoperè fuisse exagitatos. Quam multi libros Hieronymi non momorderint modo, sed etiam laceraverint, supra ipsiusmet Doctoris verbis indicavimus. Quid, quod in epistolâ ad Pammachium, pro libris suis contra Jovinianum, memorarit, coactum Pammachium amore authoris libros illos subducere, ne laceratio & odium in authorem auctius semper & auctius fieret. Etiamsi tantus Vir fuerit Hieronymus, ut ejus in scribendo dotes pauci exprimere, ne dum assequi olim potuerint, illumque nec eruditio, nec judicium, neque linguarum peritia, nec eloquendi copia, nec quidlibet evincendi facultas defecerit, ab eo tamen configendo lacerandoq; livor nefarius neutiquam abstinuit, neque ipsi pepercit Doctori augustissimo, Hipponensi inquam Augustino, cujus scripta non ab hæreticis modo fœdissimè maculata, verum ab ipsis etiam orthodoxis turpiter adeo proscissa fuêre, ut atrocissimam ille librorum quorundam suorum occasione sustinere debuerit vexationem, passimque

Conf. Hieron. vitam Hilar. & præfat. in Esdram & Nehē. & epist. ad Pammachium pro libris suis contra Jovinian.

præ-

prædestinatianus, & novæ hæreseos concinnator audierit, variisque apologiis eam eluere labem sit coactus, eaque propter haud abs re † Augustinum Facundus Hermian⁹ Virum-adamantinum vocaverit, in quo omnes adversariorum dentes frangantur. Quid Magni Gregorii libris contigerit, non sine summo dolore Joh. Diaconus prodidit, neque nos sine stupore ex ejus indicio cognovimus. Refert enim mox ab obitu in illos igne sævitum fuisse publicè, nec nisi interveniente Petro Diacono furorem istum esse frænatum, prohibitumque quo minus cætera ejus volumina prorsus delerentur. Nec minus indigna atrociaque in Petri Damiani pias quasdam lucubrationes ausam esse invidiam & malevolentiam, ipse epistola peculiari ad Hildebrandum & Stephanum Cardinales exposuit: *Querelam* [scribit ibi] *omnipotenti DEO & vobis qui ejus estis membra depono, de Domino nostro Papa,* (Alexander is erat II.) *qui cor meum tam crebro mærore conturbat, & grandævi jam senis animam ad amaritudinem provocat.*

Petrus Damianus lib. I. Epist. VI.

 Tulit

† *Conf. August. lib. de gratia & libero arbit. item de corrept. & grat. de prædestin. SS. & de dono persever. addantur ea quæ vel pro eo vel ipsius nomine Prosper Aquitan. edidit. Facundus Hermian. lib. 9. pro tribus capitul. in ipso fine.*

Tulit enim librum nostrum (quem sc. Damianus *Gomorrhæi* titulo ediderat, turpemque inibi & abominabilem quorundam Clericorum vitam suis depinxerat coloribus,) *& hunc qualiter tulerit opera pretium est ut cognoscatis, sciebat enim se hoc à me aliter impetrare non posse, Domno Abbati S. Salvatoris me præsente tradidit, præcipiens ut transscriberet. Nocte verò me nesciente tulit, suisque scriniis infarcivit. Et revera hoc est munditiæ sacerdotalis ingenium, imò hoc papalis puritatis est documentum.* Taceo aliorum æque magnorum Virorum scripta, *quæ cum ipsis suis authoribus* (ut quidam è veteribus ait) *interpretantium arbitrio sæpè fuerunt periclitata.* Gratulentur itaque sibi Scriptores pii hanc Virorum optimorum sortem, atque de Christi improperio hâc quoque in parte lubenti participent animo, nil quicquam [ad generosorum equorum exemplum] curantes furibundi livoris latratus, omissisque querelis de scriptionibus suis injuste exagitatis, mures arrosores masculè abigentes, optimi Ruperti verba observatu dignissima ingeminent: Quomodocunque volunt, præsentes de nobis judicent, futuri clementius judicabunt, dum enim vivimus (ait

Zozimus epist. 3.

Rupertus lib. 7. in Matth.

Vir

Vir illustris Hieronymus) & vase fragili continemur; videntur amicorum prodesse studia, & nocere ÆMULORUM opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, & tam nos qui scribimus, quam eos qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, & alia venerit generatio, primisq; cadentibus foliis, virens sylva succreverit, tunc sine nominum dignitate sola judicantur ingenia, nec considerat qui lecturus est, cujus vel quale sit, quod lecturus est, sive ille Episcopus sive sit laicus; Imperator & Dominus; miles & servus, aut in purpura & serico, aut in vilissimo panno jaceat, non honorum diversitate, sed operum merito judicabitur. Quid Scriptoribus quibusdam [iisq; nobilissimis] magis profuit, quam manus carnificis & hostilis rogus? non superessent multi, ni ad tempus periissent, & cum immortali laude de scelere, livore & mendacio tandem aliquando triumphassent. Secus verò iis accidit authoribus, qui non eo fine libros conscribunt divulgantque, ut alios instruant atque erudiant, sed potius ut gloriam inde & famam aucupentur, quid mirum si idem iis contingat, quod hortis Adonidis accidit, qui *Confer. commentat. III. append.*
una

Lambertus in Comm. de prophetia c. 30.

una die nati celerrimè perierunt. *Quid proderit Tibi* (ſcite laudatus ait Lambertus) *gloria quam expetis, quamque rapere non expaveſcis? quid habes quod non acceperis? Habes tuos ſufflatores, ſatanam & adulatores, qui dicunt: FAC TIBI NOMEN IMMORTALE, quam conſultius faceres, ſi faceres Tibi nomen mortale, h.e. ſi ageres in omnibus, ut cunctis notum fieret, quod Te mortalem agnoſcis, & nihil ex Te eſſe, demum omnia hominum faſtigia cadere neceſſe eſt, etiam eorum qui omni ſtudio ſcriptis perpetuam hujus ſeculi gloriam cupierunt.* Non facilè equidem ſuccumbet adverſariis invidis ac maleferiatis literatus, ſi inteſtinum arrogantiæ flatum, noxiumque tumorem omni ſtudio reprimere ſtudeat, atque illorum exempla ſæpius ſibi ad animum revocet, qui cum irreparabili famæ pariter ac vitæ, imò beatæ etiam æternitatis diſpendio fatuos umbratilis gloriolæ igniculos ſunt inſectati.

XIIX. Hactenus PRUDENTIAM pie literatorum circa declinandam ſive mitigandam invidiam ex doctrinæ famæque celebritate conflatam delibavimus, nunc quantâ virtute ad reprimendum livorem, ob ſingularem PARRHESIAM, atq; imperterritam perverſorum reprehenſionem, concitatum, opus ſit conſidera-

ſiderabimus. Sicuti enim [præclare inquit Climacus] *malus cum reprehenditur & objurgatur dolet & uritur*, ita acerbiſſimum ſemper odium incurrerunt, quotquot profligatos ſociorum emendare mores, pudendamque flagitiorum catervam eliminare ſtuduerunt. Neminem inter Romanos Catone ſeveriorem egiſſe morum cenſorem, quis eſt qui neſciat, at verò neminem INVIDIA tantoperè & odio fuiſſe exagitatum, quam illum ipſum, ex Sabellici indicio diſcimus, nam quadragies ſexies reus in judicio factus cauſam dixit, ſemperque de adverſariis victoriam obtinuit. Nec minus Socratem, aliosque Viros egregios eo ipſo nomine gentilium ſophiſtis fuiſſe inviſos, in capite de contentionibus literatorum notabimus. Clariſſimè inſuper conſtat palmariam invidiæ priſcis Doctoribus Chriſtianis conflatæ cauſam extitiſſe inſignem erga domum Dei [quam amabant] zelum, indeque prognatam ſeveriorem liberioremque morum corruptorum correptionem. Cum Q. Sept. TERTULLIANUS duriorem paulò, rigidioremq; vitiorum (quibus Clerici potiſſimum laborabant) caſtigatorem agere cœpiſſet, graviſſimam invidiæ incurrit tempeſtatem. Quemadmodum etiam B. HIERONYMUS omnium odio atque contemptui fuit expoſitus, poſtquam Clericorum perverſorum mores emendare, omnique id agere ſtudio cœpiſſet, ut vita pro-

Climacus grad. IV. n. 99.

Sabell. lib. I. cap. 6.

Confer. Tertulliani lib. de ſpectac. c. 25. lib. de coronâ milit. c. . lib. de idololatr. cap. 7.

ta probata doctrinæ eo majorem conciliaret authoritatem. *Sermo meus* [scribit ipse] *offendit plurimos, dum UNUSQUISQUE in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audivit, sed quasi criminatorem sui operis aversatus est.* Et de eodem Hieronymo notanter Sulpitius Severus: *Concivit* (inquit) odia perditorum, oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit, oderunt CLERICI, quia vitam eorum insectatur & crimina. * Gemina his apud Pseud-Eusebium leguntur. Quidquod ipsi Gregorio Nazianzeno parrhesia sua tantum invidiæ turbinem conflaverit, ut coram illo consistere nequiverit, uti non male è quadam ejus oratione colligitur circa

Hieron. in alterâ ad Demetriadem epistolâ.

Sulpitius Severus in l. de virtut. Monachorum Oriental. dial. n. 4.

Euseb. in Epist. de morte Hieron.

* *Qua verò ratione quibusq; aculeis Hieronymus profanos tetigerit Clericos, è prolixis ejus ad Demetriad. & Eustoch. epistolis, nec non praef. vers. Did. de Spir. S. locisq; aliis clarissimè colligitur. Scite Erasmus in not. ad laud. Hier. Epist.* Videtur (*scribit*) hic satyrica mordacitate invehi in Virgines, Monachos ac Clericos, & argutius illorum vitam depingere, verum quando neminem carpit nominatim, & malos reprehendit non probos, illis imputandum est, qui sic vixerunt, non Hieronymo, qui suis illos depinxit coloribus.

circa cujus initium verba leguntur sequentia: *Sed neq; facetus quispiam, ac jucundus sum, atque ita comparatus, ut hominum benevolentiam blanditiis & assentatione surripere queam: QUALES multos eorum video, qui hoc tempore SACERDOTII MUNUS PROFITENTUR, qui fidei nostræ pietatem, quæ prius simplex atque artis expers erat, artificiosam reddiderunt, ac novum quoddam politices genus, à foro ad sancta translatæ, & à theatris ad Sacrarium, vulgi oculis minimè inspectandum: ita ut si audacter hoc dicere oporteat, DUÆ jam SCENÆ sint, inter quas hoc duntaxat intersit, quod illa omnibus pateat, hæc quibusdam; illa rideatur, hæc in honore sit, illa Theatrica, hæc SPIRITUALIS nominetur.* Gregor. Nazianzen. Orat. XXVII.

Et quantam istiusmodi scenico-politicorũ Clericorum fraudibus technisque optimus Gregorius subierit tempestatẽ, quamq; nefariè à throno episcopali deturbatus fuerit, supra memoravimus. *Vos testes* inquit in laud. Orat. ad ipsius Apostoli exemplum, & DEUS, nos ab hâc parte (sc. Clericorum-politicorum) minimè stare, verum tales esse, ut rusticitatis potius quam adulationis ac servilis animi notam suscipere possimus, quippe qui eos etiam, qui nostri apprimè

studiosi

studiosi sunt, ASPERIUS interdum accipiamus, si quid nobis non ut rationi consentaneum est facere videantur. Quantam ipsi denique CHRYSOSTOMO idem candor tempestatem concitaverit, peculiari dissertatione ostendemus, illustre quoddam ex ejus historia INVIDIÆ optimos quosque infestantis documentum exhibituri. Tanto severiores autem Doctores illi laudatissimi egêre Clericorum perversorum censores, morumque corruptissimorum castigatores, quanto graviora mala atque scandala in Orbem christiano-ecclesiasticum olim inde redundasse perspexerunt pariter ac ingemuerunt. Si enim (inquit ipse CHRYSOSTOMUS) *Sacerdotium corruptum* [si ipsi Doctores populi & Magistri suo desint officio,] *omnium fides & virtus marcida est. Et quemadmodum* (addit Pelusiota) *si in navi nautarum quispiam non rectè partes suas obeat, parvum inde navigantibus damnum accedit, at si gubernator officio suo desit, commune mortis periculum universis creatur, pari modo si subditi peccent, non tantum toti communitati, quantum sibi ipsis damnum inferunt; at Sacerdotum vitia ad omnes omninò contagione proserpunt.* Propterea imminente excidio Hierosolymitano JEHOVAH angelo præcepit

Isid. Pelus. epist. 322.

Ezech. IX. v 6.

ut

ut à Sanctuario & viris qui illic assiderent exorsum sumeret, ut qui in peccato, iidem etiam primi essent in internecione. Et ipse Salvator miseram Doctorum peccatis indormientium conditionem innuere volens, *Si sal* (inquit) *infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil amplius valet, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Majori igitur oris libertate flagitiosos, & peccandi assuetudine INSULSOS populi Magistros compellare emendareque studuerunt optimi, atque singulari morum integritate conspicui Doctores, hisque veluti catarractis irruentem, orbemque Christianum inundantem horrendorum & criminum & calamitatum cataclysmum cohibere laborarunt. Non tamen sine prudentia atque circumspectione peculiari: Neutiquam scilicet PERSONAS SINGULARES publicè duxerunt reprehendendas atque castigandas; cum inde frequenter gravissimæ oriantur inimicitiæ, populique admurmurationes, & ejus qui notatur in alterum qui notavit capitale existat odiũ, quin imò ipsa charitas, personarũ singularium latentiumq; publicam reprehensionem & castigationẽ apprimè dissuadeat. *Nullum læsi* (optime ait Hieronymus) *nullius nomen mea scriptura designatum est, neminem specialiter meus sermo pulsavit. Generalis de vitiis disputatio est.* Severus Sul-

Matth. V. v. 13.

Hier. Epist. ad Nepotian. conf. ep. ad Eustochium.

Sulp. Severus sub fin. histor. de vita B. Martini.

Cicero Orat. pro leg. Manil.

Sulpitius postquam de atrocissimis B. Martini adversariis atque insectatoribus esset conquestus, scitè notanterque addidit: *Nec verò QUENQUAM NOMINARE NECESSE est, licet nosmet ipsos plerique circumlatrent, sufficit, ut si quis ex his hæc legerit, & agnoverit, erubescat, nam si irascitur de se ipse dictum fatebitur, cum fortasse nos de alio senserimus.* Similem prorsus in reprehendendo prudentiam ipsum Tullium Romanæ eloquentiæ parentem adhibuisse, ex ejus pro lege Manilia oratione liquidò apparet; *Vestra* (ait) *admurmuratio facit Quirites, ut agnoscere videamini qui hæc fecerint, EGO AUTEM NOMINO NEMINEM, quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.* Vix ullus unquam quos vellet liberè & sigillatim coarguit, aut obvia quæque laceravit, quin eam INVIDIÆ tempestatem subierit, quæ ratem aut omniò deprimeret, aut longè compelleret fluctuantem. Ideoque magnâ cautione in censendis aliorum vitiis opus esse quilibet perspiciant, non quidem in tanta morum & vitæ licentia conniventes, attamen sollicitè ac studiosè caventes, ne remedium ipso malo pejus esse videatur. *Præstaret multo* (inquit nonnemo) *quorundam errata, dummodo*

illis

illis non communicemus ad tempus ferre, quam incommodis ea curare gravioribus. Est locus tribulis herbisque noxiis quandoq; concedendus, ne utiles herbas unà eradicemus. Nec valdè abludit Pelusiota, absurdissimum esse existimans alios erigere satagentem, ipsummet cadere; ut autem hoc non fiat, verborum quâdam gravitate tegendam ac velandam esse ipsam rerum turpitudinem, ne dum alios quis perstringere cupiat, suam ipse linguam inquinet, & aliorum sordes atque inquinamenta auferre laborans, ipse commaculetur. Nostri nimirum accusatio, nostrique correctio prima sit, ut in corrigendis aliis esse queamus fructuosi. Assidui qui sunt & diligentes sui contemplatores, cæteros facilius perpungent atq; permovebunt, nam ex iis quæ ipsi sunt experti, quid alii patiantur & cupiant difficile non erit augurari. Vita bona facilè pervadet, quo lingua neutiquam pervenerit. *Si ars ad materiam* (ait sapiens) *accedat, & actionem æquet oratio, nec oratoris vita dessentiat, tum admirabile illud existit, quo partim viso partim audito & infantes & eloquentes obstupescunt.* Quæ de cavendâ superbiâ, ambitione, avaritia, temeritate, de levitate fugienda, iracundia comprimendâ, ultione vitanda aliis præcipere censores solent, sibimetipsis præscribant,

Isiod. Pelus. Epist. 453.

bant, ipsoque compleant opere, prius quam eadem exigant à cæteris, nec unquam iracundiâ ferantur præcipites, nec facilè cuivis delatori aures patulas præbeant, quin potius aliquâ interposita morâ rem universam maturius diligentiusque perpendant. Ipsâ equidem rerum magistrâ experientia sumus edocti, temerarios, privatisque affectibus abreptos reprehensores turpiores nonnunquam ipsis effectos fuisse delinquentibus, nec solum eos quos reprehenderunt abalienasse, sed & illos etiam offendisse, quos nunquam in mentem venerat objurgare. Quis etenim non ab illo refugiat, quem esse videt iracundum, trucem injuriarum quas vel sit passus, vel suspicatus, acerbum ultorem, delationibus aures patefacientem, & ad id unde querelarum, offensionum, con susurrationum aliquis se ventus ostenderit, credulitatis vel potius crudelitatis, objurgationis & vindictæ vela pandentem? Et qualis obsecro indignationis ac excandescentiæ fructus sperandus, si qui audiunt non justitiæ & veritatis amori, non pio dolori, non religionis divinæque laudis studio, sed vindictæ privatæ adscribunt & iracundiæ? negant ita loqui ac furere ejus esse, qui divinam duntaxat respiciat gloriam, atque christianam sitiat pietatem, sed qui suum tantummodo dolorem ulciscatur. Quicunque nullam ingenuitatem, nullum in arguendo præstant ruborem, utque severi salu-

resque sint, minus interdum verecundè loquuntur, acerbissimè quidem compungunt, & quosdam reprimunt, vitia tamen neutiquam extirpant radicitus; qui verò peccata ita graviter & propriè honesteque coarguunt, ut se quisque curari sentiat, temerè læsum queratur nemo, hi palmam in corripiendo facilè obtinebunt, ipsoque facto eorum coarguent errorem, qui arduum censendi munus more Gigantum, (quos perhibent montes montibus imponentes, ad cœlum tentasse aditum) chartis hinc inde congestis & coacervatis, magnisque clamoribus concitatis, moribus autem non ita angelicis obire se posse confidunt. Antonius celebris Archiepiscoqus Florentinus, Præceptoris sui Ragusini sermones commendaturus, illud veluti quoddam adjecit complementum: *Fuit vitiorum severus sed tamen honestus objurgator.* Tales sint morum censores singuli, SEVERI; quod nullam personarum habeant rationem, sed omni discrimine sublato scelera liberrimè accusent: HONESTI tamen, quod nihil sine causa dicant notabili, nec cuilibet de media turba trivioque querelas deferenti habeant fidem, suasque vel cogitationes vel somnia afferant in medium, sed de perversis moribus ante probè edocti, eosdem prudentia reprehendant singulari, nunquam satis laudatam severitatis & honestatis adhibentes mixturam. *Nescis* (præclarè ait Magnus Basilius)

incrependo molestus ac severus, neq; statim ac cum animi commotione quenquam reprehendas, (resipit enim hoc contumaciam quandam) neque propter modica delicta condemnans aliquem, quasi rigidus ac præduru9 juris exactor, sed eos qui deliquerunt complectare, & spiritaliter instruas, sicut admonet Apostolo9, considerans Te ipsum ne & Tu tenteris.

Basil. M. Serm. de Humil.

XIX. Nec minus florida verbis, gravida sensibus monitisque acuta instructio Gregorii Magni est, in morali expositione Jobi de inculpati elenchi moderamine ita differentis: *Sciendum nobis est, quod valdè lectorem ædificare etiam juxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis Rectoribus mixta sit & regendi authoritas, & benignitas consolandi. Ait enim, cum sederem quasi Rex circumstante exercitu; ecce authoritas regiminis: eram tamen mærentium consolator: ecce ministerium pietatis - - - Miscenda ergò est LENITAS cum SEVERITATE, faciendum ex utroq; temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum Tabulis VIRGA simul & MANNA est,*

Greg. Magn. lib. XX. Moral. in Job. c. 6.

eſt, quia cum Scriptura Sacræ ſcientia eſt in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & Manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: VIRGA tua & BACULUS tuus ipſa me conſolata ſunt, virgâ etenim concutimur & baculo ſuſtentamur. Si ergò eſt diſtrictio virga quæ feriat, ſit & conſolatio baculi qui ſuſtentet. Sit itaq; amor ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus quam expediat parcens. Intueri libet in Moſis pectore miſericordiam cum ſeveritate ſociatam, videamus amantem piè, & diſtrictè ſævientem. Inter extrema igitur iſta de conſilio Gregorii medio tutiſſimus incedit, quisquis ſollicitè cavet, ne lenitate nimiâ in adulationis ſuſpicionem trahatur, nec etiam aſperitate ſumma rigidæ immoderationis notam incurrat. Et quem prudentiæ Eccleſiaſticæ paulò ſtudioſiorem latet, quanta cum difficultate & peritiâ, quantaque cum utilitate Gregorianum illud temperamentum ſit conjunctum. Sicuti zelus pius divina Theologi dos & virtus eſt, & ab ipſa Scriptura ſummis extollitur laudibus, ita impotentia mentis atque imtemperies affectuum non rarò ipſam peſſundedit Eccleſiam, magisque obfuit quam profuit ſaluberrimæ ædifi-

cationi; ille nimirum zelus, qui ex illaudabili præcipitantiâ proficiſcitur, ex inimicitia exaſperatur, ex malitia conſummatur, atque zeli amari, inordinati, plusque deſtruentis quam extruentis meretur appellationem.

Sæpè ſcelus Zelum cæli velamine texit;
Cui zelus cælum eſt, non facit ille ſcelus.

Greg. M. l.c.c.6. Honeſtatem itaque [uti ante diximus] juſta comitetur ſeveritas, ſiquidem [præclarè rurſus monente Gregorio] Diſciplina multum deſtituatur, ſi una ſine altera teneatur. Hinc eſt quod ſemivivi illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur & Oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur; quatenus unusquisque, qui vulneribus ſanandis præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, per vinum mordeantur putrida, per oleum ſananda foveantur, & quæ in textu Gregorii plura ſequuntur, relata in Jus Canonicum usque ad illa: In regimine ergò populi utrumque Moſes miſcuit; ut nec diſciplina deeſſet miſericordiæ, nec miſericordia diſciplinæ, h.e. ſeveritas honeſtati ſociata deprehendatur. Quid quod

Can. Diſciplina.9. diſt.45.

ipſe

ipſe Gentium Doctor ſeveritatem quidem ſuam Tito commendaturus; *Obſecra* dicat, *increpa*, & de Cretenſibus loquens, *increpa eos durè*; aſt honeſtatem quoque exemplo ſuo proprio edoceat: *Num mentior? num fingo?* Cujusmodi etiam modeſtiæ atque honeſtatis ſingularis formulis, plurima priſcorum Doctorum, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini aliorumq; referta ſunt monumenta. Auguſtino ad Britannos convertendos ablegato, modo laudatus Gregorius author fuit ut quædam initio Anglorum permitteret imbecillitati; *Hoc enim tempore* (ita notanter ad eum ſcripſit) *Sancta Eccleſia quædam per manſvetudinem tolerat, quædam per fervorem corrigit, quædam per conſiderationem diſſimulat, atq; portat, ut ſæpè malum quod averſatur, portando & diſſimulando compeſcat.* Voluit nimirum Gregorius ut juſtæ ſeveritati Auguſtinus laudatam conſociet honeſtatem atque prudentiam. Antonium vulgo Paduanum dictum, [cum non Patavinus ſed Olyſiponenſis fuerit] tantam quidem in objurgandis inſectandisque vitiis ſeveritatem adhibuiſſe ferunt, ut nullam perſonarum habuerit rationem, quin etiam objurgante Antonio minutulos concionatores partim erubuiſſe, partim expalluiſſe, & quam timidi quam anguſti animi eſſent, Antonio concionante didiciſſe, aſt nihilominus tantam

Tit. I.

II. Tim. IV.

Greg. M. lib. XII. epiſt. reſp. 7. ad Auguſt.

eum honestatis atque æquitatis habuisse rationem memorant, ut sive magnis sive parvis loqueretur, singulis verba copiosissimè pariter ac ferventissimè accomodaverit, pluresque revocaverit ad frugem. Ille ille cum emolumento maximo alios reprehendet, qui DEUM sibi & christianam charitatem in objurgando proponit, privatas non persequitur inimicitias, totus divino ardet amore, virtutum comitatu circumseptus irascitur, quandocunque licet, privatam admonitionem publicæ præmunit objurgationi, talis inquam convenientissima salutaris doctrinæ suppeditabit monita, nullum querelæ relinquet locum; solidæque pietatis & prudentiæ clypeo munitus, adversantium sibi & indignantium jacula, nullaque non odiorum spicula eludet, & omnem atrocis invidiæ evitabit tempestatem.

XX. Nova hinc elucescit felicitatis literariæ, atq; PRUDENTIÆ christiano-Theologicæ [non minus circa SUSTINENDAM quam declinandam invidiam occupatæ] solertia, & exquisitum ad eludendos atri livoris insultus compendium; Quodnam illud? PATIENTIA SINCERÆ SOCIATA HUMILITATI; cuj⁹ adminiculo literati felices semper de totâ malignantium phalange cum laude immortali triumpharunt. *Nimirum* (dicente Isidoro) *contra lingvæ* (invidiosæ) *gladium, Patientiæ scutum præbentes*, neque verba curantes à solo dictata livore, nec canum metuentes

tuentes latratum, eorum cumprimis qui Irenæo obſervante immanes ſunt, & operantur ſchiſmata, non habentes DEI & proximi dilectionem, propriamque gloriam & utilitatem potius venantes, quam unitatem pacis Eccleſiæ conſiderantes, propter quaslibet cauſas glorioſum Chriſti corpus conſcindunt & dividunt, pacem loquentes & bella molientes, verè colantes culicem & camelum transglutientes. Adverſus ejusmodi canum latratus, morſusque acerbiores, optimi quique Doctores chriſtiani prorſus obduruerunt, *non eum qui audiat, ſed qui faciat convicium miſerum eſſe*, cum Cypriano reputantes, Magnoque conſentientes Baſilio, injurias omnes animo æquiſſimo pertulerunt. Si mihi credis (*dicebat ille*) probra contumeliasque (*urgente ſcil. livore evibratas*) curabis minimè - - Quando enim verborum contumelia tentaris, illud exiſtima periculum de te fieri, an DEO per patientiam adhæreas, ſeu per iram in adverſarii partes inclines. Da tempus cogitationibus ad optimam eligendi partem opportunum. Nam è duobus alterum procul dubio conſequeris; aut inimicum tuæ manſvetudinis exemplo mitiorem reddes, aut certè ſi deſpexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim adverſario durius

durius esse potest, quam Te animum gerere contumeliis omnibus altiorem? Porrò quale nomen uterque vestrum assequatur, videamus: Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis; Hic iracundus, & durus; tu longanimis & mitis, hunc quandoque pœnitebit horum quæ loquitur, te nunquam benefacti aut virtutis pœnitebit. Quid plura? Huic contumelia regnum cœlorum clausit, quod contumeliosi Regnum DEI non consequentur: Tibi taciturnitas aperuit. &c.

Eandem in sustinendâ invidia prudentiam, mirificè commendavit, moreque suo h. e. splendidè & exquisitè illustravit Isidorus Pelusiota, amicorum quendam hunc in modum compellans: Noli putare per virtutis exercitium Te calumniam (*invidiæ scil. sociatam*) propulsare posse & impedire. Nam ipsi virtutis cultores, præ cæteris & maximè insidiis appetuntur ab his, qui nec ipsi quicquam honoris habent, quia virtuti non incumbunt, & iis qui propter virtutem honorantur invident. Satius proinde est ejus cultores maledicorum & obtrectatorum malignitatem æquanimiter

Isid. Pelus. epist. 198.

ac

ac generosè ferre, quam INVIDIAM declinantes & deprecantes à virtute desciscere. Neque verò ad hoc solum illudve injuriarum & calumniarum genus insignem hanc prudentiam esse restringendam, sed eam universaliter ad omnes tribulationes & calamitates extendendam esse idem Isidorus, una cum cæteris sinceræ pietatis Doctoribus & Professoribus comonuit. Multi quidem mala pati vellent, subireque livoris tempestates, dummodo nullum inde commodis suis accedat detrimentum. Imò verò gaudebunt nonnulli gravissimis conviciis lacerati, atque calumniatores suos æquanimiter ferent, dummodo nemo ea credat maledicta. Volupe ipsis & jucundum esset à scelestis hominibus divexari, à spectatæ autem probatæque fidei viris reprehendi & accusari vellent minimè. Ast vir solidæ PATIENTIÆ clypeo munitus, omnium sine discrimine æquanimiter perferet suggillationes, atque generoso & magnanimo pectore nulla non opprobria excipiet, ad pientissimi illius Episcopi Turonensis Martini exemplum, qui teste Sulpitio Severo *tantam adversus omnes injurias patientiam adsumserat, ut cum summus esset Sacerdos, impunè ab infimis etiam Clericis læderetur, nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut à sua repulerit charitate. Nemo* (addit Sulpitius)

Sulp. Severus in vita Martini Turon. Episc.

pitius) *unquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, unus idemque semper cœlestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur - - plerunque etiam pro eorum qui obtrectatores illius videbantur solebat flere peccatis.* Cum quidam livoris œstro perciti Clerici, honorem Gregorio Nazianzeno à bonis oblatum iniquo ferrent animo, atque urgente diabolo acerbis eum incesserent conviciis, nulla quidem is regessit maledicta, sed admirabili sua patientia horrificos malignantium incursus felicissimè superavit. *Quippe neutiquam grave* (ut ipse alicubi ait) *judicans, si cum rebus vicisset, linguâ se vinci pateretur, quamobrem sic eos lenitate sua cepit & patientiâ, ascito præsertim ad sententiæ suæ auxilium tempore, ut indignationem in admirationem convertentes, sese ipsi excusarent, genibus advolverentur, pudore, ob ea quæ prius admiserant suffunderentur, abjectisq; odiis eo Patriarcha, legislatore & judice uterentur.* Adeoque re & opere ipso comprobavit Gregorius, quod alibi verbis docuit notatu dignissimis: *Nihil persecutorem ita superat ut Patientis alacritas.* Atque hoc ipsum in fœdo livoris monstro debellando arcanum egre-

Gregor. Naz. circa init. Orat. 23.

egregiè calluisse Bernardum, ex eâ quam ad calumniatores suos exaravit epistolâ liquidò apparet; *Rogamus* (scribit ibi) *vos fratres, ut quiescat jam indignatio vestra - Sin autem, facite quod vultis, scribite ut vultis, persequimini quantum vultis, charitas omnia sustinet, omnia suffert. Nobis autem decretum est ex hoc jam vos purè diligere, reverenter suspicere, familiariter colere.* Et rursus: *Ego autem fratres* (scribit) *quicquid faciatis, decrevi semper diligere vos, etiam non dilectus -.- Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis, invitis præstabo, ingratis adjiciam, HONORABO & CONTEMNENTES ME. Et nunc tristis est anima mea, quod quacunque occasione offenderim vos, eritque tristis usq; dum vestra indulgentia relevetur. Si tardaveritis, ibo & excusabo, præ foribus perseverabo pulsans, instabo oportunè importunè, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem.* Hoc animo præditos homines literatos scitè Chrysostomus arboribus comparavit frugiferis, quæ, quo magis ventilentur & agitentur à ventis, eò fiant fortio-

Bernardus epist. LXVIII.

Idem ep. CCLII.

Chrysost. Homil. XIX in Epist. ad Hebr.

fortiores & densiores. *Et nos quoque* (notanter addit) *si lenes simus & patientes, fortes etiam erimus & validi.* Et in eandem sententiam Isidorus Pelusiota; *Quod si quis* (ait) *iis qui LIVORE feriuntur, veniam tribuat, ac pro ipsis ut ex hujusmodi furore emergant, vota faciat, atq; ita sit comparatus, ut non modo à vindictæ studio abhorreat, sed eorum etiam quos hoc vitium subegit, miseriâ moveatur, hic demum sincerè novit PHILOSOPHARI.*

Isid. Pelus. lib. III. epist. 281.

XXI. Nec est sanè ut verâ felicitate gaudens literatus, invidorum voculis adeò commoveatur, ut in illorum gratiam à cœpto laudabili opere cessandum sibi existimet. *Non enim generosæ indolis alacritas* (ait supra laudatus Menzinus,) *invidiæ concedit, sed cum optimè norit se inter ardua & difficilia positã, in præruptum, ubi virtus considet, verticem conatur evadere. At esto multum Tibi cum invidis negotii sit: sicuti umbellas evanidas in pictura conspicimus, quibus efficitur, ut sese rerum facies magis ostendat, & occulta quadam promittat; ita virtutem persæpè alta petens livor patefacit, cum in imperitis hominibus nihil sit quod invido-*

Menzinus l. all. c. 15. pag. 67.

invidorum rabiem excitet, vesaniam irritet. Quamobrem timorem prorsus abjiciat studiosa mens, & quanquam de bonis artibus literisq́; (quinimò ipso virtutis sinceræ erercitio) *Cadmaam hanc invidiæ segetem oriri videat, sibi dictum putet:*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Quodsi enim obtrectatorum formidine à bonis operibus abstinemus, parum videmur quid invidia sit, & quo ipsius vires extendantur intelligere. Illud enim tenendum est, eam tantum in viles animos & prava ingenia cadere, quæ alienis bonis torqueantur. Cumq́; rerum omnium arbiter præclaræ mentis dotibus te instructum voluerit, peccas nisi utaris. Viros etiam vitæ sanctimonia doctrinaq́; insignes nonne vides adversantium telis obnoxios? Quid Cicero, quid Aristoteles? [Quid Basilius M. Chrysostomus, Hieronymus, & alii plurimi?] *Morsibus patent, & vulneribus. Sed quamvis Aristoteli detrahant, Ciceronem vellicent, uterq́; tamen summi philosophi nomen nunquam amittet; lingulaci verò isti contentiosæ nequitiæ notam nunquam effugient.* Quid multis? INVIDIA

fortiores & densiores. *Et nos quoque* (notanter addit) *si lenes simus & patientes, fortes etiam erimus & validi.* Et in eandem sententiam Isidorus Pelusiota; *Quod si quis* (ait) *iis qui LIVORE feriuntur, veniam tribuat, ac pro ipsis ut ex hujusmodi furore emergant, vota faciat, atq; ita sit comparatus, ut non modo à vindictæ studio abhorreat, sed eorum etiam quos hoc vitium subegit, miseriâ moveatur, hic demum sincerè novit PHILOSOPHARI.*

Isid. Pelus. lib. III. epist. 181.

XXI. Nec est sanè ut verâ felicitate gaudens literatus, invidorum voculis adeò commoveatur, ut in illorum gratiam à cœpto laudabili opere cessandum sibi existimet. *Non enim generosæ indolis alacritas* (ait supra laudatus Menzinus,) *invidiæ concedit, sed cum optimè norit se inter ardua & difficilia positã, in præruptum, ubi virtus considet, verticem conatur evadere. At esto multum Tibi cum invidis negotii sit: sicuti umbellas evanidas in pictura conspicimus, quibus efficitur, ut sese rerum facies magis ostendat, & occulta quædam promittat; ita virtutem persæpè alta petens livor patefacit, cum in imperitis hominibus nihil sit quod invido-*

Menzinus l. all. c. 15. pag. 67.

invidorum rabiem excitet, vesaniam irritet. Quamobrem timorem prorsus abjiciat studiosa mens, & quanquam de bonis artibus literisq; (quinimò ipso virtutis sinceræ erercitio) *Cadmaeam hanc invidiæ segetem oriri videat, sibi dictum putet:*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Quodsi enim obtrectatorum formidine à bonis operibus abstinemus, parum videmur quid invidia sit, & quo ipsius vires extendantur intelligere. Illud enim tenendum est, eam tantum in viles animos & prava ingenia cadere, quæ alienis bonis torqueantur. Cumq; rerum omnium arbiter præclaræ mentis dotibus te instructum voluerit, peccas nisi utaris. Viros etiam vitæ sanctimonia doctrinaq; insignes nonne vides adversantium telis obnoxios? Quid Cicero, quid Aristoteles? [Quid Basilius M. Chrysostomus, Hieronymus, & alii plurimi?] *Morsibus patent, & vulneribus. Sed quamvis Aristoteli detrahant, Ciceronem vellicent, uterq; tamen summi philosophi nomen nunquam amittet; singulaci verò isti contentiosæ nequitiæ notam nunquam effugient.* Quid multis? IN-

VIDIA vel TOLLENDA eſt, vel TOLERANDA, aſt cum tolli nequeat, ſiquidem ſemper hâc peſte laboraturus ſit Orbis, & Iſraëlitis ſemper Jebuſæi ſint cohibitaturi, igitur TOLERANDA vel ſuſtinenda æquiori eſt animo, ferenda patienter, quæ nulla ratione mutari poſſunt. Cæterum CONTEMPTU etiam vindicandos eſſe livoris rabidi morſus, ſapientiſſimorum hominum ſententia eſt: Licet enim plerunque famam bonam diminuere omnibus nervis contendat, ea tamen ſemper bona apud bonos exiſtet. Quomodo virtuti ſapientiæq; intemperies illa fraudi eſſe poſſit, cum illæ humano arbitrio neutiquam ſubjaceant. *Quicquid in DEUM* (addit doctiſſimus ille Florentinus) *veſana lingva, hoc ipſum facit in Viros candidi pectoris & firmæ eruditionis invidia, jaculantur in communem patrem, largitoremque bonorum verba nequitiæ; ipſe verò nihil movetur, utique firmus, nullis perditorum hominum injuriis obnoxius.* Ecquis non advertit experiturque quotidiè, obtrectationes, calumnias, opprobria, plurimaque ejusmodi adverſantium ſpicula multò evadi tutius PATIENDO & TACENDO, quaſi eæ res nos non concernant, quam illis reſiſtendo, & armis quaſi ſimilibus propulſando. Igitur omnes ab iniquo Livore immiſſas ærumnas atque afflictiones, compoſito

Idem l. 6. p. 70.

ad

ad modestam hilaritatem vultu suscipiamus, easque nobis plerumque in profectum & emendationem evenire reputantes, animo toleremus pacatiori. Et dum vitam hanc mortalem velut Oceanum variis fluctibus procellisque agitatum transmittimus, nulla unquam concutiamur animi perturbati tempestate, nulloque adversæ fortunæ turbine demergamur, imò ne de irrogatis injuriis facilè conqueramur, cum liquidò constet, graviter ut plurimum peccare eum, qui frequentiorem illarum faciat mentionem, siquidem & philautia injurias nobis illatas vehementer exaggerare, & ad sumendam de inimicis vindictam acriter incitare soleat. Maximè verò caveamus, ne apud homines sinistræ suspicionis labe pollutos, eorum quæ nos premunt malorum ullam faciamus mentionem, cum tantum absit, ut illi animum componere, spiritumque serenare queant, ut magis eum sint turbaturi, gravioremque illi inquietudinem allaturi, nec spinam extracturi pungentem, sed potius pedi fortius sint infixuri. Quodsi apud aliquem de acceptâ injuriâ conqueri expediat, nonnisi hominem quietum, pacificum, DEOque verè consecratum accedamus, hic malo medeatur, & oportunum quodpiam suggerat remedium, quo adhibito, pristinam mentis integritatem, optatamque animi tranquillitatem consequi valeamus.

XXII. Atque ut tanti pretii thesaurum

cœlesti nobis concessum benignitate, eò securius possideamus, non PATIENTIA solum CHRISTIANA, sed & profundâ nobis opus erit HUMILITATE, sincerâque mentis demissione: *Non sita ea sit* [uti Gregorius Nazianzenus præclarè commonuit] *in veste quâdam humili, aut simulata colli depressione*, non in fallaci demissione vocis, aut vultus inclinatione, non per barbam promissam, aut affectatum quendam incedendi modum effingamus humilitatem, sed potius illustre Domini præceptum fidelissimè observantes, infimum ubique locum eligamus, infimos sodales, infimum officium, nec superiori solum, sed æquali, imò inferiori etiam lubenti animo nos subjiciamus, grande nefas, magnumq; piaculum reputantes, si vel unum contemnamus, uniq; nos præferre ausi fuerimus. Et sanè quanta humilitatis in superando debellandoque Livore vis sit & efficacia, post vetustissimos illos pietatis sinceræ Professores [quos Patres vocamus] insignis ille Caroli Magni Imp. Daduchus & informator Alcuinus sive Albinus, Turonensis Abbas, aurea hâcce gnome subindicavit: *MAGNUS VIR EST, QUI INVIDIAM SUPERAT HUMILITATE, discordiam charitate destruens.* Atq; hoc ipso Viri Magni charactere olim conspicuum fuisse Nepotianum, Hieronymus in ejus epitaphio est testatus,

Gregor. Nazianzenus Orat. XIX.

Alcuinus de virtut. & vitiis, opp. Paris. edit. 1619. fol. 1235.

tus, primam ſcil. eum curam habuiſſe, ut HUMILITATE SUPERARET INVIDIAM. Conſimili artificio, lividi & contumacis cujusdam Clerici animum Johannem Patriarcham Alexandrinum perviciſſe, vitæ ſcriptor diſertè aſſeruit. Et de mellifluo Doctore Bernardo Gvilielmus Abbas; Dicitur (*ait*) & INVIDOS habuiſſe, ſed peſtis illa HUMILITATE ejus & manſvetudine vincebatur, beneficiis ſuffocabatur, obruebatur obſequiis, nimirum doctus erat vincere in bono malum, ſicut ad quosdam fratres ſcribens inter cætera ait: Adhærebo vobis etſi nolitis &c. Adipiſcamur ergò (*dico cum ore AUREO*) eam quæ per humilitatem paratur magnitudinem, inſpiciamus rerum humanarũ naturam, ut futurorum incendamur deſiderio, non poteſt enim aliter fieri HUMILIS, niſi per divinarum rerum deſiderium, & præſentium deſpicientiam. Non poteſt (addimus nos,) tantæ virtutis attingere metam, niſi per continuum ſui contemptũ, & Christi exemplo pariter ac verbo tantoperè comendatam amoris proprii abnegationẽ. Hoc ſiquidem dono, cœleſti beneficio præditi, nihil ſibi coram divinæ Majeſtatis conſpectu tribuunt, nihilque præ cæteris ſibi vindicant

Hieron. in epitaphio Nepotiani.

Gviliel. Abbas lib. III. vit. Bern. c. 6.

Chryſoſt. Homil. I. in 1. Epiſt. Pauli ad Corinth.

mortalibus, in propriis bonis pariter ac alienis malis cæcutientes, ſeque præferentes nemini, ſed poſthabentes potius omnibus, eaque diligentiſſimè obſervantes, quæ deprimendæ elationi, & retundendæ ſuperbiæ conferant. Quam in rem præclarè olim Abbatem quendam Iſaiam dixiſſe accepimus: *Humilitatem nec linguam habere, quâ de aliquo tanquam negligente aut ſuperbo loquatur; neque Oculos, quibus aliorum errata perſpiciat, neque aures, quibus ea quæ animæ ſuæ non proſint, audiat, neminem denique niſi ſe ipſam ſuaque accuſet peccata.* Hoc equidem Animæ humilis in quarto (ut loquuntur modo) eſt proprium, ut non ſolum plurima ſibi deeſſe acutiſſimè perſpiciat, verum etiam cujuſcunque Virtutis ſummoperè fugiat oſtentationem, & ſe ſemper in poſtremis haberi velit, quin & continuam ſui depreſſionem meditetur. Juſtus enim, ut ait ſapiens, *prior eſt accuſator ſui*, quaſi ejus ſit proprium reprehendere ſemetipſum, cumque gravioribus flagitiis careat, neutiquam fateri formidat, ſi uſpiam imprudentius egiſſe, concitatiori affectu erraſſe, impegiſſe, offendiſſe, verbo dicam, HOMO FUISSE cenſeatur. Præclarè admodum de Sancto Jobo Gregorius Magnus; *Videatur* (ſcribit) *vir iſte cuilibet magnus in virtutibus*

Digitized by Google


tibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis; ego in eo admiror non minus CONFESSIONEM HUMILIMAM PECCATORUM, *quam tot sublimia gesta virtutum. Scio enim quod per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere, quam non admissa vitare, & unumquodq; malum, quamvis robustius vitetur, tamē humilius proditur.* Greg. M. lib. XXII. Moral. c. 10.

Cum quidam in veræ Humilitatis gymnasio probè exercitatus Doctor olim interrogaretur, quam potissimùm viam esse existimaret ad solidæ virtutis arcem? hanc ipsam præ cæteris omnibus laudavit: *UT SE IPSUM homo in cunctis semper accuset*. Nec invenusto apologo alius tradidit, virtutes omnes ad unius cujusdam commigrasse habitaculum, quo fiat, ut qui extra eam domum virtutē quæsiverit, vano labore frustra nitatur, at quicunque eo loci sese contulerit, expeditissima omnia sortiatur, eumque è vestigio virtutes cæteræ insequantur. Quærentibus autem quænam nobilis illa virtus esset, cujus domum peterent cæteræ; *Ea* (respondit ille) *est perennis &*

indefessa sui ipsius in omnibus accusatio sive reprehensio, quam qui constanter & sinceræ humilitatis affectu exercuerit, facilè in omnium virtutum deveniet conspectum: At verò qui ab hâc accusandi via declinaverit, etsi innumeras possederit virtutes, omnium tandem laborum suorum fructu carebit. Inde verò liquidò constabit, num sincera fuerit illa sui ipsius reprehensio, *si cum quisque* (ut Gregorius Magnus optimè docuit) *se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicat*; quod alio loco dilucidius exponens, *Peccatores* (ait) *se esse plerunq; confitentur, etiam qui se peccasse non credunt; Nam sæpè contingit, ut passim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter aliis arguentibus audiunt, defendunt se summoperè, atq; innocentes videri conantur, unusquisq; ergò cum talis est, si deliquisse se dicit, verè non dicit; quippe qui peccatorem se non ex cordis intimo, sed verbotenus asserit, nam si confitendo peccatum, esse humilis veraciter appeteret, de perpetratione peccati arguentes se alios, non impugnaret.* Quidsi verò reprehendentiū fervor metas transiliat veritatis, atque nimio objurgandi æstu abreptus, veris falsa permisceat? Quidsi dubia pro certis, conjectanea pro compertis, conficta pro factis, pronis ad deteriora credenda auribus admittantur? Quidsi Vir bonus ejusmodi insimuletur erroris aut criminis, à quo sit alienissimus, qui fieri potest, ut se ipsum illæsa

Gregor. M. lib. XXII. Moral. c. 10.

illæsa veritate condemnet unâ cum increpantibus? Locum hic teneat verissima Dorothei sententiâ: *Profectò si se quis cum DEI timore diligenter examinet, nunquam omninò se inveniet insontem, videbitque vel verbo vel facto, vel specie aliquam à se occasionem datam, quod si in nullo horum se tunc sontem inveniat, profectò ALIO IN TEMPORE, vel eadem vel dissimili in re peccaverit.* Tum igitur quoties reum se esse compererit, veritati & pietati erit consentaneum, ut se quoq; graviter incuset, nec in animum eam excusationis umbram admittat, quasi contra æquitatem omnem facta sit reprehensio, vel ex mera invidentia adaucta. Quis verò literatum tali præditum animo, tamque splendido sinceræ humilitatis charactere ornatum, ulla sociorum INVIDIA opprimi posse existimet? Quis insignem hanc literati verè felicis non laudaret PRUDENTIAM? Nempe si quapiam re adversâ eum exercente, si aliis incusantibus, semper is reperiat, unde in se ipsum omnem culpam conferat, nullamque propterea ægrè excipiat reprehensionem. Hæc inquam suprema veraque illa est circa DECLINANDAM paririter ac SUSTINENDAM INVIDIAM PRUDENTIA, cujus sectatores strenuos LAUS manebit in SECULUM.



COMMENTATIO V.
DE
LITERATORUM HOMINUM RIXIS
SIVE
CONTENTIONIBUS.

I.



OPtabile Bonum Concordia est literaria, sive amicabilis nexus ERUDITORUM, qui mutua sese obstrinxêre charitate, nulla quidem impulsi privatâ utilitate, sed publicâ, ad quam ipsi unanimiter omnes curas conferunt atque cogitationes. Hæc genuina fruticantis consociationis literariæ est indoles, hoc illustre exemplar Doctorum DEO verè sacratorum, qui summæ voluntatum & sententiarum student consensioni, & qui non scelerum conglutinatione, nec merâ utilitate, sed morum & studiorum junguntur similitudine, eadem planè eligunt, & iisdem plerunq; occupantur actionibus; hæ sunt sonoræ illæ fides, quibus intenta olim Mercurii lyra; hæc musica illa est symphonia,

phonia, quam profanâ religione imbutus Æschines optat communitati; hic est velut alter Zodiacus, & cœlestis quædam harmonia, Concordes nimirum ejusmodi Musarum filii, quorum illustria, planeque singularia exempla, tum Sacræ & ecclesiasticæ, tum profanæ historiæ monumenta suppeditant, velut Agathoclis & Diniæ, Eustrydici & Damonis, Zenothemi & Menocratis, Thesei & Pirithoi, Polystratis & Hippoclidis Philosophorum, qui eodem die nati, eandem sectam professi, alendæ scholæ communione conjuncti, eodem ferè momento ultima senectute sunt extincti, cumprimis verò Orestis & Pyladis, quorum res gestas Scythæ aureæ columnæ duxêre inserendas. Nec minus illustre & luculentum concordiæ christiano-literariæ exemplum ac documentum Ecclesiastica historia subministrat, sanctam illam Magni Basilii cum Gregorio Theologo deprædicans consvetudinem, cujus ipse Nazianzenus passim gloriosam cum sacrâ quâdam ostentatione fecit mentionem, asserens, illam tantoperè celebratam historicorum monumentis dilectionem, quâ Pylades & Orestes invicem deperierint, si cum amore comparetur suo & Basilii mutuo, talem esse, qualis exigua scintillulæ lux, si cum Solis copiosissimo splendore componatur: *In utroq; nostrum* (inquit) *non nisi una videbatur esse anima, duo animans corpora, unus & idem amborum scopus erat vir-*

Gregor. Naz. Orat. XX. in laud. M. Basilii hab.

virtutem exercere, & vita nostrâ studia ac proposita futuris bonis applicare, terra hâc mortali prius egredientes quodammodo, quam moreremur.

II. Ast avis rarissima in Orbe erudito, fida ejusmodi firmaque est animorum literatorum conjunctio; Avis inquam non ex iis, quæ agminatim cum multis, incitato alarum remigio per aëris aperta circumferuntur spatia, sed tam rara & singularis, ut admirationi sit, & cum plausu celebretur, si vel semel iterumque intra unius ævi spatium sui faciat copiam, eaque propter Plutarchus scitè amicitiam (eruditorum præsertim) animal minimè gregarium, aut graculatim volitans appellat, *dumq; amicum quis alterum se ipsum nominet, mutuo potius se ipsum colloquio compellet.* Apprimè equidem Boni illius maximi, ac Orbi erudito summè salutaris (quod concordiam literariam nuncupavimus) abalienationem deplorant Viri non minus conscientiâ, quam scientiâ conspicui, malorumque & damnorum ingentium à furiali illo, ferali & infernali monstro, CONTENTIONE nimirum, rixisque Literatorum provenientium fœditatem toto pectore execrantur, luctuosissimis nimirum casibus experimentisque edocti, quod præter Rempublicam literariam, ipsa Ecclesia orthodoxa domesticis quandoque atque intestinis certaminibus (de his

his enim potissimum nobis nunc dicendi erit locus, non item de disputationibus adversus professos sinceræ fidei hostes laudabili instituto, nec infelici successu huc usque susceptis) miserè discerpatur, nec litigantibus solùm partibus, ceu membris, verum universo tandem corpori funestum exinde immineat exitium, cum quicquid amicabilis animorum eruditorum conjunctio firmavit, roboravit, extendit, id sæva illa bestia dissolvat, dispergat, extingvat. Væ illi Ecclesiæ, illi Academiæ, Scholæque & Gymnasio, in quo Doctores, Professores, animarumque Curatores perniciosis ejusmodi segregantur dissidiis, nec disputant placidè, sed rixantur potius, ac fervidè invicem de rebus exigui momenti digladiantur. Fratribus Josephi similes sunt hujus farinæ socii, *qui nihil poterant loqui pacificè*, & continuis fratrem innocuum proscindebant conviciis. Omnium equidem ætatum monumenta clamant, quantum sint domestica ejusmodi mala & vulnera hostium extraneorum conatibus & machinationibus perniciosora. *Is morbus* inquit Medicorum summus, *longè difficillimus est, in quo vultus ægrotantis fit dissimillimus. Nulla res validissimas munitissimasque gentes hostibus pervias obnoxiasq; reddidit, quam nulla ad propulsandum commune* *peri-*

Gen. 37. v. 4.

Apud Paschal. in Character. mor. pag. 726.

periculum animorum consensio. Græcorum calamitates Homerus ad ipsorum discordias retulit, nec ulla unquam civitas opibus tantoperè floruit, nulla tantum præsidium, tantamque rerum omnium copiam obtinuit, quæ discordiâ interveniente non sit dejecta atque devastata. Insignis & vetustissimus ecclesiasticæ Historiæ scriptor Eusebius, horrendæ illius persecutionis, (quæ ævo suo Ecclesiam exercuit gravissimeque afflixit) originem causasq; palmarias investigaturus, culpam non nisi in continua Christianorum (ipsorumque Doctorum orthodoxorum) dissidia, & mutuas frequentissimasque eorum digladiationes duxit conjiciendam: Cum ex nimia (ita notanter scribit) libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus, cum alter alteri invidere & obtrectare cœpisset, cum inter nos quasi bella intestina gereremus, VERBIS tanquam armis quibusdam hastisque NOS MUTUO VULNERANTES; cum ANTISTITES adversus Antistites, populi in populos collisi, JURGIA ac tumultus agitarent, denique cum fraus & simulatio ad summum malitiæ culmen adolevisset: tum DIVINA ULTIO levi brachio, ut solet, integro adhuc Eccle-

Euseb. Histor. Eccles. lib. VIII. cap. 1.

Ecclesiæ statu, & fidelium turbis liberè convenientibus, sensim ac moderatè in nos cœpit animadvertere, orsa primum persecutione ab iis qui militabant. Cum verò sensu omni destituti, de placando Dei Numine ne cogitaremus quidem - - Cum PASTORES nostri spreta religionis regulâ MUTUIS INTER SE CONTENTIONIBUS decertarent, nihil aliud quam JURGIA, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes, principatum quasi tyrannidem quandam contentissimè sibi vindicantes: tunc demum juxta dictum Hieremiæ obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, dejecit de cœlo gloriam Israel, nec recordatus est scabelli pedum suorum, in die iræ suæ, submersit Dominus omnem decorem Israel, & macerias ejus omnes destruxit, &c. Litibus itaque, continuisque Doctorum christianorum concertationibus Eusebius potissimum ea mala imputavit, quæ Ecclesiam ævo suo exercuerunt. Rectè Basilius: *CONTENTIONES quidem à principio exiles esse solent, & facilè curantur; at procedente ex collatempore aucta, insanabiles omninò evadunt.* Tales

Basil. M. Orat IX. Et anti.

les

les ut plurimum mutuæ ſunt eruditorum lites atque contentiones, quarum tanta eſt vehementia, tanta atrocitas, ut eas nuſquam non graviſſima damna infinitæq; miſeriæ exceperint. Ex iſta ſiquidem tam cœnoſa ſcaturigine principio contemptus manat aliorũ, inde odia immortalia, mens item turbulenta, variiſque dilacerata affectibus; ut nunquam in portu, ſed ſummo ſemper in fluctu verſetur, atque poſt diu multumque agitatas lites rixaſque perniciosiſſimas, hoc unum aſſequatur, ut tandem ſeſe intimè conficiat. Hoc ipſum malorum omnium extremum nimius amor ſui progignit, illa inquam arrogans perſuaſio, quâ faſcinatus inflati, nimiumque ſibi placentis literati animus, plus cæteris omnibus ſe & ſcire & poſſe, ſapereque exiſtimat, atque hinc facile & publicis & privatis dividiis anſam ſive occaſionem ſubminiſtrat.

III. Exemplo ſuo ſatis luctuoſo id docuêre SOPHISTÆ veteres, peſſimi illi contentionum philoſophico-gentilium architecti, qui miro quidem ingenii acumine præditi, ſagacique intellectu ditati, aſt philautiæ arrogantiæque labe tantoperè correpti atque corrupti fuêre, ut rixas atque contentiones continuas ſint meditati, tantiſq; ſemper altercationum mutuarum turbinibus agitati fuerint, ut nunquam ad optatam animi aſpirare potuerint tranquillitatem, quin imò ipſam Philoſo-

phiam

phiam gravissimis ignarorum ignavorumque expofuerint odiis. Immensam equidem Sophistarum libidinem rixandi, & semper ac ubivis contradicendi pruriginem, sæpè Patres, sæpè etiam ethnici scriptores suggillant, & præter cæteros Hieronymus & Aurel. Augustinus notarunt, Sophistas ex impotenti illa rixandi ac contendendi libidine nomen CONTENTIOSORUM tanquam proprium retulisse. Quid quod omnes etiam Dialecticos, unaque Aristotelem ipsum in eâdem navi statuerit Tertullianus, lib. de præscript. c. 7. cum ait de Hæreticis: *Miserum Aristotelem! qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam Contentionum.* Non nisi Sophistæ illi litigiosi in culpa olim fuère, quod tantos olim innocua Philosophia osores & rosores habuerit, ut proinde haud malè Lucianus alicubi illam multa querentem, ac Sophistarum pessimos mores detestantem introducat, similiterque Socrates apud Platonem & Xenophontem jure eos sit detestatus, imò totus in hoc occupatus, ut ex ordine Philosophorum Sophistas contentiosos exterminaret, saltim fastum eorum intolerandum hoc astu retunderet, *quod unum illud se scire diceret, præ omnibus Sophistis, QUOD NIHIL SCIRET.* Cum Euclidem contentiosarum argutationum admodum studiosum turpiter

Hieron. in c. 3. epist. ad Titum

August. l. 1. contra Crescent. Gramm. c. 2.

Lucian. in Dial. fugitiv.

Diog. Laertius Lib. II. in vita Socratis.

sophisticari audivisset, hunc reprehendit in modum: *O Euclides, Sophistis uti poteris, hominibus uti non poteris*, judicans nimirum, (Laertio interprete) *Sophisticen ad publicas functiones esse inutilem, quas si quis affectet, eum non oportere gryphis & inanibus ludere argutiis, sed hominum sese accomodare moribus*. Tantum verò abest ut Socrates quicquam vel commonitionibus vel comminationibus suis effecerit, ut potius inde summum incurrerit vitæ periculum, famæque detrimentum, atque Sophistis conspirantibus, & Anyto quodam accusante, in carcerem conjectus, ac sub prætextu quod de Diis malè sentiret, ad bibendam cicutam sit coactus. Mox Sophistarum cohors, ipsiusmet necati Socratis discipulis degeneribus, Diogene cumprimis, Antisthene, Cratete aliisque vel conniventibus, vel concurrentibus [in quos etiam Stoæ arbiter Seneca plurimis in locis gravissimè invectus est] tantoperè est adaucta, ut innumeri tanquam ex equo Trojano prodierint, qui partim Athenis, partim alibi ingenuos seduxêre juvenes, atque contentionis philosophicæ detestabile vitium ubique propagavêre, adeò ut Nazianzeno teste, *Athenis ex juvenibus quamplurimi, imò modestiores etiam, circa sophisticen desipuerint; non ingeniosiores solum, & nomine obscuri, sed generosiores etiam & elatiores, inter*

Seneca epist. 45. 48. 49.

Nazianz. Orat. in laud. Bas. M.

ter se pariter ut alij decertarint. Quid, quod eodem memorante, nonnulli ad ipsum Basilium accedentes, eum CONTENTIOSIS potius quam doctis & argutis quæstionibus tentarint, ac primo impetu sibi subjicere sint conati, tum quod egregiam ipsius indolem jam pridem nossent, tum quod ipsi tantum honoris eo tempore haberi permolestè ferrent, impigrè nimirum sectantes pessimum illum Sophistam * Gorgiam Leontinum, Chrysippum item, Cleanthis Stoici discipulum & successorem, *quem in omni doctrina curiosum, stoicorum somniorum vaferrimum interpretem, imò Sophistam versutum & callidum fuisse*, Cicero indicavit; Carneadem denique imitantes, illum eloquentissimum Academicæ philosophiæ Professorem, sed damnifici planeque diabolici ingenij hominem, qui pro suo lubitu animos flectere, & vera falsaque pari applausu defendere potuit, optimas sæpè causas (Cicerone teste) ingenij calumnia pervertens, omniaque incerta, & nigras nives, cum sint albæ, faciens. Hoc famoso contentionum Magistro Carneade audito, Cato Censorius auditores quamprimum censuit dimittendos, quoniam illo vi-

* *Gorgias hic Leont. primus à quibusdam Sophista dicitur, cujus historiam ac sophismata Lincium quendam Alimentum notasse Jonsius in histor. Script. Philos. l. 2. c. 9. commemoravit.*

ro argumentante, quid veri esset, quid falsi haud facilè discerni posset.

IV. Parum autem fuit Archisophistæ diabolo, pestilenti rixarum contentionumque glaucomate magistrorum duntaxat ethnicorum oculos fascinare & animos, nî ejusdem nequitiæ infausto halitu plurimos afflaret Doctores CHRISTIANOS, & à regiâ æquanimitatis veritatisque via turpiter abductos, intricatissimis ejusmodi dissidiorum concertationumque involveret labyrinthis. Prolixo equidem ostendere possemus commentario, quomodo inchoante & crescente Ecclesiâ, creverit quoque pessimorum sophistarũ numerus, quâve ratione hæretici veteres per tricas sophisticas cœlestem impugnarint veritatem, ac depravarint turpiter, à summis Ecclesiæ priscæ Doctoribus jure meritissimo propterea increpati. Hinc Faustum Manich. B. Augustinus *magnum diaboli laqueum* nuncupavit, alibique *diabolum per sophistas hæreticos efficere voluisse* indicavit, *ut in Ecclesia quoque liberæ essent dissensiones, sicut in Academiis philosophorum, ut sicut illæ per multas divisiones tandem interierint, atque ab invicem consumtæ sint, ita similiter fieret in Ecclesia.* Hinc etiam Augustino vetustior * Clemens Alexan-

August. l. XVIII. de C. D. cap. 52.

* *Clemens Alex Lib. I. Strom. conf. lib. 6, ubi plura de hæreticorũ notis, similiter ha-*

Alexandrinus, de falsis ævi sui Doctoribus graviter conquestus est, quod CONTENTIOSAS undique compararint quæstiones, distinctiuncularum fuerint venatores, pusillarum quarundam artium æmulatores, & *jurgiorum consarcinatores*, quod insuper semetipsos erexerint INFELICES illi (ut notáter ait) SOPHISTÆ, canoris quibusdam suis nugis garrientes, qui cum in nominum verborumq; delectu, certaq; dictionum compositione & connexione totâ vitâ laborent, cicadis appareant loquaciores, &c. Similiter Tertullianus, cum multa dixisset, quæ eundem hæreticorum priscorum genium exactè exprimunt, scitè Gentilium Philosophos Sophistasque *Hæreticorum Patriarchas* salutavit. Illorum siquidem levitas (inquit Lactantius) instructa dicendi facultate & copiâ, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitaverit. Sic Magnus Basilius Eunomium circa quæstiones, inutilesque CONTENTIONES ægrotasse, semperque quæsivisse testatus est, non ut fidem, sed ut infidelitatem inveniat; *Curiosa* (ait) *istorum hominum circa syllabas & dictiones observatio simplex alicui videri possit neq; tendens ad malum, sed profundum atq; obtectum habet adversus pietatem consilium*. Ideòq; B. Petrus farinæ istius homi-

Tertull. adversus Hermog. cap. 8.
Lactant. Instit. Div. lib. 1. c. 15. conf. lib. V. c. 9. & lib. VI. c. 6.
Basil. M. l. V. adversus Eunom.

reticorum ævi sui genium notarunt Irenæus lib. I. c. 5. Justinus quæst. 4. ad Orthod. Tertull. de præscr. c. 42. & alii.

Id. de Spir. S. ad Amphil. c. 2. 2. Petr. II v. 17. August. lib. de fide & opp. cap. 15.

homines (ipso Augustino observante) FONTES SICCOS appellavit, quoniam vitalis aquæ i. e. doctrinæ sanæ expertes, magnam quidem promittant sapientiam, instar fontium vanè elati superbiant, re ipsa tamen nonnisi fallacem sophisticam, pestiferamque doctrinam propinent, ut plurimum philologi potius sint, quam philosophi & philergi, folia dent non fructus, verba non scientiam, SOPHISMATA, non solida argumenta afferant in medium, adeoque *& nebulis sint similes turbinibus exagitatis.* Sicut enim nebulæ instar nubium densescunt, tument, turgentque, sed intus vanæ sunt, inanes & vacuæ, humore, rore & imbre carentes, sic & SOPHISTÆ illi PSEUDO-CHRISTIANI non nisi vana fastuosaque eructare solent verba, attamen Scripturâ rationeque convicti, summa contentione & clamore orthodoxos obtundere conantur. Quid, quod instar nebularum & nubium frequenter ventis contrariis inter se confligentibus quaqua versum agitentur? Omnium quippe seculorum historia docuit, falsos ejusmodi Doctores à spiritu vertiginis, ipsoq; dæmone circumagitatos, primum à verâ fide aliena, mox inter se contraria docuisse, atque acerrimos cum doctrinæ professionisque suæ sociis subiisse conflictus. Sic de Valentinianis & Marcionitis Tertullianus; *Mentior* scribit, *si non à regulis suis variant inter se, dum unusquisq; arbitrio*

Tertull. lib. de præscript.

trio suo modulatur quæ accepit. Sic ab Arrio discessisse Aetium constat, ejusque sectatorem Eudoxium, ab Eudoxio segregatum fuisse Eunomium, hunc à Theophronio desertum; Similiter Macedonianorũ hæresin duo habuisse capita accepimus, Macedonium videlicet ipsum, & Eutropium, qui acriter postea illi se opposuit. Sic & Nestorianos Eutychianosque hæreticos, circa personam Christi in duobus extremis errantes, mox in plurimas abiisse sectas, varia historiarum ecclesiasticarum monumenta testantur. Silentio prætereo alias æque acerbas hæretico-sophistarum, heterodoxorumque divisiones atque dissensiones, utpote à plurimis scriptoribus atro notatas carbone, & ad orcum unde provenêre relegatas. Id ipsum verò rixarum concertationumq; pessimarum venenum, à priscis Gentilium & hæreticorum magistris propinatum, strenuè hausisse ætatum superiorum DOCTORES SCHOLASTICOS, tum gravissimæ INGENUORUM THEOLOGORUM querelæ innuunt, tum ipsorummet Neo-sophistarum vasta volumina loquuntur. Ex infinitis Veterum, de verbosa, contentiosa, & sophisticâ Scholasticorum Theologia querelis, haud postrema est illa Anshelmi Avelburgensis, qui circa annum 1140. de istis humanæ sapientiæ cisternis, aquam vivam haud capientib9, sed turpi concertationũ cœno venas Israeliticorum fontium magis ma-

gisque turbantibus hunc in modum est conquestus: *Solent plerique* (Scholasticorum sc.) *mirari & quæstionem ponere, & non solum interrogando oppugnare verum, sed etiam aliis generare scandalum. Ac etsi Scholastici alicubi Scripturam tractant, tamen sine timore & pietate istud fit, magis studio acumine ingenii penetrandi, & per pravum intellectum vel malitiæ vel vanitati applicandi, quam pia oratione & meditatione discendi, nudo docendi ingenio freti, in eam irruentes illotis pedibus instar porcorum &c.* Ast tam illoto loqui ore, deque rebus tam arcanis & adorandis magis quam explicandis, tam profanis ethnicorum Sophistarum argutiis disputare, tam arroganter definire, divinæque Theologiæ majestatem tam frigidis imò sordidis verbis simul & sententiis conspurcare, execrandæ summæque impietatis indicium esse, Erasmus haud abs re in Moriæ encomio judicavit. Nec minus notanter Nicolaus de Clemangis, doctrinam Scholasticorum eandem habere naturam pronunciavit cum fructibus circa stagna asphaltitis aut Sodomiticum crescentibus, qui etsi externè speciem quandam jucundam aspectui præbeant, tamen internè cineris tantum & pulveris rationem habeant. Hujus equidem generis infinita, cumprimis apud

D. Erasmus in Moria encomio.

apud SCOTUM ſubtilem tenebrarum Magiſtrum [id enim ipſa innuit hominis appellatio] reperiuntur. Quamvis enim ille ob ſingulare ingenii acumē Doctoris ſumè ſubtilis cognomine ſit donatus, captioſo tamē ſuo dicendi diſſerendiq́ue genere graviſſimas paſſim lites concitavit. Ferunt eum apoplexiâ mortuum, atq; ante aram maximam Coloniæ apud Minores ſepultum, ſpiritu redeunte in ſepulchro demum expiraſſe, quod Janus quidam Vitalis hocce expreſſit tetraſticho:

Quod nulli unquam homini accidit viator,
Hic Scotus jaceo ſemel ſepultus,
Et bis mortuus, omnibus SOPHISTIS
Argutus magis atq́, captioſus.

At verò Sophiſticam illam contentioſamq́ue Theologiam cum Scoto neutiquam ſepultam fuiſſe, ſed magis magisque effloruiſſe, præter alios Cornel. Agrippa hunc in modum eſt conqueſtus: Tot illi invictas & Scotiſticas ſubtilitates invexerunt, ut Cleantis Chryſippiq; argutiæ cum Daphiræ, Euthydemi, & Dionyſiodori circumventiunculis penitus craſſæ ruſticanæq́ue futuræ ſint, ſi cum iis novis SOPHISTARUM noſtrorum inventis conferantur, in quibus nunc paſſim omnis ferè Scholaſticorum turba cum miſero labore ac damnabili ſtudio

Cornel. Agrippa cap. 8. de vanit. ſcient.

occupata, nihil magis agere videtur, nisi ut discat errare, ac perpetuis digladiationibus explicandam veritatem obscuriorem reddere, vel amittere, quorum tota disciplina non aliud quidpiam est, quam CAPTIO quædam, ex depravatis verborum dictionibus subdola quâdam cavillatione pervertens usum loquendi, & eum inferens lingvæ quam ignorat, transvertens veritatem secundum verisimilem expositionem. Quis hinc priscorum Sophistarum gentilium imaginem, in Scholasticis illis vitilitigatoribus clarissimè expressam, non perspiciat? quis pessimum doctrinæ genus, (quod haud abs re Cicero audax vocat ac impudens) ex illis philosophiæ veteris dehonestamentis originem traxisse dubitaret? Quis non iisdem appellationibus Scholasticos designaret, quibus Plato quondam ævi sui Sophistas à veris distinxit philosophis, vocans illos *athletas artis litigatoria, intricatarum sententiarum doctrinâ anima corruptores, sententiarum ac opinionum falsarum magistros, idolorum fabricatores, phantasticos, non DEI sed hominum cultores ac imitatores.* Quibus verbis tam exactè contentiosos depinxit Scholasticos, ac si eorum secula prævidisset. Imò tantum abest ut ipsi à Sophistarum nomine abhorruerint, ut illud quon-

Conf. Plat. Dialog. qui Sophista dicitur, ut & Alcin. de doctr. Plat. c. 34.

quondam inter insignia nominis ac honoris sui ponere non dubitarint. Sic Ludov. Vives memoravit, quendam Lutetiæ fuisse, qui se publicè HORRIBILEM SOPHISTAM vocarit & ostentarit, nec nomen solum sophistæ, verum ipsam litigandi methodum sophisticam plerosque Scholasticos retinuisse & usurpasse, idem Vives præclarè demonstravit, sic inter alia scribens: Quia in quâlibet materiâ Scholasticis statim altercandum, quæsita sunt spinosa quædam apta disputationibus, quæ materiam suppeditarent RIXIS, & diutissimè proferrent altercationem, etiam in tradendis præceptis artis; nihil semel dicunt, ne adimant sibi argumentandi & in contrarium dicendi occasionem, sed si quam definitionem aut formulam tradunt, primum proponunt confusè & ruditer, postea paulatim velut cogentibus ad id argumentatiunculis expoliunt, & crebris tibicinibus fulciunt - - - Nec contenti iis quæ natura ingenii humani assequi & definire poterat, ad vivum voluerunt omnia resecare, adducti dulcedine disputandi. Et quemadmodum, qui pruritus titillatione acti, nimium scabentes sangvinem eliciunt, & dolor succedit

L. Vives de caus. corr. art. lib. III.

in

in locum ſvavitatis, & mali chirurgi dum morbidum nimis reſecant, ſanum quoq; attingunt; ita iſti dum nimium ſcalpunt veritatem amittunt, & in falſum incidunt, quod profert ſe majore aliqua veriſimilitudine, quam verum ipſum - - Hinc eſt acutus ille Mimi verſiculus: *Nimium altercando veritas amittitur.*

Jo. Lud. Vives lib. 1. de cauſis corrupt. art. Tom. 1. opp. f. 344.

V. Quis itaque vitio verteret doctiſſimo illi Hiſpano, quod cauſas corruptarum artium & diſciplinarum inveſtigaturus, non poſtremũ inter eas frequentiſſimis literatorũ contentionibus, otioſisq; diſputationibus locum duxerit aſſignandum: Nomen ipſum quidem (ita ſcitè non minus quam notanter ſcribit,) teſtatur dici diſputationes, quod per eas veritas ceu putaretur ac purgaretur, poſtea verò quam ab auditoribus profecta eſt laus & pretium ad eum, qui optimè videretur ſenſiſſe, ex laude ſæpè numero divitiæ, ac opes; prava vel honoris vel pecuniæ cupiditas animos diſputantium invaſit, ut tanquam in pugna ſola ſpectaretur victoria, non elucidatio veritatis: ut & ipſi quicquid ſemel dixiſſent, ſtrenuè tuerentur, & adverſarium proſternerent ac concul-

culca-

culcarent. Humilibus & ſordidis ingeniis, quique dejecto capite hæc ſola intuerentur levia & momentanea, parum eſt viſum magnū pretium ab ſtudiis probitas, aut veri intelligentia, quæ duo illi quod non ſatis acutè cernerent, nec quantæ eſſent æſtimationis aſſequebantur, præſentem mercedem quæſierunt pecuniæ, vel auræ popularis. Ideò quo majus eſſet operæ pretium, populum ad ſua certamina admiſerunt, tanquam ſpectatores fabulæ in theatrum productæ; tum quod fieri ad conceſſum par erat, Philoſophus depoſita illa tam gravi & veneranda perſona, HISTRICAM induit, ut commodius ſaltaret; factus eſt populus ſpectator, arbiter, judex, & quod non facit aulædus in ſcena, fecit PHILOSOPHUS in ſcholâ, ut tibias non ſibi & Muſis aptaret, quod monet vetus Magiſter, ſed omninò coronæ ac multitudini, à qua rediturus erat ad actores honor & quæſtus - - Indagandi veri una & ſimplex via eſt relicta, faciendi fuci apertæ, ſexcentæ, quâ quisque ut cōmodum ſibi eſſet

ſet graſſaretur, præſertim cum nihil ſit tam deforme, quin amatorem inveniat. Nec ſolum in hanc opinionem populus cucurrit, finem dicendi eſſe diſputare, ut militiæ conflictum, verum publicus conſenſus permultos veteranos & quaſi triarios ſcholaſticæ militiæ rapuit, ſed qui ingenio & judicio non plus valent, quam plebs infima, ut ſupervacaneum eſſe ac ſtultum cenſeant, ſi quis ad mentem & mores, & quietum illud inquirendi genus philoſophiam revocet, nullum eſſe alium ſtudiorum fructum, quam præſenti animo NON CEDERE ADVERSARIO, intrepidè eum vel aggredi, vel ſuſtinere, & callere quo robore, quâ arte, qua ſupplantatione ſit ſubvertendus. Ergò in re pulcherrima, & omnium præſtantiſſima, conſultum fuit ſtatim aſſvefacere puerum, & eum perpetuo exercere, altercandi ſtatim natis initium, finis nullus, niſi cum morte. Puer ad ſcholam deductus, primo confeſtim die jubetur diſputare, & docetur jam rixari, qui fari nondum poteſt, idem in grammatica, in

poetis,

poetis, in historicis, in dialectica, in rhetorica, in omni prorsum disciplina. Quis pessimum ævi istius, scholarumq; morem graphicè à Vive hoc modo descriptum fuisse negaret? *Nec una* (ita Ludovicus pergit) *disputatio uno sufficit die, aut gemina, sicut refectio, sub prandium altercantur, pransi altercantur, sub cœnam altercantur, cœnati altercantur. Agunt hæc, ut discant, an ut concoquant? Domi altercantur, foris altercantur, in convivio, in balneo, in vaporario, templo, urbe, agro, in publico, in privato. omni loco, omni tempore altercantur, non toties sub lenone rixantur meretriculæ, aut sub lanista dimicant gladiatores appetente munere, quoties isti sub magistro philosophiæ. Populus non ille moderatus & gravis, sed levis, barbarus, bellax. hâc velut pugnæ specie mirificè delectatur. Ita ut sint imperitissimi homines permulti, & omnis literaturæ penitus expertes, qui hanc spectaculi hujus voluptatem vel quis omnibus anteponant.* Vitione proin (dico iterum) aliquis Viro cordatissimo vertat, quod inde præcipuam quandam corruptarum artium & disciplinarum causam duxerit derivandam? *Quanta* (notanter scribit) *ascitur hinc corruptela & moribus & disciplinis, inflammatis animis & ad pertinaciam obfirmatis? Clamores primum ad ravim, hinc improbitas sannæ, minæ convicia, dum luctantur. & uterq; alterum tentat prosternere; consumptis verbis venitur ad pugnos, ad veram lu-*

ctam

ctam ex ficta & simulata - - - Estne hac exercitatio sapientia Est hac professio veneranda disciplina? egressi illinc, qua scripta, maledicta, invectiva mutua, & odium inextinguibile? Victoris gloria & arrogantia, tanquam in cruento bello, & victi pudor atq; invidentia, &c. Quæ ipsa contentionis literariæ mala cũ probè perpendisset & Jo. Picus Mirandulanus ausu planè herculeo priscorum & recentiũ philosophorum meditatus est conciliationem; facto quidem à Platonis & Aristotelis tentatâ concordiâ initio, *quam* (ut vitæ Scriptor perhibet) *brevi erat perfecturus, si vita comes paucis adhuc annis superfuisset. Inter Averroem quoque & Avicennam, inter Thomam & Scotum, qui jam diu conflictaverant, si non pacem in universum, in multis tamẽ impetrasset inducias &c.* Modum nempe vir optimus, terminumque frivolis philosophorum quorundam litibus ponere statuerat, quibus ut plurimum nobilissima quæque ingenia depravantur, tristemque exitii perpetui subeunt aleam. Et quamvis non ignorarit, egregiæ cujusdam honestatis velum litibus literariis obtendi; cane tamen & angue pejus, doctos eo morbo laborantes evitandos esse judicavit, illos nimirum, qui nefario contentionis spriritu obsessi, odia & inimicitias cum doctioribus exercent continuas, eaquepropter vel insanæ plebis risum & dicteria vix effu-

Confer. vitam Mirand. opp. ejus Basil. anno 1557. aditis prafixam

effugiunt. Quod ipsum contentiosorum literatorum genus JOHANNES COLETUS illustris Anglorum Doctor tantoperè est detestatus, ut Erasmo Roteradamo teste, inter amicos liberrimè professus sit, *Scotistas (quibus hominum vulgus peculiare tribuat acumen,) sibi videri stupidissimos, & hebetes, & quidvis potius quam ingeniosos; cum argutari duntaxat circa alienas sententias ac verba, nunc hoc arrodere, nunc illud, & omnia minutatim dissecare, ingenii sit sterilis & inopis.* *Thomæ verò* (pergit Erasmus) *nescio quâ de causa iniquior erat quam Stoto: Etenim cum hunc apud illum aliquando laudarem, ut inter recentiores non aspernandum, quod & sacras literas, & authores videatur evoluisse, cujus rei suspicionem mihi fecerat catena, quæ vocatur aurea, & aliquid haberet in scriptis affectum, semel atque iterum dissimulavit obticescens. Verum ubi rursus in alio colloquio inculcarem eadem frequentius, obtuitus est me, velut observans seriò ne hæc dicerem, cum autem animadverteret me ex animo loqui, tanquam afflatus spiritu quodam; Quid tu inquit, mihi prædicas istum, qui nisi habuisset multum arrogantiæ, non tanta temeritate*

Erasmus in vita Coleti ad Jodocum Jonam 1521. script.

tantoque supercilio definisset omnia, & nisi habuisset aliquid spiritûs mundani, non ita totam Christi sua profana philosophia contaminasset. Sed quicquid de Thomâ, ejusque è Scoti scholâ antagonistis sit statuendum, magis multò deplorandum est, semper extitisse pestifera ejusmodi contentionum literariarum seminaria, in quibus solidioris ac politioris doctrinæ loco, auditores eruditi sunt, quâ ratione expeditè rixari, garrire, & præclaros quosque viros maledictis insectari debeant. *Estne hæc exercitatio sapientiæ*, (dico rursus cum ante laudato Vive) *estne hæc professio venerandæ disciplinæ? Quid non inveniant* (scribit paulò inferius) *homines contra homines, si in hoc penitus & semper incumbant, si nihil relinquant intentatum dum imponant, & fallant, præsertim cum vitio nostrorum oculorum, quædam aliter multo videntur quam sunt, & ut Aristoteles ait, falsa quædam majorem habent similitudinem veri quam vera ipsa: Ergo aliquas præstigias excogitat, quæ positæ ob aciem nostræ mentis, illam ad veri lucem non sinunt penetrare. Quumque minus multò potest dare operam, ut an tenebræ ac præstigiæ sint, dijudicet intenta*

Vives l. 6. p. 346.

tenta & occupata, vel dum alium ferit, vel dum se tuetur; non vacat in se redire, & lucem ingenii ac judicii offusis nebulis quietè admovere, plus nimio occupata quæstiunculis ad disputationem armandis atque exarmandis: semper in agitatione volvuntur ac motu, nunquam sinunt aquam fieri liquidam, quam sint bibituri. Quo fit ut moderata quâdam collatione studiorum enitescat veritas, tanquam attritu, nimium autem altercando amittatur, ut Publius Mimographus dixit, tanto sapientius Poeta in scena, quam Philosophus in Schola. En igitur, quo pudenda contentio hominem literatum abripiat, ut rei omnium pretiosissimæ VERITATIS sc. irreparabilem ille subeat jacturam! Hoc in luto hærent doctorum plurimi, imò hoc pernicioso atq; exitiali æstu feruntur.

VI. Et sanè si quis ineptissimas sophistarum veterum quæstiones, earumque longè obscuriores declarationes, tum objectiones, objectionumque confirmationes, declarationum probationes, imò infinitarum rationum, solutionum, exceptionum, distinctionumque plaustra probe consideret, facilè deprehendet, quo in luto olim illi artium magistri

hæserint, quam profundâ obnupti fuerint caligine, quam immani pudendâque contradicendi libidine laborarint, adeò ut vix inter duos vel tres circa quæstionis cujusvis decisionem consensus inveniatur. Illustre exemplum, in suis ad Augustinum de Civitate DEI annotationibus modo laudatus Vives dedit verbis sequentibus: *Disputant* inquit *Scholastici, an potentia creandi possit communicari creaturæ? de quo multa* Thomas, *cujus argumenta nititur infirmare* Scotus, *ut sua confirmet, quæ labefactare conatur* Occamus, *ut sua figat, at ista quoq;* Petrus Aliacensis *luxat, usq; adeò vel ludunt in re seria, vel affectibus & factionibus suis cogunt subservire rem cælestem: Qui mores* (pergit) *possunt emendari, qui sedari & tolli pravi affectus, qui fieri divini ex doctrina dissidiis agitata, & tracta versaque sursum & deorsum pro libito affectuum humanorum concussa machinis tam pertinaciter litigantium?* Nec minus notanter idem Vives alibi; *Antequam de disputationibus finem dicendi facio, adjiciam illud, quod ostendit, quam isti homines eruditionem & cognitionem veri parvi fecerint, quum se penitus conflictui dediderunt, & cum quibuscunque potue-*

L. Vives in Lib. XVIII. Aug. de Civ. Dei c. 18.

Idem lib. I. de caus. corrupt. art.

potuerunt rebus aluère: Etiam inter illa ipsa incepta, absurda, stulta dogmata, si quod esset unde copiosum aliquod & fertile oriri posset disputationi seminarium, tametsi falsum esse existimarent, inferebant nihilominus in scholam, & statuebant tanquam positum & fixum, ne materia deesset rixandi: videlicet quod ex illo quod verum esse non dubitarant, pauciora existerent, quam ex falso argumenta. Exempli gratia: Secta illa Scholastica, quæ à Gulielmo Occamo defluxit, & Nominalium se appellavit, ridet quæ Johannes Scotus, & ii qui Reales dicuntur, de punctis, de momentis, de intervallis, de indivisibilibus affirmant, & tamen illi ipsi disputaturi vel in logicis de incipit, & desinit, *vel in physicis de motu & tempore opinionem Scoti tanquam veram subjiciunt, ut sit dimicatio diuturnior.* Et ad eundem ferè modum Erasmus; *Quid futurum* (scribit) *arbitramur, si Turcis ut Christum amplectantur,* Occamos, *aut* Durandos, *aut* Scotos, *aut* Gabrieles, *aut* Alvaros *proposuerimus? quid cogitabunt aut quid sentient (sunt enim & illi, ut nihil aliud certè homines) ubi audierint illas SPINOSAS ET INEXTRICABILES ARGUTIAS, præsertim ubi viderint de iis adeò non convenire inter magnos illos religionis professores, ut frequenter usque ad pallorem, usque ad convitia, usque ad sputa, nonnunquam*

Erasmus in Ench. Mil. Christ.

& u q, ad pugnas invicem digladientur. Id verò potissimum in iis damnandum, quod de maximi momenti articulis, inque Sacro Codice clarissimè definitis, horrendo contradictionis œstro perciti Magistri, topicè imò scopticè disputare, atque in locum fidei certæ, sophisticam scepsin & Academicam ἐποχὴν introducere non dubitaverint, variisque argumentis veluti fluctibus, modò in hanc, modo in illam partem jactati, nescierint quo se recipere possint, rem denique omnem in dubio relinquentes, regiam nefandæ incredulitati viam pararint. *Ab eo tempore* (verba celebris cujusdam Doctoris adscribo) *Literæ Sacræ sine gravitate & eruditione, argutiis sophisticis & curiosis parum ad pietatem proficientibus quæstionibus sunt tractatæ. Evangelica doctrina miserandum in modum hujusmodi βεβήλοις κενοφωνίαις non tantum obruta, sed fermè penitus extincta.*

Jo. Himmel. in Tract. de Canon. & Jure Can. pag. 703.

Postquam scil. in corruptelarum concertationumque Sophistico-scholasticarum possessionem Doctores quidam recentiores devenêre, cœptamque ab iis altercandi litigandique telam indefesso studio ac labore continuavêre, atque gravissimis dividiis ansam dedêre & occasionem. Sunt equidem nonnulli [inquit Salutius] inter illos etiam, qui SPIRITUALES videri volunt, pleni spiritu contradictionis, quibus in omni colloquio delectabile est contendere, quod sine superbiæ nota vix fieri potest,

Salvius in Spec. Anima cap. 19.

poteſt, quoniam alios deſpicatui habent, ac cæteris plus ſapere, ſuamque ſemper opinionem prævalere volunt. Hos meritiſſimo jure Patrum noſtrorum memoria impugnavit Ambroſius Catharinus, dum plurimum hoc ipſo peccatum fuiſſe, *& adhuc peccari* pronunciavit, Theologiá tandem in factiones & ſectas redactâ. Diſertius verò Nicolaus Beraldus Doctor Pariſienſis oſtendit, plurimos ævi ſui Magiſtros frivolis quibusdam frigidisque argutiolis deditos, neque rebus ipſis, ſed rerum umbris falſisque imaginibus inhærentes, tota aberraſſe viâ; *Non enim* [inquit] *ſtudioſorum ingenia exacuunt captiunculæ illæ ac tricæ ſpinoſæ, ut plerisq; perſvaſum eſt, ſed mentis ſuccum omnem exhauriunt, adeoq; à ſtudio pietatis nonnullos abducunt.* Eosdem noviſſimorum temporum Sophiſtas graviter inſectatus eſt celebris ille Epiſcopus Canar. Melchior Canus, miſeram vocans illam Scholarum doctrinam, quæ de divinis, detractâ Scripturæ authoritate ſit philoſophata, SOPHISMATUM FECES intulerit, ad riſum Viros doctos incitarit, & delicatiores ad contemptum. Totam Theologiam illorum Doctorum [qui ad diſcordiam nati ſint] partium eſſe ſtudium, meramq; CONTENTIONEM. Et alibi conqueritur, plurimos in Academiis, omnem fermè Theologiæ diſputationem SOPHISTICIS ineptisque rationibus

Ambroſ. Cathar. in l. con. Cajetan.

Nicol. Berald. in præfat. ſcriptis Guil. Pariſ. præfixâ.

Melch. Canus D. Theol. lib. VIII, c. 1.

Idem Lib. IX, c. 1.

bus transegisse, Sacræ Scripturæ umbras non fuisse assecutos, in sophisticâ arte omnes se torsisse diutius; & ad Theologiam aggressos, non Theologiam sed ejus fumum secutos fuisse. Quibus ipse Vasquez, licet Scholasticorum Doctorum primipilus calculum suum addidit: Negare non possumus (*scribens*) fuisse in Scholâ permultos Theologos, qui quæstiones Theologicas frivolis rationibus tractaverint, in quibus rarissima sunt Scripturæ testimonia - - Miscentur etiam ab iis interdum quæstiones omninò philosophicæ, aut metaphysicæ, pueriles sanè, & quæ ad res Theologicas parũ sunt accomodatæ, &c. Omnium optimè autem Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus, istos divinæ sapientiæ per rixas contentionesque assiduas corruptores vivis depinxit coloribus: Divinæ (en verba notatu dignissima!) Scripturæ olim proh dolor! quanto omnium damno negligebantur! Vigebat SPINOSA & molesta nescio quæ Theologia, de Instantibus, relationibus, quidditatibus, de formalitatibus, itemque hæc omnia syllogismis arte contortis, & humanis duntaxat argutiis,

Vasquez Disp. III in I. part. Thom. cap. 3.

Cornel. Mussus in Comment. ad Rom VI.

tiis, quæ procul dubio, quâ authoritate recipiuntur, ea & refelli possunt, pertractabantur. Tota penè ætas hominum in decretis, quæ inter se pugnantia semper, nullo tempore concilianda, alunt perpetua per secula litem, conterebatur. Is sublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro suis traditiunculis affingere sciret; pretiique pars erat gloriola inanis, non intelligi grandia illa verba, quæ alto supercilio inter mulierculas de Sacris literis philosophantes trutinabant. Juraverant universi divini verbi Duces in Magistrorum verba. Hinc sexcentæ sectæ; Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, Bacconistæ, Albertistæ, Ægidiani, Alexandrei, ô scelus! posthabebantur Evangelia, Epistolæ, Christiana philosophia delitescebat, à paucissimis tractabatur, sed frigidè, non dicam insincerè. Atque hæc quidem laudatus Episcopus Bitontinus.

VII. Sicuti autem summum semper fuit veteratoris infernalis studium lites in Ecclesiâ serere ac dissidia; ita nullo non tempore ille Viros eruditione doctrinaq; singulari præditos, insatiabili quodam LITIGANDI DESIDERIO accendit, suaque efficit tyrannide, ut li-

beriora etiam ingenia miserrimam hanc subierint servitutem, nec disputarint amplius, sed fervidè malediceque invicem sint digladiata. *Hinc tot litium tricæ* (ut cum ante laudato Scriptore loquamur,) *tot APOLOGETICI tractatus, ne dicam paratragœdia, & singularia spectacula pugnarum inter Scriptores etiam minimè vulgares, qui multum ætatis & sudoris in hanc gladiaturam projecerunt. At enim cui bono?*

Dan. Bartol. in char. lit p. 237.

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Luc. lib. 1.

Est hic nonnullorum agrestis & inurbanus tumor, qui obtrectatione aliena, scientiæ famam aucupantur. Semper gerunt ferulas tristes, sceptra pædagogorum, ictum auctoribus quos legunt minantia, non minus hoc sibi arrogato imperio superbi, quàm alii sceptro. Ad nimiam quippe animi elationem superbiamque proni hominum literatorum plurimi, nemini prorsus cedentes, multò minus agnoscentes commissum ex infirmitate humanâ errorem, sed pertinaciam induentes pro opinione, animo tandem ita sunt perturbati, ut nec intelligere amplius rectè, nec dextrè judicare valuerint, sed ad rixas ut plurimum, & acerbissimas delati sint concertationes. Et

eum

cum (præclarè dicente Stobæo) *disputando de rebus haud secus quam animantia bruta pugnando, solam sibi proposuerint victoriam, ac veritatis amore ac studio relicto, nihil præter suam curarint utilitatem*; gravissimum sæpè & famæ & vitæ, imò animæ detrimentum etiã subiêre. *O si in conspectu esset*, (præclarè scribit Acontius) *quot quantasque clades intulerit hoc uno contentionum telo Satanas, quasque vastitates fecerit, planè ferreus esset, qui tenere posset lacrymas*. Triste cumprimis exemplum olim præbuit pulcherrimus ille LUCIFER CALARITANUS Episcopus, quem ob sinceros anteactæ vitæ mores D. Hieronymus sanctum appellare non dubitavit, sed cum à contentionum & dissensionum auctore diabolo tandem esset superatus, & eapropter à Catholica Ecclesia separatus, optimis quibusq; tntum incussit timorem, ut illud Zachariæ de eo usurparint: ULULA ABIES QUIA CECIDIT CEDRUS! Et quamvis in Contentionis illius causa assignandâ scriptores haud invicem conveniant, constat tamen vulneri huic tristissimo (crescente magis magisque contentione) aliud atque aliud additum, multosque ejus exemplo pellectos ab orthodoxa Ecclesia defecisse, qui postea Luciferianorum nomine sunt denotati. *Hinc* (notante Baronio) *l xerunt fideles & pii acerbissimum tanti Viri casum,*

Stob. Serm 4.

Acontius lib. I. de strateg. Sat. p. 21.

Zach. XI.

Baron. in Annal. Eccles. ad Ann. 362.

sum, cum viderent hominem honestissimis magnâ gloria pro Ecclesia Catholica perfunctum legationibus, tot confessionibus insigniter nobilitatum, quot apices in Constantium scripserat pro Athanasio & fide Catholicâ, totque martyria propemodum exantlatum, quot annos exul in diversa loca fuerat deportatus; hominem Coryphaeum & antesignanum Catholicorum, in tam diuturno & difficilimo praelio Arianorum positum, instar Hieremiae in columnam ferream, & murum areum pro domo DEI, Ecclesia Christi: Hunc ipsum inquam (proh dolor!) post tot victorias & erecta de perfidia debellata trophaea, sub ipso triumpho tam infeliciter à DISSENSIONUM authore superatum ac planè prostratum esse. - - Utinam ipse Lucifer, qui zelo aestuabat Heliae, & Heliae dictum audisset: NON IN SPIRITU VEHEMENTI DOMINUS. NON IN COMMOTIONE DOMINUS, nec in IGNE DOMINUS, nempe in mansuetudine, benignitate, & misericordia verè inerat Dominus. Nonne luctuosus hujus quoque Luciferi casus clarissimè docuit, quò tandem mortalium doctissimi & praestan-

ſtantiſſimi perveniant, ſi nefario Contentionis & diſſenſionis ſpiritui locum concedant. Quem cum Avorum noſtrorum memoria etiam admiſiſſet MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS, æque triſtes & pernicioſas tempeſtates concitavit. Etenim cum inquieto valdè eſſet ingenio, ac ſine perſonarum reſpectu quoſvis oppugnaſſet, tandemque ad colloquium cum Strigelio habendum Vinariam fuiſſet evocatus, ibi antagoniſtæ jugulum petens, nec tamen propoſitum ab eo argumentum diſſolvere valens, abſurdum illud longè maximum; *PECCATUM originis eſſe ſubſtantiam hominis* profiteri non fuit veritus, nec ſolum ex improviſo, præterque omnium ſpem [urgente contentionis ſpiritu] in hæreſiarcham poſtea eſt tranſmutatus, verum turbarum paſſim concitatarum ſive author, ſive ſingularis fautor extitit. Eodem morbo cum non ita multos poſt annos laboraſſet ANDREAS OSIANDER ingenioq; pariter ac eloquentia excellenti eſſet præditus, pernicioſam in Boruſſia *de Eſentiali DEI Juſtitia* [quâ nos ſalvari enunciavit] litem atque contentionem infeliciter eſt auſpicatus, quam turbæ horrendæ Regiomonti, ipſaque tandem Morlini ejectio exceperunt, longèque atrocius erupiſſet incendium, nì præter omnem expectationem Oſiander paroxiſmo epileptico proſtratus, prius ex hâc vitâ diſceſſiſſet.

VIII. No-

Mar. praef. Triadis Scriptor. ed. 1669. VIII. Notanter Vir quidam ætate nostrâ celebris; *Omnia novandi* (scribit) *cacoethes, contradictionis spiritus, & affectatio singularitatis, tales tragœdias excitare solent, & Theologiæ Professor, qui ex ministro & custode religionis illius Dominum vult agere, ac jus sibi vindicare eam mutandi pro lubitu, semper erit præsentissima pestis in Ecclesia.* Atque ut de inquietis litigiosisq; Ecclesiarum turbatorib⁹ nihil dicamus amplius, nunc quosdam literarum humaniorũ (minimè humanos) cultores designabimus, qui dictis pariter ac scriptis contentiosis animorum motus & divortia concitantes, extremum sibimet ipsis conquisivêre exitium. Quo nomine, Patrum nostrorum memoria, infelix præ cæteris in Gallia *Confer. Thuanus Hist. lib. 52.* PETRUS RAMUS extitit. Is enim cum diu bonas literas, philosophiam, scientiasque Mathematicas in Prælea schola, cui præerat, & postea in Regio Auditorio docuisset; postremò CONTENTIOSAM erroneamque in philosophicis invexit doctrinam, Aristotelem voce & scriptis importunè oppugnans, lites cum doctissimis & clarissimis quibusque hominibus gravissimas exercens, donec in Parisiensi laniena à Carpentario æmulo sicariis im̃issis è cella in quâ latebat, extractus, & post direptam pecuniam, inflictis aliquot vulneribus per fenestram in arenam est præcipitatus, effusis visceribus, quæ pueri

ri furentes [magistellorum pari rabie incitatorum impulsu] per vias sparserunt, ipsumque cadaver scuticis in professionis opprobrium diverberantes, contumeliosè & crudeliter raptaverunt, tristemque adeò vitæ illi litigiosæ imposuere colophonem. *Mirum est* (scribit Sammarthanus) *quantos ille in tota Parisiensi Academia tumultus excitarit, cum editis in Aristotelem animadversionibus, summum illum philosophum liberius esset insectatus, insurgentibus in eum penè omnibus ejus avi professoribus & Magistris, receptamque in scholis disciplinam certatim asserentibus & defendentibus.* Eâdem contentionis peste JASONEM DENOREM, Virum & nobilitate generis, & eruditionis laude clarum, extinctum, mœroreque acerbissimo oppressum fuisse, historicorum monumenta testantur. Nimirum cum inter alia quæ scripsit eristica opera, de POETICA differens, Tragicomœdias pastorales, quæ intar Italos usurpantur, tanquam monstra quædam, & nullo veterum exemplo, contraque poeticæ priscæ leges ab imperitis rei antiquariæ introducta exagitasset, eumq; sermonem Baptista Gvarinus (qui PASTOREM FIDUM magno plausu ubique in Italia exceptum ediderat,) ad injuriam suam pertinere existimans, magna vi eloquentiæ simul & verbo-

Sammarth. in elogiis illustr. Gallor. p. 55.

Thuan. lib. 99. circa fin.

verborum amaritudine refutasset, exitu minimè fatali sed præcipitato ille decessit, vitamque in litibus transactam cum morte infelici commutavit. Sic magnum illud Reip. Literariæ decus ac ornamentum, CAROLUM SIGONIUM, post egregiè depulsos invidiæ malignantis fluctus, post adeptam maximam nominis gloriam, gravi quâdam contentionis literariæ procellâ dejectum, summique angoris [è concertatione quâdam literariâ coorti] impetu tandem exanimatum fuisse accepimus. Etenim cum arduò nimis ausu perditum Tullii de consolatione opusculum, suamet opera confectum in lucem edere, atque Viris doctis obtrudere esset conatus, facileque futurum existimaret, ut inter genuinos Tullii fœtus reciperetur, statim ac prodiit personatus ille Cicero ad varios allisit scopulos, amplamque altercationibus literariis materiam subministravit, & cum præ cæteris Antonius Riccobonus accusatoris munia subivisset, disertèque opus illud spurium esse, nec ullo pacto Ciceroni adscribendum ostendisset, fucosum scil. styli genus, & adscititiam rerum vim, onerosamque ubertatem redarguens, factum, ut post agitatas aliquandiu istas lites Sigonius, in cassum ac futilè initas à se vigilias animadvertens, morbosum animi contraxerit æstum, quo deinceps, aliis vel increpantibus, vel miserantibus, Reip. literariæ [quam melioribus ingenii monumentis

Vid. Jo. Imperialis Musæum Historic. pag. 58. 59.

ris exornare potuisset] fuit surreptus. Simili propemodum fato post ævi superioris medium ad plures abiit JOHANNES BUTEO, Vir quidem (Thuano teste) ad literarum ac scientiarum mathematicarum studia excolenda natus, inprimis in Musicis instrumentis & machinis novis fabricandis ingeniosus; sed cum deinceps DE QUADRATURA CIRCULI acerbè cum ipso præceptore suo esset digladiatus, tandemque ob turbas in Delphinatu concitatas, Museo suo relicto, Romanium concessisset, procul à libris maximo tandem mœrore contabuit. Ad eundem ferè modum LUDOVICUS CASTELVETRUS, variis cum Hannibale Caro de re ludicrâ altercationibus vexatus, patriam ad extremum reliquit, & literarum studia pariter ac lites antea agitatas prosecuturus, apud Helvetios hospes decessit. Quis tantus in Rep. literaria hospes est atque peregrinus, quem clarissimum THOMÆ DEMSTERI nomen fugiat, cui singularem gloriam multiplex rerum scientia, reconditæ exquisitæque literæ, & incredibilis memoriæ magnitudo paraverat; quem doctissimi insuper in Rosinum de Antiquitatibus Romanorum, in Crispum Poetam Africanum Claudianumque commentarii, aliaq;, tum soluta oratione, tum versibus doctè eleganterque conscripta quatuor item epistolarū libri, nec non varia tum geographica tum mythologica monumenta tantum

Thuanus lib. 36. histor.

Thuan. hist. lib. 50.

Janus Nic. Erythræus in Pinacoth. imagin. illustr. viror. part. I. p. 24.

tum non ad ipsa sidera evexêre; At vero hunc tanti ingenii, tantæque eruditionis Virum à SPIRITU CONTENTIONIS tantoperè obsessum fuisse memorat Erythræus, ut homo ad bella atque contentiones prorsus natus videretur, quippe qui levissimè re vel verbo lacessitus, continuo ad arma rixasque decurrerit, nec ullum ferè diem à concertationibus vacuum præterire passus sit, quin videlicet cum aliquo vel verbis vel ferro decerneret, atque pugnis etiam rem ageret, sicque prædagogis plagosisque orbiliis omnibus formidabilior evadens, artuum tandem ac nervorum (bile effusâ labefactorum) doloribus miserè sit consumtus. Haud minori ingenii ferocitate Johannem Matthæum CARYOPHILUM [singulari & Græcæ & latinæ eruditionis laude celebratum virum] laborasse, atque nimiopere ad iracundiam contentionemq; propensum fuisse, nec tamen diu lucis hujus usura frui potuisse, idem Scriptor in Pinacotheca sua est contestatus. Sed & Angelum Angelotium, omni ferè disciplinarũ genere excultum Virum, omnibusque scientiis mathemathicis ornatum, stupenda item rerum in orbe nunquam non gestarum notitiâ illustrem, ita loquacem atque contentiosum fuisse tradidit, ut nullum aliis quibuscum una esset sermonis partem reliquerit, solusque dissertationis munus semper sit persecutus, inde tamen gravissimum cæterorum odium incurrerit,

Idem Erythr. l. c. p. 224. idem Pinacoth. I. p. 289.

rit, cum & sapientissimus, & comunis omnium Doctor atque præceptor voluerit salutari. Magis verò ridiculū cunctis sese præbuit Dichæus ille DICHÆANUS, humanitatis ac juris Civilis studiis optimè imbutus, eò quod verbis rationibusque validissimis ab alio labefactatus, ad id accurrisset, in quo superiorem se esse non dubitabat, nimirum ad vim, impetuque facto pugnis & calcibus adversarium ad terram afflixisset, ægertimè sc. ferens, se rabulæ [ita enim contumeliæ causa illum nuncupavit] in disputando contentendoque parem esse haud valuisse. Non minus doctè quam sapienter dictum est, magnam animi incitationem, & ad concertationes mutuas cunctis desiderium præcelsis innatum esse ingeniis, ast rationis imperio illud regendum esse, neque committendum, ut quamcunq; velit in partem ille impetus nos abstrahat atque compellat, operam quoque dandam, ut virtutum sit cos, non rixarum temerè susceptarum irritamentum; Denique, ut in omni re, sic in ista cumprimis videndum esse, quod Terentianus Sosia apprimè in vita utile esse judicavit; *Ne quid nimis*, quod monitum si maximi quidam in Orbe erudito viri magis observassent, sedatioribusque animi motibus, quasi leni placidoq; mari provecti fuissent, ad longè majus altiusque famæ ac honoris literarii fastigium devenissent; sed quoniam infesto scopulosoque contentionum

id. p. 218.

& perturbationum suarum pelago sese committere maluerunt, eoque tenui fractoque sui judicii navigio deferri, non mirum quod in syrtes sæpè & scopulos devenerint, ad eosque famæ pariter ac vitæ suæ navem afflixerint, quin imò thesauri pretiosissimi, tranquillitatis nimirum jacturam fecerint, vix ullo studio arteq; recuperandam. De Jacobo Arminio refert anonymus quidam professorum Leidensium encomiastes, quod post concitatas de quibusdam Theologiæ capitibus controversias, dolore confectus in morbum inciderit lentum ac gravem, cum quo aliquandiu sit conflictatus, tandem vivere desierit, taleque epitaphium post fata sit consecutus:

Subtilis ille sensuum potens fandi,
Sed cura semper prima cui morum fuit,
Appellat omnes hic jacens ARMINIUS.
Ne disputare maluerint quam vivere.

Plurima sanè clarorum ævi nostri & Theosophorum & Philosophorum Philologorumque exempla suppeterent, qui lites de levioribus etiam rebus concitatas, immoderatè adeò intemperanterque sunt prosecuti, ut in omnium ferè odia incurrerint atque offensiones, & acri verborum scriptorumque suorum contentione nil nisi extremas quasque & fulminantes lucrati sint calamitates, ast ne honori eorum, laudi-

laudique, melioribus quibusdam ingenii & industriæ suæ monumentis, magno eruditorum consensu plausuq; partæ quidpiam detraxisse videamur, novissima isthæc, pariter ac odiosissima dissidiorum in erudito orbe agitatorum exempla & documenta silentii perpetui peplo duximus involvenda.

IX. Neque tamen reticenda tradendaq; oblivioni est varia & multiplex CONTENTIONIS LITERARIÆ indoles, verum fusius paulò explicanda, ut penitius perspecta & explorata, tanto majori studio ac circumspectione devitetur. Alia nimirum CONTENTIO est, quâ agnita veritas in quopiam maximi momenti (veluti religionis,) negotio malitiosè impugnatur, id quod grande nefas, & noxa verè est piacularis. Nihil non audebit qui ipsam revelatam oppugnare non dubitat veritatem, hinc hæresiarcharum pseudo-doctorumque veterum pariter ac recentiorum, imò ipsorum atheorum ac Theomachorum execranda agmina, gravissimam multis ruinam, horrendas Ecclesiæ veræ tempestates, sibimetipsis verò extremam tandem attraxêre perniciem, & ad Marcionis exemplum consilio destinato, dataque operâ Ecclesiam findere laborantes, *non levem quidem* (dicente Epiphanio) *fissuram illi immiserunt, verum se ipsos tandem perdidérunt, & omnes qui eis obediverûnt.* A

 quibus

quibus haud ita multum abesse videntur illi, qui scriptis pariter ac sermonibus seditiosis vehementissimos animorum motus concitare, & omnem populum ad turbas bellaque intestina, imò amplissimorum Regnorum ac Rerumpublicarum eversionem concitare non dubitarũt. Eheu! quam tristia proximè nos antegressum seculum hujusmodi motuum vidit exempla, dum Dæmone auspice, plurimi surrexêre turgidi contentiosique pseudo-prophetæ, qui vaticinia quædam Sacræ Scripturæ de Regno Christi loquentia pessimè & corporaliter tantum interpretati, turbas seditionesque concitavêre gravissimas, multisque christianorum millibus extremum attulêre exitium. Quos statim insecuti fuerunt Monasterienses Anabaptistæ, qui pristinum reducentes errorem, propheticas insuper revelationes commenti, ingentes dedêre turbas, sicuti Sleidani & aliorum eâ de re publicæ testantur historiæ. Quid quod idem omninò nostro hocce seculo Satanas molitus fuisse videatur per alios ejusdem commatis farinæque homines, qui totius Orbis reformationem & in melius restitutionem confingentes, non artium modo & cunctarum facultatum, sed Ecclesiæ etiam, Imperiorumque mutationem instare clamitantes, chartis suis contentiosis & pseudo-christianis animos hominum in sublimi suspensos, novâ & vanâ spe diu multumque lactarunt, & zelo agitati amaro, inordinato; (quem simul scelus, summam-

mamque appellare insaniam possumus,) horrendas Ecclesiæ pariter ac Reipublicæ christianæ clades intulêre, gravissimo tandem suo periculo docuêre, frustra planè suscipi, quæ sine DEO legitimaque vocatione suscipiuntur.

X. Sed & alia Contentionis, tum ecclesiasticæ tum literariæ species apprime notanda nobis est, non quidem graves adeò turbas motusque concitans, nec revelatā impugnans veritatem, sed leviora (ut ita dicamus) convellens placita, atque in quovis mustaceo lauréolam quærens, non sine gravi tamen & pietatis sinceræ, & optatæ tranquillitatis detrimento. Dum enim Eruditorum hominum plurimi pro lubitu suo contrarias veteribus, aliisque recentioribus Doctoribus opiniones effingere defendereque sunt conati, dicente Stobæo *veri cognitionem prorsus effecêre dubiam*, atque gravioribus dissidiis motibusque ansam dêdere atque occasionem. Hoc ipso nomine optimis quibusdā Viris displicuit methodus illa discendi CARTESIANA, seu potius renatus à Renato Des-Cartes Scepticismus, prætensaque libertas philosophandi, imò tollendi abnegandi, inq; dubium vocandi omnia naturalis luminis principia atque axiomata, hactenus communi Christianorum & extraneorum philosophantium consensu recepta, nec non imperata illa omnium notionum atque dogma- *Stob. Serm. 4.*

 tum

tum præconceptorum deletio, oblivio, & præsentanea erasio, omnisq; scientiæ fideiq; abjectio, quam cum Cartesius in methodo sua apertè à quolibet ad solidiorem eruditionem adspirante requisiverit, latenterque sua philosophemata per Belgium disseminarit, factum est, ut *unanimes etiam armarit in prælia fratres*, & calcem ac lateres ad discordiæ intestinæ perniciosæque muros erigendos subministrarit. Fuerit licet quorundam judicio Cartesius ille Brutus quidam literarius, subtilitatis terebra, in Mathesi præstiterit, quod humanæ mentis vires superasse videretur, dum tamen veterum omnium ac recentiorum philosophorum placita subvertere, ac novum quendam scepticismum introducere laboravit, optabilis concordiæ literariæ vinculum dissolvit, atque contentionum vehementissimarum sive author sive singularis quidam fautor evasit. Sanè si veritati quidem tuendæ certamina gravissima suscipiantur, ea tamen sine modo, nec loco nec tempore suo agitentur, tandem in plusquam vatiniana odia, & acerbissima convitia degenerabunt. *Magnæ virtutis est* (ait Cicero) *paratum esse & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia*. Vitio insuper non caret, si quis tam exigui momenti veritatem tueri nitatur, ut plus nocitura sit altercatio, quam controversæ veritatis defensio. Concedamus

Cic. lib. I. Tuscul. quæst.

Tibi

Tibi mî erudite litigator, Te neutiquam falsam erroneamque defendere sententiam, quid tum postea, cur eapropter excanduisti tantoperè, cur ita es vociferatus, cur multos adeò offendisti, bonamque causam tuam malè agendo prolixæ simultatis causam præbuisti? quanto consultius fuisset, à lite tam sterili lingvam cohibere & calamum, quam tantis animi motibus ansam dare, nec unam existimationi Tuæ affricare maculam? Is videbatur Isocrati omne humanitatis deseruisse officium, qui rixosus esset, & ob levissimas quaslibet causas acriter depugnaret. Melius Plato: *Ubi multa rixa, ibi multa injuria*; Optimè autem Salomon: *Homo perversus suscitat lites, & omni tempore jurgia seminat.* Ideò monens; *Quæ* (ait) *viderunt oculi tui ne feras in jurgio citò, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris* (editis cumprimis scriptis aculeatis) *amicum tuum.* RESPONDETE OBSECRO (sic collocutores suosue antagonistas Jobus compellavit) SINE CONTENTIONE. Et quia id maximè in disputationibus literatorum locum habere debet, seriò cautum à sapientibus, ut moderati in eis essent, eoque consilio disputationes olim in TEMPLO PACIS habitas notat ex Galeno Mercurialis. Optimè autem in hanc rem Epictetus apud Arianũ; *Plerique, inquit, & incauti dur-*

Prov. VI. v. 12, 14.
Prov. XXV. 8.
Job. c. VI. v. 29.
Mer. l. 1. var. lect. c. 13.
Lib. II. cap. 18.

se dant disputationibus, confundunt, & confunduntur, & ad extremum CONVICIIS PROSCINDENTES (NB.) & PROSCISSI discedunt. Primum illud & maximè proprium fuit Socratis, ut disputando non excandesceret, nec malignum aliquid aut injuriũ proferret, sed potius conviciatores sustinebat, & dirimere pugnas solebat. Si libet cognoscere quantus in eo fuerit, legite Xenophontis symposiũ, ex quo perspicietis, quas lites ille composuerit. Nec immeritò apud Poëtas maxima laudi ducitur illud: Hic cito certamen prudenti voce diremit. Non solum autem vocalia istiusmodi certamina sollicitè sunt dirimenda, verum ea etiã quæ stylo calamisq; agitari solent, ne scilicet & illa juris ac æqui metas transgrediantur. Consonent & illic affectus animi (juxta sapientis cujusdam monitum) rationis harmonicæ vocibus, nihil durum stylo, nihil extra concentum excidat; sacrificet Gratiis scriptor, priusquam in pugnam descendat, atque [ut Xenocrati Plato author fuit] svavi illarum temperamento adversariorum ferociam leniat. Si ipse Carneades in Zenonem Stoicum rigidiorem scripturus, copioso helleboro prius purgavit stomachum, ne quid scribentis ingenium molestè obtur-

obturbaret, *& ex corruptis in stomacho humoribus, ad domicilium animi redundaret*; multò magis christianis scriptoribus danda est opera, ut purgatissimo gaudeant cerebro, omnemque rancorem penitus exuere studeant, priusquam cum aliis in arenam descendant. *Gell. lib. XVII. cap. 15.*

XI. Et cum lubricum valde sit, tum ADVERSUS ALIOS, tum PRO SE scribendi negotiũ, necesse est, ut aptiora nunc suggerantur monita, quibus observatis, utraq; pars illæsam, sive in adversariis impugnandis, sive scriptis propriis defendendis servare conscientiam possit. Sit autem hoc primum atque præcipuum præceptum illi observandum, qui scriptis impetere alios inducit in animum, ut suam ipsemet non inconsideratè prodat ignorantiam, dum proximi incusare inscitiam conatur. Risum merito olim debuerunt Diogeni nasuti illi hodogetæ, qui cum in Ulyssis erroribus scrupulosius perquirendis fuerunt occupati, neutiquam deprehendêre proprios. Frustra equidem alios labyrinthis suis eripere laborabunt contentiosi scriptores, si gravioribus & molestioribus ipsi sint impliciti. Cæterum errantem corrigere volenti, magno opus est doctrinæ pariter ac ingenii, præsertim verò pietatis sinceræ solidæque apparatu, ne benè dicta scriptaque in sensum trahantur alienum, & quæ nunquam dicta, ac ne in somnis quidem cogitata sunt, malitiosè tribuantur innocentibus. Caveant sollicitè

citè Scriptores polemici, ne cum larvis pugnent & umbris, & quæ ipsi finxerunt simulacra infestis armis impetant. *Erroris aperti* (inquit nonnemo) *aliquem convincere idem est, quod manum hianti vulneri admovere, & fundotenus illud explorare, quod exquisita eget cautione, ne vulneris dolorem ex curatione graviori deliquium animi sequatur.* Et cum frequentius nihil sit, quam ex aliorum depressione famam quærére, ampilioremque in orbe erudito existimationem, multique eos duntaxat lacessere impugnareque cogitent, quos certamini suscepto impares fore existimant, hinc videant cuncti bellatores literarii ne ejusdem pravitatis œstro perciti, cum ullo mortalium in arenam descendere præsumant, aut imbecilliores duntaxat ducant lacessendos. Multis equidem indignatione crevit ingenium, sopitique spiritus ita sunt excitati, ut in opem occurrerint vocati, & ab illatis injuriis atq; contumeliis temerè vexatos egregiè vindicarint. Qui aliquandiu dormierunt, subitò sæpe expergefacti in campum prodiêre, & suis æmulis enorme provocationis imprudentissimæ dedecus reliquêre. Non male eos Bartolus *rupibus* assimilavit, *quæ sunt metallis gravidæ, si telo fulminis petantur, mittunt ex eo vulnere augustum specimen & luculenta*

Dan. Bart. char. litt. p. 243.

opum

opum quas premebant indicia, jamque aureì celebrantur montes, qui moles ſaxorum inutiles credebantur. Multi quos cerebri frigus obtuſi ſensûs effecerat, & pigritia naturæ durarat in ſilicem, ad ſtyli pugnam provocati, non ſcintillas eo ex ſilice, ſed jactus fulminum exploſere. Ipſa Balaami aſina temerè percuſſa in ſui defenſionem eloquens evadit, *ac licet animal omnium hebetiſſimum fuerit* (dicente Chryſoſtomo) *bene tamen ſe defendit apud eum, qui ipſum pulſabat.* *Chryſoſt. in Pſ. 47.* Mutis quibuſdam, pariter ut Crœſi filio defendendi ſui neceſſitas linguam ſolvit, ut quæ nunquam didicerunt, non ſine quodam miraculo ſint effati. Quos incauti provocatores agnos initio aſinoſque putaverunt, qui ſtyli mucrone impunè proritari queant, leones poſtea experti ſunt, eorundemque graviſſimos lethalesque ſenſere morſus. Idem plane illis accidit quod Ruffino Aquileenſi, Magnum impugnanti Hieronymum, cum eum habere æmulum potius, quam amicum voluiſſet, mox tamen ingenti ſuo malo gravem Doctoris illius in feriendo expertus eſt manum, nec pugnæ deinceps ſubducere ſe potuit, etiamſi voluiſſet. Ac licet conqueſtus fuerit, inſontem ſe plecti ab Hieronymo, cum nulla animi perturbatione ſua in eum ſcripſiſſet, ſed

ſed ſolius amore veritatis, nec inter chriſtianos ſtyli ductus pro inflictis ferro vulneribus eſſe habendos, parum tamen inde exiſtimationi ſuæ pariter ac tranquillitati acceſſit. *Eſto* (reſpondebat Hieronymus,) *me neſcius vulneraris, quid ad me qui percuſſus ſum? Num idcircò curari non debeo, quia tu me bono animo vulneraſti? Confoſſus jaceo, ſtridet vulnus in pectore, candida prius, ſangvine membra turpantur; & tu mihi dicas, noli manum adhibere vulneri, ne ego te videar vulneraſſe.* ita Hieronymus; ad cujus exemplum ſcriptores plurimi temerè ab æmulis laceſſiti, poſtmodum verba ſibi dari minimè paſſi ſunt, atque ſe vinci precibus non permiſerunt, qui verbis ſcriptisque victores extiterant. *Serò nimis ſuam nonnulli deplorarunt temeritatem, cum viperis & aſpidibus intempeſtivè evocatis eſſent circumſepti.* Quid igitur? num temerè laceſſito ſcriptori infeſta adeò arripienda ſunt arma? an chriſtianæ pietati ſatis convenit tanta vindictæ de hoſtibus [licet atrociſſimis] ſumendæ cupiditas? LUBRICUM antea diximus eſſe non ADVERSUS ALIOS duntaxat, verum etiam PRO SE ſcribendi negotium, ideoque læſis etiam atque laceſſitis ſalutaria quædam præcepta atque monita ſunt obſervanda, ne ſcil. & ipſi

Hieroni apol. II. contra Ruff.

Bart. l.c. p. 245.

ipſi juris ac æqui metas transgrediantur, ſi ſua adverſus aliorum impugnationes placita defendere velint. Primum illud ſua defendendi ſtudium neutiquam AMORIS PROPRII ſuſcipiatur auſpiciis, ſed veri potius amore grave illud ineatur certamen; *Is amor* (ait antea laudatus monitor) *tradito in manum innocenti ſtylo militem ſuum creet, magiſtram præficiat ſcribenti modeſtiam, ſtylum doceat in errorem acuere, & agere ut chirurgi ſcalprum, in levandum quadam intemperie morbi brachium; non ut milites infeſtam in hoſtem lanceam. Ante omnia cavendum, ne quis in curſu dicendi pro re ſuâ excutiatur ephippii ſcandulis, & ingenii laudem turbulenti animi vitio deterat; ne faſtum Platonis proculcet faſtu Diogenis: ne reum ſe culpæ conſtituat dum alium culpat.* Ac licet difficile omninò ſit tunc intra officii lenitatisque debitæ terminos ſe tenere, ubi jus ipſum ulciſcendi veniam læſo ac laceſſito tribuiſſe videtur, ea tamen moderatione ſuſceptæ vindiciæ ſunt adornandæ, ut clariſſima animi, ſummum in ſe ſuosque affectus imperium obtinentis, indicia & documenta inde eluceſcant. Talem ſe ſuaque defendendi viam ac rationem quilibet eruditorum ineat, quæ hominem deceat chriſtianum, ne ipſam

Idem l. 6. p. 248.

ipſam pietatis æquitatisque lineam transſiliiſſe, longeq́ue pejus morbo ipſo remedium adhibuiſſe deprehendatur. Quodſi acceptas plagas temerè impetitus altiſſimo premeret ſilentio, & præter hanc, nullam aliam pœnam adverſariis ſuis duceret imponendã, cuncta equidẽ opprobria ille multò vindicaret felicius, ac de universâ malignantium phalange optimè tandem triumpharet. At verò (dicet læſorum aliquis) ſi illatas ab antagoniſtis injurias, inque innocentem evibratas calumniarum atrociorum catapultas ſilentii involvam peplo, omnes me pro confitente reo habebunt, ſcriptorum mimus ero vulgiq́ue ludibrium, non innocentis modeſtiæ, ſed conſcientiæ potius culpam agnoſcenti ſilentium illud omnes omninò adſcribent atque imputabunt. Quid verò felici ex ſinceræ pietatis ſtudio homini literato cum otioſis perverſorũ judiciis, divinum poti⁹ expectet, inque SPE & SILENTIO illuſtre quoddam fortitudinis chriſtianæ edat ſpecimen. Non equidem animoſitatis, ſed imbecillitatis potius ſummæ indicium, imò evidentiſſimum deſperatæ cauſæ præſagium ac argumentum eſt, vehemens ſua propugnantis ira ac indignatio, cum è contrario animi quies & ſerenitas, veræ illi chriſtianæque lenitati ſociata victoriam certiſſimam portendat. Inſignem Magnus Hieronymus gloriæ coronam inde eſt conſecutus, quod renuerit cum Auguſtino

Amplior hâc de re in ſubſequenti de maledicentiâ literatorum commentatione erit dicendi locus.

(poſt-

(postquam is per Italiam sparsisset epistolam Hieronymo oppositam, nec tamen prius ei ad quem attinebat transmisisset) descendere in certamen, amicasque potius & privatas ad eundem literas exarare maluerit, quam publicè cum eodem verborum acerbitate decertare: *Optimè novit* (ita Hieron. ad Augustinum) *prudentia tua unumquemq; in suo sensu abundare, & puerilis esse jactantiæ accusando illustres Viros suo nomini famam quærere, superest ut diligas diligentem Te, & in scripturarum campo Juvenis senem non provoces. Nos nostra tempora habuimus, & cucurrimus, nunc Te currente & longa spatia emetiente nobis debetur otium.* Tunc se olim Sidonius Apollinaris Victorem credebat, cum id adversarius gravi quadam indignatione fateretur; *Oblectabatur commotione superari, & tunc demum credebat sibi cessisse Collegam, cum fidem fecerit victoriæ suæ bilis aliena.* Si quæ igitur aliqua scribendi suaque defendendi literato Viro incumbat necessitas, caveat sedulò, nequicquam committat, quod velut indecorum exibiletur, vel ut scandalosum reputetur, vel ut puerile rideatur, scenæque & theatro ritè serviendo, pro viribus susceptæ sese attemperet actioni, eundemque in parandis vindiciis suis teneat modum,

Hieron. Tom. II. opp. fol. 346.

Sidonius lib. V. Epist. 2.

dum, quem Tertullianus quondam adversus Valentinianos (hostes suos contumacissimos) usurpavit: *Ostendam*, (ajebat) *sed non imprimam vulnera, si videbitur alicubi, materiis ipsis satis est; Multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur.* Hisce inquam laudatissimis vestigiis quilibet insistat sanctæ Aletheæ vindex, si intoleranda provocantis acerbitas nec tacere, nec dissimulare plagas hostiles diutius permittat. *Explodantur cum tonitru fulmina, non quæ graveolentiam fulguris secum vehant, sed quæ afferant ILLUSTRANDÆ VERITATI lucis purissimæ candorem: non quæ furore inconditorapiantur, sed quæ æquâ librentur ratione. Suus insit Jano bellorum DEO vultus duplex, JUVENIS, & SENIS, robusti & cordati, moderati, sed vividi. Felices literæ si magistros haberent Apelli & Protogeni similes, qui amicâ certarunt æmulatione de subtiliori diversi coloris lineâ, sic superducendâ subtili lineæ, ut neutrius violaretur color: si tela quibus inter se pugnant,*

Tertull. adversſ. Valent. cap. 6.

Bart. l. c. p. 256.

Cassiod. lib. VII. for. 1.

Arma juris essent, non FURORIS:
Si non essent maledicentiæ spicula, sed radii veritatis. Et cum sæpè literatorum lites acrioresque

resq; contentiones ex civilibus in causas etiam capitales transierint; hinc Superioribus quoq; omnes ingenii nervi intendendi; ne partes litigantes diutius odiosè se invicem insectentur, sed placidè potius rerum momenta considerantes, conjunctis studiis omnes de veritate pariter ac pace concordiaque concilianda sint solliciti.

XII. Omni studio autem dæmon impedire conatur quo minus eruditorum plurimi exemplis monitisque hisce saluberrimis aures præbeant, illaque ad animum [uti par esset] revocare velint, & cum ingenium ad nimiam animi elationem superbiamque natum, pravisque præceptorum institutionibus exemplisque depravatum, ita plerunque comparatum sit; ut sodalibus cæteris in rebus omnibus antecellere velit; tantæ sæpè arrogantiæ imò dementiæ notam incurrit, ut cedere amplius velit NEMINI; & ex contentionum ignibus (instar Salamandræ cujuspiam) sua capiat nutrimenta. Quid quod litibus tantoperè assveta mens erudita, non solum cum aliis, verum secum ipsa acriter tandem contendat, atque intestinis quibusdam certaminibus tota propemodum discerpatur? Hâc interiori hominis docti discordiâ nihil usquam est fœdius, nihil humanitati infensius. *Uti improbitatis* (scitè ait Paschalius,) *certissimum docu-* *Paschal. de virt. & vit. charact. p. 715.*

mentum est sibimet esse contrarium, ita animus sedatus, nullisq; diversis affectibus dilaceratus fidelis est & indubius index virtutis. Verum indice hoc virtutis omnes illi destituuntur eruditi, qui sententiam prius suo probatam calculo, post fœdè improbare non dubitant, siquе fortè veræ rationis ductum principio sint secuti, mox per devios illum vitant tramites, pedemque jam jam illatum retrahunt unius cupiditatis suasu. Nunquam à se dissentirent eruditi, nunquam dissimiles sibi, internâ opus haberent reconciliatione, si verâ virtute & æquanimitate christianâ essent præditi, non nova veteribus, non deteriora melioribus mutarent, nec aliis facilè nisi gravissimas ob causas moverent lites, amicamq; dissolverent communionem. Utinam concordiam potius veluti cœleste quoddam considerarent bonum, tantum ubique congregans, quantum discordia infernale illud monstrum disgregat, debilitat atque extinguit, imò efficit, ut ab aliis segregatus docti hominis animus, se uno, hoc est arundine, re fluxa, caducâ & quæ est nullo numero pessimè nitatur. Quocunque tandem nomine illa optimorum ingeniorum pessima depravatrix CONTENTIO scil. veniat, seseque prodat, insigne prorsus ac detestabile vitium est, & admodum deformis animæ eruditæ labes, quippe quam duris adeò vinculis tenet constrictam, ut nec pietatis veræ, nec chari-

charitatis christianæ viam perambulare possit, Nec animam solum contentio turpiter inquinat, sed hominis quoque nomine mancipia sua spoliat, intellectui spissas offundit tenebras, voluntatem ad omne facinus armat, *Imaginem DEI* (uti scitè Basilius ait) *cum effigie hominis dæmoniaci, externam verò figuram cum feræ specie permutat*; potentiam effectricem turbat, impotenti ut impetu feratur, non aliter ac furens unda torrentis, quæ non modo glebas & saxa devoluit, sed arbores quoque villas & obvia quæq;, ne vestigio quidem relicto evertit. Nec omnibus solum animi vitiis ostium aperit, sed corpus etiam gravissimè lædit, dehonestat, laniat, conficit, faciem irrugat, vultum eruditi hominis pallore immutat, omnemque illius decorem ac decentiam protinus evertit, dum scil. obnubilat oculos, linguam in clamorem format, dentes acuit, manus calamis felle tinctis armat, cor accendit, sanguinem immutat, cholicam passionem inducit, morbos varios acerbissimosque creat, ipsoque Sancto Spiritu teste *vitæ dies imminuens, ante tempus tristem molestamque accelerat senectutem*.

Basil. hom. 25. de irâ.

Eccles. 30. v. 23.

XIII. Tantam itaque malorum sentinam, lites sc. immodicas non solum fugere debet literatus, verum etiam ad Socratis antea laudati exemplum operam navare strenuam,

ut aliorum pugnæ ocyus dirimantur, litesque componantur, difficiliores præsertim & vehementiores. Quod si verò quis eo nondum assurgere audeat, ut aliorum contentiones è medio tollat, litesque componat, illud tamen abs se extorqueat, rixosos non esse in jurgiis suis obfirmandos, illumque sibi nunquam revellendum canonem figat, quem Abbas Josephus olim apud Cassianum commendavit: *Sciendum sanè generaliter, illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subjicit voluntatem, quam eum, qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior invenitur. Ille enim sustentans ac tolerans proximum, sani ac validi, hic autem infirmi & quodammodo ægrotantis obtinet locum, quem ita palpari necesse est, ac foveri interdum, ut etiam à rebus necessariis pro ejus quiete ac pace salubre sit aliquid relaxari.* Sanè qui aliis ubique difficiles ac morosi, ubique asperi sunt ac contradicentes, nunquam ad vitam civilem decorumque humanæ societatis sese accomodant, quin potius gravi laborant defectu, & in periculosas adeò syrtes scopulosque impingunt, ut illicò collidantur, existatque ex ea collisione non scintilla tantum, sed & flamma, & ingens quandoque incendium. Perpulchrè Basilius, *homines ejusmodi non LOQUI*

Cassianus collat. XVI. c. 23.

Basil. M. Homil. 21. quæ est in diversa scripta loca.

ait,

ait, sed *LATRARE*. Quod si in aliquem simili œstro percitum incidant, & veluti sopitum canem latrando excitent, tum demum utroque collatrante mirabilem oriri confusionem necesse est, cum neuter asperitate inferior videri volens, infeliciter palmam accerbitatis affectet & inurbanitatis, nec rarò à latratibus ad morsus & dentium infixionem veniatur. Abhorreat à pudendo hoc depravati animi charactere literatorum quilibet, atque deposita rusticâ illa asperitate placidam & decentem cum aliis instituat collationem. Elegantissimè Epictetus apud Arianum; *Lacesse (inquit) voluntatem meam & desiderium, ut spisso gramine ac læto uberique allici ovis ad pascendum solet. Quod si lapidem ut panem apposueris, non invitabitur ad vescendum. Ita nobis quoque sunt ingenerata cupiditates naturales ad disputandum, quando scilicet auditor idoneus nobis occurrit, quando provocat ipse. At cum tanquam lapis aut pabulum sese objiciat, qui potest hominis desiderium excitare? Vitis non hortatur vinitorem ut sui curam gerat? nonne id sua præsentia & aspectu declarat, quod ei qui se coluerit sit profutura, atque eo ipso invitat ad cultum? Pueli festivè*

Epict. apud Arian. lib. II. c. 24.

& argutuli, quem non provocant ad colludendum ipsis, ad unà serpendum atq; balbutiendum? Asino autem quisnam est, qui velit colludere, aut simul rudere. Tametsi enim & ipse sit pusillus, tamen asellus est. Equidem cum proximum pariter ac se ipsum acriter lædat contentionis labe pollutus literator, ericiique instar secum conversantem vehementissimè pungat atque vulneret, plerunque accidit, ut cane pejus & angue omnes prudentiores aculeati hujusmodi Draconis fugiant devitentq; consociationem. *Nihil quippe* (dicente Chrysostomo) *rixoso ejusmodi homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil. Feræ potius quam tali est cohabitandum; nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam servat legem, hunc autem quoties mitigaveris, rursum effertur, omnemq; concordiæ & socialis vitæ gratiam evertit.* Nil certius. Nunquam non enim suavissimæ concordiæ vinculum à contentiosis ruptum fuit Sophistis, qui instar canum alios allatrare, instar scorpiorum innocuos pungere, instar serpentum obvios quosque mordere instituerunt, pro perversi ingenii sui more ac consuetudine parcentes nemini, nec venerandæ senectutis, nec vitæ laudabiliter transactæ, nec generis fideique aut charitatis christianæ ullam

Chrysost. hom 29. ad pop. Antioch.

ullam habentes rationem. Hinc mirum non eſt, quod virulentæ hujuſmodi viperæ, moloſſique in furorem verſi tandem ſe ipſos lacerent, & cum ab aliis neutiquam impugnentur, in propria ſæviant viſcera, tandemque miſerè pereant, *ſaltim*, (notante Ambroſio) *omnem perdant ſapientiam, ut quid, quo ordine ſit agendum omninò neſciant. Nimirum intelligentiæ lumen ira contentioq; ſubtrahit, cum mentem permovendo confundit. Sic ipſa quoq; veritatis lux amittitur, cui enim menti iracundia tenebras confuſionis incutit, huic* DEUS *radium cognitionis ſuæ abſcondit.* Ita eleganter & verè Ambroſius, nec minus notanter Baſilius M. ſcripſit, *peſſimum iſtum dæmonem noſtris animis innatum, doctorumque quorundam hominum interiora poſſidentem impedire ſpiritus ſancti iter ad nos, atq; ſummam à DEO efficere alienationem.* *Ambroſ. hom. de irâ.* *Hom. de irâ.*

XIV. Explorata igitur morbi iſtius literarii naturâ ac pernicie, REMEDIIS, etiam ejus antidotiſque perſpectis tempus nunc eſt ut VERE FELICIS, h. e. ſanitati integritatique mentis reſtituti, & à turpiſſima CONTENTIONIS labe divinâ ope liberati LITERATI ideam Orbis ſiſtamus conſpectui. QUIS VERE FORTIS? ſic ex Ebræorum magiſtris quondam quæſivit BEN SOMA, ſcitèq; reſpondit:

In Pirke Avoth c. 4.

dit: הכובש את יצרו *qui vincat concupiscentiam suam.* Equidem si nobis nunc esset edisserendum, quisnam literatorum verè fortis felixque esset prædicandus? bonis omnibus consentientibus illum isthoc ornandum esse elogio diceremus, qui concitatos animi sui motus reprimere, & tristibus contentiosorum literatorum casibus periculisq; perspectis, omni studio morbi vitiiq; illius abominabilis malignitatem evitare didicisset. Fuit equidem hæc semper constans omnium ferè Sophorum opinio, eum esse ad literarum studia aptissimum, qui sit quietissimus, & ab omnium certaminum contentione remotissimus; quod mitissima Musarum natio non audeat ad eum accedere, cui immane ac ferox ingenium à naturâ contigerit. Ut igitur mansuetissimæ illæ sorores summâ animi voluntate hominem eruditum complectantur, vel potius ut saluberrimâ cœlestis spiritûs scatebrâ magis magisque ille recreetur, opera illi navanda est strenua, ut omnes (quantum fieri potest) contentionum litigiorumque devitet occasiones, ab ineptis otiosisque abstineat quæstionibus, atque optatæ invigilare studeat quieti & tranquillitati, quam certò certius obtinebit ac consequetur, *si* (juxta sapientis cujusdam monitum) *litigantium fugiat societates, nec quicquam facilè vel ore proferat, vel scripto proponat, ex quo alius*

longam

longam capiat contendendi occasionem. Præclarè Ludovicus Vives in eleganti ad sapientiam introd. *In disserendo* (ait) *ne sis contentiosus, aut pertinax, si verum audias, hoc protinus silentio reverere, illiq; tanquam divinæ rei assurgito.* Non prohibetur quidem liberalis ingeniorum conflictus, utpote quo sæpenumero & veritas purior, & eruditio probatior emicuit, adolescentibus cumprimis ista exercitatio ad profectum est oportuna, ut à tenero non reformidare homines assuescant neq; umbratili solum doctrinâ vitâque solitariâ sint contenti, sed in publicam aliquando lucem prodeuntes, mentem paulò altius erigant, & obtusum languidumque acuant ingenium. Audient in literariis concertationibus multa quotidiè probari, explicari, multa etiam corrigi, & acriores ut plurimum ad studia faces accipient. Et quis veritatis sinceræq; doctrinæ studiosus æquo animo ferat turpem sacrarum velitationum contemptum, quo fascinati nonnulli, omnes de controversis fidei Religionisque Christianæ capitibus decertationes plusquam vatiniano prosequuntur odio, & veluti non necessarias lites, imò vanas frivolas & noxias logomachias prorsus aversantur? Quis laudet maleferiati illius Politici consilium, quo omnes Theologorum disputationes (quas meras lites & contentiones otiosas nuncupare non dubitavit) acriter prohibendas censuit, summisque

L. Vives in introd. ad sapient.

Confer epistol de Atheismi radice.

que elogiis Magnum Moſcovitarum Ducem celebravit, quod non concedat cuiquam ut de Religione diſputet, ſique aliquos de ſacris rebus diſputantes deprehendat, ita eos puniat, ut loqui dediſcant. Licet enim multæ velitationes eccleſiaſticæ in acerrimas contentiones, altercationeſque (ab ipſo Apoſtolo caſtigatas,) degenerarint, indeque nomen illud tantæ expoſitum ſit invidiæ, quin imò multæ de fide diſputationes è ſuperbo promanarint ſpiritu, omnibus tamen eandem ſcribere dicam, atque cum ſordibus ejicere infantem, nimis inhumanum, nimiſque barbarum videri poſſet inſtitutum. *Quærat* allophylorum quiſpiam: *Quid tot profuerunt diſceptantium Theologorum litigia, niſi quod infeſtioribus ſubinde animis diſceſſum ſit, quam fuerat conventum, & acerbioribus dehinc ſcriptis lites de litibus fuerint ſata & cumulata, vulneraque Eccleſiæ non ſanata, ſed exulcerata magis;* ad animum tamẽ talis ſibi eo quo par eſt ſtudio revocet, ideò infeliciter quandoque diſputatum fuiſſe, quia infideliter, non tamen propterea bonam cauſam deſerendam eſſe, quia infeliciter aliquando ſit decertatum: plurimum ſæpè effectum eſſe ſacris de Religione diſquiſitionibus; proſperè nimirum ceſſiſſe Origenis cum Berillo hæretico certamen, ſiquidem illum Chriſto hâc ratione lucrifecerit; in aliis

I. Tim. IV. v. 5.

Par. in veſtibulo Iren. p. 4.

vetu-

vetustissimorum Doctorum pugnis sæpenumero victos discessisse heterodoxos, victum fuisse Ariũ disputante Athanasio coram. Probo Judice, victum Pascentiũ contendente cum eo Augustino, qui solenni etiam biduanoque conflictu Felicem Manichæum eò adegit, ut simul victum se totâ præsente ecclesia sit confessus, & pudendum Manetis damnarit errorem. Sanè cum præter sobrios ejusmodi piosque de religione conflictus, vix ulla commodior oportuniorq; via ac ratio ex abysso ignorantiæ emergendi, & ad solidam veritatis cognitionem deveniendi inveniatur, nemo facilè musteis illis muginatoribus locum concedet, qui omnes sine discrimine de fide concertationes contemnunt, rejiciunt atque aversantur.

XV. Absit tamen omnis illaudata contendendi libido, modestè potius verecundeque agant ii qui bella Domini suscepêre debellanda, in tractandis controversiis debitam lenitatem adhibeant atque mansuetudinem, neutiquam verborũ decertantes acerbitate, nec odiosè injurioseque insectantes adversarios, sed placidè potius rerum momenta considerantes, de veritate eruenda stabiliendaque unicè sint solliciti. Adponamus memorabile Jo. Pic. Mirandulani de hisce concertationibus judicium: *Prosunt disputationes quæ placido animo ad vestigandam veritatem privatis in locis exercentur, at illæ obsunt plurimum, quæ*

quæ in propatulo sine ordine fiunt, ad captandam populi auram & imperitorum applausum, vixq; potest fieri ut honoris cupidini, quâ FRONTIVAGI illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo annexum, non sit lethale vulnus animæ venenumque charitatis mortiferum. Quicquid autem in publicis ejusmodi concertationibus est vitii, quorundam est gloriosulorum, & famam doctrinæ captantium, non autem ipsius eruditæ Theologicæque disqvisitionis. Ast minimè convenit illic humanos affectus obstrepere, ubi cœleste est omne quod geritur; neque congruum; in rebus sacris tractandis parum modestos & integros videri, quæ solæ verè modestos reddunt atque pacatos. Id quum omnibus de Religione contendentibus, præcipuè tamen orthodoxis est observandum, seculo nimirum hoc exulcerato & litigioso, ne quicquã scilicet sive voce sive scripto committant, unde plurimi contra- & maledicendi decerpere possint occasionem, & sive suoptejudicio, sive alieno impulsu Religionis meditentur defensionem, simplici puroque & ab inordinato altercandi studio planè remoto id faciant animo. Verû illi caveant, ne ullam cum domesticis [redacted] fidei publicè ineant sive de Thologicâ sive alia quapiam re concertationẽ. Quamvis enim in omni professionis genere

nere semper liberũ fuerit, in hisce duntaxat reb⁹ quæ ad religionis dogmata propriè non pertinent invicem dissentire, nec fraudi cuipiam vitioque sit vertendum, si non promiscuè omnium adoret placita, sed diligentiori potius examine cuncta discutiat; attamen cum tanta sæpè hominis sit superbia, ut quicquid semel ex:iderit, omninò ratum esse velit, nec facilè cedat meliora docentibus, ira etiam invidiaque ut plurimum atrocia adversus fidei & professionis ejusdem socios arma subministret; hinc multò consulti⁹ rectiusq; felix ageret literatus, si socio cederet contradicenti, quam gravi animi motu occupatus, ipse cum eodem in arenam descenderet. Cæterum longissimè ab illaudato illorum recedat instituto, imò si fieri poterit etiam consortio, qui unam vel alteram seligere solent quæstionem, & huic tanquam glebæ pertinaciter insidere, totumque impendere tempus, dein rixari assiduè, contendere, pugnare, ultra vexatiora quædam themata nihil amplius perquirentes. Alio plane animo piè literatus sacra faciat sapientiæ christianæ, placidâ potius mente delectetur atque doctrinâ, veritatem quærens non sectam, & exquisitam illam observans methodum, quæ tum cognoscendis rebus, tum dirigendis studiis aptissima videatur; doctiorum etiam haud illubenter acquiescens judicio, nec unquam talem sibi in Ecclesiâ aut Rep. literariâ dicendi potestatem arrogans,

gans,

gans, quam sibi in foro sumunt causidici, ut quicquid in buccam venerit pronuncient, vitet potius studio omni profligatam adeò temeritatem impudentiamque, & Prophetarum spiritus Prophetis subjiciendos esse planissimè sibi persuadeat. Antequam in medium quidpiam efferat, cogitet quid, cogitet etiam cum animo suo, quâ veritatis specie conceptam statuere defendereq; opinionem possit, ac ubi eam edixerit, verecundiæ meminerit atque modestiæ, sine quibus eruditissimæ etiam utilissimæque disquisitiones in turpes altercationes pudendasque logomachias degenerant. Haud equidem gravate literati christiano illo demissionis spiritu prædíti ferent sese admoneri, à doctioribus præsertim & melioribus, amicis etiam, pietate pariter ac integritate singulari conspicuis, illorumque luto haud quaquam coinquinatis, qui simulant amicitiam & necant, dum osculantur latus ense aperiunt, benevolentiæ in corripiendo speciem admiscent, dum perniciem moliuntur; candidis potius & infucatis monitoribus aures faciles illi præbebunt, nec qualiacunq; dogmata & placita obstinatè defendent. Felicis hoc nomine eruditi ideam ICtus & philologus insignis PETRUS CUNÆUS nobis posuit ob oculos, præclarè alicubi de semet ipso scribens ad hunc modum: *Neque verò nos sumus tam superba impotentisque arrogantia, ut in tantâ communis natura*

Petrus Cunæus in præfat. libri III. de Rep. Ebræor.

turæ imbecillitate solos nos superesse existimemus quibus interdum opus veniâ non sit. Hallucinamur omnes, alii gravia alia leviora, nec est quispiam, qui tam benè animum suum disciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum possit amplius aut fallere, item: *Pertinaciam pro opinione induere haud est nostrum, Ipsi nos, si quando errores quosdam nostros odorati fuerimus, sponte hanc gratiam à nobis inibimus, & primi eos indicabimus, ne quis fortè studio nostri aut amore deceptus, vitia nostra cæcis oculis prætereat.* Laudabile hoc Viri egregii exemplum ac institutum si omnes sequerentur eruditi, tot tantæque litium & rixarum materiæ, tot de minimi momenti rebus pudendæ altercationes paulatim penè interciderent, saltim vix aliquo in Orbis eruditi angulo illarum exiguæ quædam reliquiæ superessent. Præclarè Author epistolæ ad Zenam & Serenum apud Justinum; *Si vera* (ait) *docet, parere ei debemus & obsequi. Contentiosus enim Vir peccatum suum conduplicat, & cum cedere debeat, vult Cadmæam, ut ajunt victoriam vincere. In causa est vanæ gloriæ cupiditas, dum ne erratum fateatur, mavult opinioni suæ quamvis periculosæ acquiescere. Ridiculè*

 enim

enim sunt, qui ut aliquid evincant, agunt quotidianis clamoribus, quos ERIS illa, objecto pomo concitat. Moysen merito laudat Philo Judæ⁹, quod cum Assyriorum literas, Chaldæorum & Ægyptiorum syderalem scientiam exactè didicerit, *intactus à contentionibus nudam quæsierit veritatem, nihilq; præter eam in omni vita admiserit*; Alia longè mens illi fuit, quam pervicacibus quibusdam litigatoribus eruditis, qui proposita semel placita & dogmata sive probata sive improba, mercenariorum causidicorum (jus omne & æquum negligentium) more defendere haudquaquam verentur,) ipsis interdum Gentilium Magistris longè deteriores, quorum alius, Democritus sc. nullam non contentionem imprudentem esse judicavit, siquidem is qui hostem omni pacto lædere cogitet, propriam prorsus negligat existimationem atque utilitatem; alius (ipse Epictetus quidem) lites & contentiones ubique indecoras esse pronunciavit; alius laudante Stobæo apprimè sibi cavendum duxit, ne contra quam sentiat, vincendi amore ac studio occupatus quicquam afferat in medium; *Cavebo* [ajebat] *ne contra quam sentio, quicquam statuam, aut vincendi studio contentionis foveam incurram, ac ne cum veritatis jacturâ etiam secus quam*

Philo de vita Mosis.

Stobæus Serm. xx.

Epict. in Enchiridio.

Stobæus Serm. 1.

quam ipse credo falsa argumentatione quenquam decipiam, aut ad contendendum extimulem. Nec malè ZENON (ipso Philone laudante) pronunciavit, non oportere Viros probos cum malis contendere, & Chilon doctos omnes ut litis miseriam effugiant gravissimè monuit. Multò magis à doctrinæ pietatisque christianæ professoribus omnis abesse deberet rixandi concertandique libido, apprimèque iis esset cavendum, ne turbatorum verius quam defensorum nomine, rabularum potius quam doctorum titulo compellari mereantur.

Philo Jud. Tract. quod omnis probus sit liber.

XV. Scitè quondam Timon Gymnasium Museumque Alexandrinum CAVEAM vocavit VIMINEAM, irridens scil. Philosophos, qui in eo velut aves pretiosæ alebantur. *Sic* (ajebat) *pascuntur multi in Ægypto populosa libris pugnantes, & semper digladiantes in Musarum caveâ.* Videtur autem genus avium cui Timon literarios istos digladiatores contulit esse Gallorum, de quorum pugnaci natura Plinius ad hunc modum: *imperitant suo generi, & regnum in quacunque sunt domo exercent, dimicatione paratur hoc quoque inter ipsos, nec finis sæpè nisi commorientibus. Quod si palma contigit, statim in victoria canunt, seque ipsi principes testantur.*

Athen. lib. 1. Gymnos.

Plin. lib. X. c. 21.

En elegans contentioſorum & φιλονεικίας morbo laborantium literatorum hieroglyphicum! en ejuſmodi diſputatoris acerrimi typum, qui deſcribente Nonno :

Nonnus in Dionyſ. lib. 13.

ἔγχος ἔχων ςόμα θοῦρον ἔπος ξίφος, ἀσπίδα φωνήν.

Pro haſta habet os promptum, ſermonem pro gladio, pro clypeo vocem.

Luc. in Anacharſi ſive de Gymnaſiis.

Et cum non Gallos ſolùm, verum cothurnices etiam ad certamina componi ſcripſerit Lucianus, hinc quoq; aptiſſimum literariæ æmulationis, earumque diſputationum, quæ inter Symſtas, fideique domeſticos, imò inter ipſos interdum eruditionis Antiſtites inſtituuntur, ſymbolum derivabitur. Ter felix autem atque beatus ille dicendus eſt literatus, qui caveæ ejuſmodi vimineæ aut nunquam fuit incluſus, aut forte fortuna in ipſo ætatis flore eò delatus, optatæ tandem & libertati & tranquillitati reſtituitur. Ad Magni ſc. illius Baſilii exemplum, qui Athenas ſtudiorum gratia quondam accedens, teſte Gregorio Nazianzeno, CONTENTIOSIS potius quam doctis & argutis quæſtionibus ab ipſis etiam amicis tentatus, magna quidem alacritate animi ſtrenuos illos diglatores fuit inſectatus, nec ante argumentationibus ferire deſtitit, quam prorſus in fugam convertiſſet, victoriamque haud dubiam adeptus fuiſſet: Attamē veræ chriſtianæq; philoſophiæ

Gregor. Naz. Orat. XX. in laud. Baſil.

amore

amore tandem captus imò velut è gravi ſomno expergefactus, ad ſupremæ ſcientiæ admirabile lumen reſpexit, & deplorata plurimum vitâ prius in litibus & contentionibus tranſacta, Doctorem ductoremque ad eam flagitavit diſciplinam, quæ nil niſi veram ſolidamque ſpiret pietatem, quæ non rixoſa, ac inutilium contentionum micis fatua, ſed ſalutaris appareat ac utilis, quæ non uti Athenienſis illa ſit Sophiſtica, ac otioſas & ſpinoſas magis quam fructuoſas, pluſq; futilitatis quã utilitatis habentes ſectetur quæſtiones, eaſque tanquam ſingulares delicias, ac lautiſſimas epulas efflagitet, ſed divina potius myſteria & cœleſtia oracula avidiſſimè æmuletur, quæ ſinceræ charitati ſociata & humilitati alumnos ſuos non inflet aut argumentis armet ſophiſticis, ſed auræ benignioris perflet ſuavitate, perficiat non interficiat, neq; (ut Seneca loquitur) *populare ſit artificium, aut oſtentationi paratum, ſed animum formet ac fabricet, vitam diſponat, atque fideli manuductione ſua, agenda pariter ac omittenda demonſtret.* Ad talem nimirum animi formatricem ſapientiam Magnum illum Baſilium aſpiraſſe, ipſe teſtatus eſt verbis alibi laudatis nec ſatis unquam celebrandis: *Ego ſanè poſteaquam multum temporis vanitati impendiſſem, & omnem propè juventutem inani ſtudio attriviſſem, quo tenebar,* *Baſil. M. Epiſt. 79. ad Euſtatium Sebaſtiæ Epiſc.*

nebar, cum apprehendendis infatuatæ à DEO Sapientiæ disciplinis immorabar; Tandem aliquando, ubi velut ex gravi somno expergefactus, ad Evangelicæ veritatis admirabile lumen respexi, agnoviq́ inutilitatem Sapientiæ Principum hujus Mundi qui abolentur; deplorata plurimum miserabili mea vitâ, ductorem mihi dari optabam, qui ad Pietatis dogmata me introduceret. Hæc Doctor ille verè admirabilis, postquam ad animum sibi revocasset miserias molestiasq́ue CAVEÆ illius ATHENIENSIS, Magistrorum item ac Sophistarum [magni olim à se æstimatorum] odia mutuâ, ab invidia æmulationeque conflata non sine quâdam notasset animi sui indignatione, quin imò observasset, homines de summa nostrâ felicitate, altissimâque animi tranquillitate præclarè disserentes, nullam prorsus requiem invenisse, sed mente modoq́ue incondito circumagitatos, iracundiæ continuis motibus efferatos, in vanitatem totos intentos, nec de aliâ re magis, quam laudis gloriæque incremento fuisse sollicitos, tum inquam supremi luminis splendore collustratus, infatuatæ illius Sapientiæ tenebras agnovit, & fidelem ad pietatis dogmata hodogetam anxiè efflagitavit. Neque verò solus DEUM desideravit obtinuitque divi-

nâ

nâ benignitate Basilius, verum etiam quotquot divinæ gratiæ radiis illustrati, profanæ contentiosæque sapientiæ tristem atque luctuosam faciem probè sunt intuiti. Hos inter præcipuè est Magnus ille Præsul Hipponensis AUGUSTINUS, is cum diu multumq; Academicorum pariter ac Manichæorum sophistarum ineptiis argutiisque defatigatus, nihil in iis nisi meros nodos, laqueosque & labyrinthos inextricabiles deprehendisset, ac in sacro suo secessu svavissimum quendam audivisset concentum, & voce cœlesti de salute monitus, Paulinum arripuisset codicem, inque verba incidisset sequentia: *Non in CONTENTIONE & ÆMULATIONE, sed induite Dominum JESUM CHRISTUM*: Mox divino agitatus spiritu ad tantæ sapientiæ culmen devenit, ut soli DEO sua consecraverit studia, publicam etiam Rhetoricæ deseruerit professionem, NUNDINAS (ut ipse loquitur) LOQUACITATIS, nec amplius Juventuti bella forensia & mendaces insanias vendiderit, sed veræ solidæque pietati strenuam navarit operam, donec ad optatam tandem verè FELICIS LITERATI pervenit tranquillitatem, probeque deprehendit, universam profanæ eruditionis Rempublicam apertam vanitatis scholam esse, in quâ magna eruditorum hominum pars declivi naturæ impetu in Contentionis gloriæque inanis lutum prona, spiritum trahat inglorium

Rom. XIII.

rium & anxium, multi eruditi quid agant nesciant, seque id nescire non nesciant, nihilque cœleste sapientes & divinum, cum nullis facilè conveniant, ut qui secum dissideant perniciosissimè. Atq; exindè isti Augustini, pietati & tranquillitati suæ restituti, divinæque gratiæ radiis collustrati ignes: *DIRUPISTI VINCULA MEA, Tibi sacrificabo hostiam laudis, - Quis ego & qualis ego, quid non mali ego? Tu autem Domine misericors rupisti surditatem meam, tetigisti me, & exarsi in pacem Tuam, &c.*

August. Lib. IX. confess. c. 1.

XVI. Eundem veræ felicitatis portum cum Basilio atque Augustino omnes attingent eruditi, si oculis perspicacibus omnem Mundi sapientiam intuentes, eam coram Deo abominabilem stultitiam esse sibi persvadeant, cujus sectatoribus nî resipuerint miserè tandem sit succumbendum, & nî post intestina atque diuturna bella sedata, post deploratum pejoris vitæ statum, ad Augustini exemplum Sacrosancto se consecrent Numini, & meliorem temporis posthâc collocandi instituant rationem, cum B. Hieronymo occinentes: *Habeat sibi Roma suos TUMULTUS, arena sæviat, Circus insaniat, nobis adhærere DEO bonum est, & ponere in Domino fiduciam nostram;* neque de vanæ profanæque doctrinæ

copiis

copiis instruendis tantoperè amplius sint solliciti, & qualem alii in litibus serendis operam collocant, ipsi in minuendis, componendis, tollendisque contentionibus longè laudabiliori instituto impendant. Facilè equidem cessabunt lites, ubi pars altera silere noverit. *Quod si aliquando* (præclarè ait Philo) *majore vi coactus in certamen descenderis, ne Te vinci pudeat, sic enim demum si vincaris, victor evades, quando in hoc genere victor vincitur.* Eodemque sensu Plutarchus; *Non enim* inquit, *tantùm egregium est scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, ubi victoria est damnosa*, idemque confirmans Nazianzenus; *Præstet* ait *honestè vinci, quam periculosè ac nefariè vincere.* Quod si enim vincendi desiderio occupatus literatus, Satanæ, litium semina suggerenti aures commodaverit, dubium non est, quin operam ille daturus sit strenuam, ut ad regnum suum dilatandum oportunam capere queat occasionem, gravioresque indè discordiæ fluctus atq; maxima incendia oriantur. Utut etiam erudito ac Deo sacrato homini jus suum prosequi concessũ sit, attamen ob levissimã quamvis injuriolam in aciem & dimicationem venire, ac de lanâ caprinâ, aut de hirundinis nidulo, aut de Parni scaphulâ vehementissimo animi

Philo lib. de agricult.

Plut. lib. de educat. liberor.

Nazian. orat. 1.

contendere æstu, admodum culpabile, maximæque dementiæ opus jure meritoque poterit nuncupari. Cumprimis autem erudito declinandi sunt adversarii potentiores, inque litibus controversiisque literariis agitandis se longè exercitatiores: Rarissima tunc victoria, si quæ tamen est, graviori longè damno est sociata; *Non litiges* [ita divinus monuit Præceptor) *cum homine lingvato, neq; in ignem illius struas ligna*, id quod optimè ipse quondam expressit Cato:

Eccles. c. VIII. 4.

Contra verbosos noli contendere verbis.

XVII. Nec garruli duntaxat, sed iracundi etiam cane pejus & angve literato vitandi sunt adversarii, fatui item & arrogantes, qui ne tanti quidem æstimandi, ut cum iis in arenam descendere in animum inducat. Et cum difficilè admodum sit in ipsâ conflictûs publici palæstra non irritari quandoque & irritare, opera omninò danda est, ut antea mens medicamentis quibusdam ita præparetur, ne quid ejusmodi committatur. *Disputationem* (inquit Acontius) *ingressuro perinde Tibi faciendum est atque fortissimo cuipiam Viro, & cautissimè in singulare certamen descensuro; is enim omnes feriendi cogitabit artes; & ad singulas rationem defensio-*

Acontius de Stratag. satanæ lib. II p. m. 79.

fensionis præmeditabitur. Ad hæc cogitabit quas corporis partes minus armatas habeat, aut in quibus majoris sit vulnus periculi futurum, ut illis circumspectius caveat. Tum autem animum in certamen ita exacuet, ut constitutum deliberatumq́; habeat, aut vincere aut mortem fortiter oppetere. Sic cogitandum Tibi cum animo tuo est, quicquid inter disserendum accidere Tibi possit, ad animum tuum ira accendendum, offundendamq́; oculis caliginem, ac deniq́; omnia turbandum; ut quod convicia in Te collaturus sit adversarius, quod impiè Te aut impudenter, aut sceleratè facere accusaturus sit; quod appellaturus Te sit rerum omnium ignarum, stupidum, bardum, quod irrisurus Te sit homo nihili; quod verba tua cavillaturus; quod deniq́; summa sit usurus insolentia; ac nihilominus certum tibi esse oportet, nulla re commoveri; quin potius summa lenitate patientiaq́; institutæ disputationis filum ad finem usq́; prosequi. Hujusmodi animo cum acerbissimis adversariis hæreticisque virulentissimis congressus olim est B. Augustinus, omnesque injurias, offensas, calumnias, licet gravissimas æquissimo exce-

pit

pit animo, nunquam maledictum reddens pro maledicto, sed vel tacens, vel simpliciter quod falsum erat negans, gratias itidem DEO agens, ac pro immerito odio christianam rependens dilectionem: *Loquantur adversum nos* [ajebat aliquando) *quidquid volunt, NOS DILIGAMUS eos & nolentes; Novimus enim fratres, novimus linguas eorum, propter quod eis non irascamur.* Nec minus præclarè Hieronymus, adversariorum contentiosorum virulentis spiculis petitus; *Licet Sacerdos* (eleganter ad Asellam scripsit) *despiciat atq; Levites, Samaritanus ille misericors est, cui cum cum diceretur Samaritanus es, & dæmonium habes, dæmonium renuens Samaritem se non negavit, - - Maleficum quidam me garriunt, titulum Domini servus agnosco. Magum vocant, & Judæi Dominum meum, seductor & Apostolus dictus est, &c.* O si eadem æquanimitas moderatioque omnium eruditorum animis insideret, nec tanta illi verborum decertarent acerbitate, Satanam toties ad arma, ad rixas, ad dissidia, seditiones, & horrendas animorũ convulsiones & collisiones concitandas accinctum neutiquam spectaremus. Non malè ad bella literatorum mutua applicari posset illud Ciceronis de bello civili Cæsaris & Pompeii effatum:

August. conc. III. in Psalm. 36.

Hieron. Ep ad Asel. To. II opp. f. 36.

Si

Si aliquid de summa gravitate Pompejus, multum de cupiditate Cæsar cum suis dimisisset, & pacem stabilem, & aliquam Rempublicam nobis habere licuisset. Sanè si quidã de ingenito animi sui fastu, præsidentiâque ingenii & eruditionis; alii de noxia contendendi, novasque opiniones disseminandi libidine remisissent, & pacem inter eruditos stabilem, & Rempubl. literariam tranquillam hacten⁹ nobis habere licuisset. Quanti id esset ad emolliendа durissima quædam eruditorum hominum pectora momenti, si damna & pericula ex vehementioribus concertationibus promanantia, assiduè sibi ponerent ob oculos; si neutiquam soli sapere sibi viderentur, si præ se contemnerent neminem, præcipuè verò pudendam illam (quæ vehementer morosum reddit disputatorem) ultrò deponerent ARROGANTIAM: Quid enim huic cum vera sapientiâ supremaque hominis eruditi felicitate commune? Quid pectore turgido elatoque miserius, quid gratius dæmoni? Cœnum id est, quo rugiens atque circumiens iste Leo infernalis præ sordibus aliis quam maximè delectatur. Quid aptius ad dirimenda omnia amicitiæ, consangvinitatis & religionis vincula, ad dissolvendas arctissimas etiam animorum necessitudines, denique ad evertendam devastandamque universam Rempublicam christianam? Hanc si eru-

si eruditi salvam velint & inconcussam, posito fastu, extinctoque pessimo illo contentendi altercandique pruritu, CONCORDIÆ studeant, pacem (ast sine veritatis detrimento) quærant efflagitentque sollicitè, mutua sese obstringant charitate, nulla quidem privata impulsi utilitate sed publica, ad quam ipsi unanimiter curas cogitationes studiaque omnia conferant, eadem velint, eadem nolint, eadem sacra habeant & profana, prospera & adversa, damna & compendia, curas & gaudia æqualiter partiantur, atque hunc certissimum optimarum mentium characterem, optabilem nimirum Concordiam summo studio custodiant. Felicem hoc nomine apprimeque beatum D. HIERONYMUM KROMAYERUM extitisse, alibi testatus sum, scilicet adeo in illo cuncta in usum expedita, lepore atque suavitate condita fuisse, ut rarò quenquam offensum, conciliatos plerosque & melius instructos reliquerit, siquidem non ignorarit Vir & Theologus prudentissimus, orthodoxorum quorundam discordiam publicam gravissimarum calamitatum causam esse atque scaturiginem, imò malum antiquissimũ, quo invalescente, universa res sacropublica in ruinæ extremæ constituta sit periculo: Nihil proin illo per omnem vitam placidius, nihil fuisse tranquillius, ubique pacata habuisse omnia, strenuumque defensorem veritatis, sed sine felle, sine verborum acerbitate agere consuevisse.

Confer Templũ Hon. ed. 1673. p. 408.

ſueviſſe. Ad cujus inſignis Viri exemplum Doctores chriſtiani tum demum ſe felicitatis literariæ apicem attigiſſe credant, ſi imperturbata animi gaudeant tranquillitate, neque ullum cum rixis & diſſidiis inteſtinis habeant commercium. Portum quippe tunc attigêre verè felicem, atque lætiſſimæ ſegetis prænunciam proſperitatem ſunt conſecuti. Hocq; fundamento nixi, eaque perfuſi ſuavitate uberius ſuis fruentur bonis, & illuſtre literariæ excellentiæ ſpecimen omnium ſiſtent conſpectui, quin imò cunctis illis motibus angoribus & terroribus, qui homines plerunque circumſiſtunt turbantque, ſuperiores, divino tandem beneficio ad ſupremam perennemque pertingent tranquillitatem. Tantum verò abeſt ut à ſalutari hoc imperturbatæ felicitatis ſcopo illi aberrent Doctores, qui flagrantem in authores ſchiſmatum & ſcandalorum ardorem oſtendunt, ut potius viam ad ſcopum illum pertingendi cæteris oſtendant, atque egregia laudum præconia promereantur. Cum error apparet incorrigibilis, atque poſt medicinam ſuam deſperatus habetur morbus, non malagmatum amplius placabilitate, ſed cauteriorum opus eſt aduſtione, nec jam improbitas excuſanda, ſed ſuis potius depingenda eſt coloribus. Quamprimum inſignis ille orthodoxiæ vindex Cyrillus Alexandrinus deprehendit, Neſtorium ab errore ſuo blandis & amicis

micis verbis haud posse revocari, tum ille hominem jure meritoque armis aggressus est validioribus, conscriptisque *de rectâ fide & perversa Nestorij opinione* libellis, illum fraudis & imposturæ manifestæ convicit, suoque exemplo docuit, quanto fervore veritatis cœlestis causam Ecclesiarũ Antistites agere teneantur. *Ne queratur* (præclarè inquit Chrysostomus) *Vir sanctus, quod tanquam lupi in adversarios ruamus, sæpè sine victoria, qui tamen vinceremus, si oves essemus à pastoris officio non recedentes, qui non luporum sed ovium pastor est.*

Chrysost. Hom. 34. *in Matt.*

XVIII. Quandoquidem verò frequenter accidat, ut qui naturâ moderati, humani, mites, à litibus & contentionibus sunt alieni, pusillanimitatis & tepiditatis obelo præter culpam suam notentur; ex opposito autem, ignea ingenia, & divinitus ad errores moresque pravos impugnandos excitata, immoderationis rigidæ, turpissimæque præcipitantiæ veru inique configantur, hinc probè advertendum, quænam inter extrema ista Virtus, justæ gratæque DEO & bonis omnibus MODERATIONIS nomen obtinere queat. Quod ut tantò clarius appareat, Viro quodam egregio prælucente genuinam Theologicæ moderationis rationem tribus axiomatibus explicabimus:

D. Sam. Pomar. Diss. VII. de Moder. Theol.

(I.) *Sincera & seria sit, non simulata*

lata & affectata; Doctorum sive Ecclesiasticorum sive Academicorum MODERATIO
Non pauci equidem reperiuntur, qui verbis pariter ac gestibus blandis animum ab omnī contentione præ se ferunt alienum, inprimis quando versantur cum simplicioribus, quibus desunt sensus exercitati ad boni malique discretionem; quodsi verò in quosdam à placitis suis paulò alieniores incidant, animi adeò inhumani, contentiosi, immitis ac lividi documenta dare solent, ut feris quam hominibus videantur esse similiores. *Sunt quidam* (scitè ait Bernardus) *mites, sed quamdiu agitur vel dicitur pro eorum arbitrio; patebit autem quam longè sint à verâ mansuetudine, si levis oriatur occasio.* Pseudopro- *Matth.* phetas quis haud abs re eos dixerit, qui in *VII. ỷ,* vestitu veniant ovium, sed intrinsecus lupi 15. sint rapaces; imò illiberalibus illis Tiberii Cæsaris artibus potius, quam Christi præceptis imbutos, siquidem de illo Suetonius scrip- *Sueton. in* serit, quod singularem populi favorem *Mo- vita Tib.* *derationis simulatione* captaverit, licet iracun- *c. 57.* di & crudelis fuerit animi. Ejusdem farinæ hominem Leontium Arianorum Episcopum Antiochenum fuisse, ex Theodoreto discimus, *Theodo-* qui scilicet Moderatoris personam induerit, *retus lib.* atque sub splendido isto titulo diversas con- *II. Hist.* ciliare laboraverit religiones, ast mox in dis- *Eccles.*
 sentien- *c. 24.*

edit. Paris. ab H. Valesio. 1673. sentientes ab opinione sua feræ instar insilierit, & à verâ animi moderatione longissimè fuerit alienus. Ipsum Theodoretum H. Valesio interprete, de egregio illo Moderatore Leontio audiamus disserentem: *Breviter* ait *versutiam ejus ostendam & fraudulentiam: Cum esset particeps Arianæ blasphemiæ, morbum illum occultare summo studio nitebatur. -- Sed ejus sententiam facta ipsa apertissimè declararunt, quotquot enim Apostolicam doctrinam sequebantur, nullam ijs curam nec ordinationem impertiebatur, Arianæ autem vesaniæ participes, summam sub eo nacti sunt licentiam -- Nec ulla res Leontium adducere potuit ut malitiam suam corrigeret, sed sub MODESTIÆ ac MANSUETUDINIS LARVA nequitiam occultavit, eos enim qui perversam fidei doctrinam amplexi fuerant, licet alioqui vitæ essent turpissimæ, in presbyterorum tamen ac diaconorum ordinem promovebat, eos verò qui Apostolicæ doctrinæ mordicus adhærerent, inhonoratos relinquebat, quam ob causam Clerus quidem plerosq; habuit hæretica labe contaminatos &c.* Ad cujus Leontii exemplum non pauci moderati audire gestiunt, ac mansueti, licet naturâ pariter ac assuefactio-

factione continua nihil minus quam tales existant, sed Contentiosi potius, ambitiosi ultionisque & utilitatis propriæ sitientissimi, iræ etiam retinentissimi. Caveat sibi verus Christi minister à pudendo hoc simulationis vitio, imò ipsiusmet diaboli evidentissimo charactere, veram & infucatam potius animi moderationem dictis factisque exprimat, priusquam aliis præscribere audeat christianæ mansuetudinis leges, ejiciat larvatam omnem & ementitam lenitatem, DEUM hominesque fallere laborantem, candorem potius & simplicitatem diligat sectetur que, exemplo illius, qui odio habet *Prov. VI.*
omne cor dolosum, secreta rectorum inspicit, ℣. 18.
eadem suo tempore in lucem producturus. *I. Sam.*

(II.) Axiom. *Neutiquam in Teporem* *VI.* ℣. 7.
atque servilem demissionem abeat prætensa moderatio: Tametsi tranquilla docendi ratio multis nominibus vehementi & severiori sit præferenda; cane tamen pejus & angue fugiendus [Theologo cumprimis] tepor est, DEOque valdè exosa timiditas, quâ laborantes plurimi, atque mansuetorum laudem captantes, toti ab alieno pendent nutu, ne scil. in suo officio inquietentur, mundique & diaboli odia sustinere cogantur, sed apud universos in honore amoreq; habeantur. Quid miseranda & servili illa submissione tetrius, quid hypocritico tepidoque ejusmodi Doctore deterius?

August. *Nihil est in hâc vitâ & maximè hoc tem-*
Epist.148. *pore facilius & lætius Episcopi aut Pres-*
byteri aut Diaconi officio, si profunctoriè
atq́ adulatoriè res agatur, sed nihil apud
DEUM miserius, & tristius & damnabilius.
Videant DEO sacrati Viri, ne unquam in u-
August. tramque claudicent partem, neve irruente lu-
Tract. po (moderationis cujusdam prætextu) taceant,
46. *in* cedantque, ne ejusdem Augustini ingratam
Johann. hanc exaudire olim cogantur cantilenam:
Ecce lupus ovi guttur apprehendit; diabo-
lus fideli adulterium (hæresin) *persuasit,*
tu taces, non increpas, ô mercenarie! lupum
venientem vidisti & fugisti; Respondes fortè &
dicis: Ecce hic sum non fugi, fugisti quia ta-
cuisti; tacuisti quia timuisti: *Fuga animi ti-*
mor est, corpore stetisti, spiritu fugisti. Et
Greg. M. istud Gregorii M. *veniunt lupi, fugiunt*
Hom. 14. *dum se sub silentio abscondunt, dum tacent*
in Evang. *cum resistere deberent.* Insignem quendam
confer. ævi hujus Theologum in Templo Honoris
Templ. laudavimus, quod verè gloriari potuerit, se ab
Honor. eo tempore quo in DEI Ecclesia Oratorem
p. 42. egerit, maximo semper studio quæsivisse, ut nec
in FRIGIDORUM nec TEPIDORUM
Doctorum ordine inveniretur, sed FERVI-
DORUM, qui justo pietatis zelo pro reli-
gione dimicent & fidei veritate, eandemque,
peri-

pericula nulla extimescentes confiteantur defendantque pro viribus. Verè equidem in tales quadrat cœleste illud elogium, quod FERVIDI sint in faciendo officio, singularique zelo & fervore Spititus Sancti moti, masculè adversus hostium cohortes dimicent, nec quicquam omittant, quo veritatis cœlestis doctrina asseri propugnarique possit. Tales insuper in nulla non officii sui parte sunt constantissimi, impavidum semper retinentes animum, pro nihilo habentes sophistarum ineptias, rationisque curiosæ quisquilias, utpote quæ verbi divini fulgore, non secus ac tenebræ Solis meridiani radiis discutiuntur.

(III.) *Neq; Authoritati Doctoris quicquam composita sedataq; deroget docendi vel agendi ratio.* Hanc enim cum sæpè contemptus excipiat ac vilipendium, nec infrequenter ut homines simplices despiciantur ii, qui vel ex insitâ naturæ bonitate, vel exercitatione assidua christianæ moderationi singularem navant operam, imò personæ contemptus non infrequenter gravissimum ipsi etiam officio accersat opprobrium; hinc tale lenitatis atque severitatis temperamentum est adhibendum, quod supremi Regis Ministros quammaximè deceat, dictisque eorum ac monitis pondus egregium adjiciat: *Sollicita nimirum circumspectione est providendum, ne aut districtio rigida,*

aut pietas sit remissa, scil. ad Basilii M. exemplum, quem Gregorius Nazianzenus insigniter prædicavit, quod humanitati justitiam, austeritati verò placabilitatem sociarit, quo de egregio virtutis utriusque temperamento sub finem præcedentis commentationis disseruimus.

Gregor. Naz. Orat. XX. in laud. Bas. M.

(IV.) *Divinitus concesso orationis dono ad discendum docendumque, non verò ad contendendum literati utantur.* Quisquis enim seriò operatur Sapientiæ, inutiles aversatur contentionum litigiorumque tricas, nec donis sibi concessis superbè ad dissidendum contendendumque pertinacius abutitur, sed ad docendum modestè, non eum victoriæ gloriæque præposterum tenet desiderium, sed fructus potius, seu amor puræ nudæque veritatis. *Atq; hoc ingenium mihi malo,* (ita cum Des. Erasmo felix ex infelicium contentiosorumq; periculis & casibus ait literat⁹) *quam quo vides quosdam esse præditos, ut impotenter addicti sententiæ, nihil ferant, quod ab eâ discrepet; sed quicquid legunt in scripturis, detorquent ad assertionem opinionis, cui se semel manciparunt: Sicuti juvenes, qui puellam amant immoderatius, quocunque se vertunt, imaginantur se videre quod amant. Imò, ut, quod est similius, conferant*

Des. Erasm⁹ Tom. IX. opp. p. 997.

feram, quemadmodum inter eos, inter quos incruduit pugna, quicquid forte ad manum est sive cantarus sit, sive discus, in telum vertitur. Apud sic affectos, quod obsecro potest esse sincerum judicium? aut quis ex hujusmodi disputationibus fructus, nisi ut uterque ab altero consputus discedat? Semper autem erunt quam plurimi tales, quales describit Petrus apostolus, indocti & instabiles, qui depravant Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Ita Erasmus, cui consentientes eruditorum hominum alii, præclarè observarunt, zelum amarum viris bonis malorum multorum sementem facere, si qui potestatem ei zelo adjunctam habeant, vel genio sint ad nocendum prono, ac scabie notandi pruriant, vel quæ sua sunt quærant, non quæ JESU CHRISTI; non Justitiæ sed causæ suæ vellificantes: Judaicum id vitium esse notatum à Justino est in dialogo: Acti enim cacozelia Judæi nascentem Christi Ecclesiam, specie honoris DEI, & tuendorum Mosis institutorum insequebantur, perversè ac malignè in christianis criminantes omnia, velut muscæ ad ulcerosa [si alicubi occurrerent] advolantes, & festucas in trabes mendaciter amplificantes, cum ne umbra quidem innoxiis inesset. A quo pessimi animi charactere tantoperè semper doctiores

Conf. Theoph. Rayn. in Apopompæo, sive Tom. opp. posthumo p. 304.

& meliores abhorruerunt, ut in publicis etiam contra adversarios disputationibus nunquam voluerint verborum decertare acerbitate, sed placidè semper momenta rerum consideraverint. Seneca in examine sui cottidiano admonere se ipsum solitus fuit: *In illa disputatione pugnacius locutus es, noli postea congredi cum imperitis, nolunt discere qui nunquam didicerunt.* Quem Felix ex verâ animi tranquillitate Literatus haud malè, nec infructuosè imitabitur, si contentiosorum hominum fugiat consortia, eaque consectetur diligentius, quibus melior, non verò in contendendo acrior evadat. Uti medicinæ nullus usus est, nisi morbos à corpore depellentis, pariter nec artis disputatoriæ, nisi animi errores sanantis. Si piè-literatus videat illam à nonnullis ad ingenii sublimitatem ostendendam adhiberi, alios catulorum instar vellicationibus tantum lacerationibusque oblectari, solus ille seriò philosophetur, curaque singulari disputandi donum ad usum longè præstantiorem referat, ut DEUS nimirum juxta revelatâ veritatem rectè agnoscatur, agnitusque ex verbi sui præscripto sincero cordis affectu colatur. In arenam ab aliis provocatus, contra adversarios ita pugnet, ut omnes intelligant, dilectos à se homines, suffocatos autem errores, ac sine sævitia certatum pro veritate fuisse. Deniq; illud Mi-

Seneca lib. III. de ira c. 36.

nutia-

nutianum etiam atque etiam consideret: *Beati* *satis, satisque docti erimus, si secundum il-* *lud vetus Sapientis monitum*, ***NOSMET IPSOS FAMILIARIUS** noverimus*, neque CONTENTENDENTES cum aliis, ERRATA PROPRIA prætervolemus, & quod scitu ***SUMME NECESSARIUM***, turpiter ignoremus. *Minutio in octav.*





COMMENTATIO VI.
DE
MALEDICENTIA
LITERATORUM.

I.



ALI CORVI MALUM OVUM: Pestilentissimæ CONTENTIONIS LITERARIÆ proprius atque genuinus [non verò ingenuus] fœtus est MALEDICENTIA, sive Detractio, morbus eruditorum quorundam hominum voluntarius, potensque & furens perturbatio, Viros præclaris animi dotibus variæque doctrinæ copiis instructos ita sæpè invadens, & de bonæ mentis statû dejiciens, ut belluarum venenatarum (veluti serpentum & viperarum,) imò dæmonum potius, quam hominum sanâ ratione præditorum imagi-

imagines referant, ac eapropter bonis cordatisque omnibus sint execrationi. Quodsi enim pensi nihil habent optabilioris, quam ut in lapsus auctorum involent, omnesque carpant mordeantque pro lubitu, non hominibus sed vulturibus [qui putridis carnibus lautius pascuntur,] imò corvis ipsis existunt similes, qui avidioribus in cadavera rapiuntur rostris. Est agrestis adeò inurbanusq; ejusmodi literatorum tumor, ut non nisi turpi pudendaq; obtrectatione famæ inhient inanitati, tantaq; in configendis alienis monumentis libertate utantur, ac si ab omni errore labeque ipsi essent immunes. Pessimo equidem hoc insidiarum genere utitur dæmon tum ad capiendos, tum ad vexandos atque perturbandos eruditos, immittendaque in eos odiorum ac inimicitiarum perpetuarum semina; *Nimirum*, ut scitè eleganterque more suo Magnus alicubi scripsit Gregorius: *Contra duos* (literatos) *bellum movet hostis ille callidus, unum videlicet inflammans, ut contumelias læsus reddat, sed quia ejus jam victor extitit: quem ad proferendas contumelias commovit, contra illum acrius dolet, quem ad reddendas injurias commovere non potuit.* Verum frequenter accidit, ut adversariorum maledictis provocatus læsusque literatus, & ipse exardescat, damnorum injuriarumque jacula ad animum

nimum sibi revocans, hostiumq; maledicta vehementer exaggerans, quæ cum intolerabilia esse existimet, tanto interdum furore conturbatur corripiturque, ut æque horrendas, imò deteriores etiam contumelias rependere constituat. Quid, quod privatæ ejusmodi detractiones sæpenumero in publicum eant detrimentum, præsertim si maledictis sociorum DEO sacratus homo impetitus, turpi quodam scelere credatur contaminatus, atque ita authoritatis suæ omnem faciat jacturam, ac rectiora suadens, fidem apud alios minimè inveniat. Tunc juxta egregium Magni Basilii effatum, tribus simul damnosus evadit maledicus ejusmodi Doctor, atque callidus artium, sed illiberalium magister; *Nimirum illi injurius est quem traducit, & auditori suo, & sibimetipsi.* Trisulcum hinc telum haud abs re dixeris petulantem detractionem, aut tormentum æneum triplici ferrea glande fulminans, tres velut uno enecans incursu, vel ut scitè Bernardus; *Nunquid non vipera* [inquit] *est lingva ista? ferocissima planè, quæ tam letaliter tres inficit flatu uno. Nunquid non lancea est lingva ista? profectò acutissima, ut quæ tres penetrat ictu uno.* Et quemadmodum Basilisci vis etiam sine morsu vel solo aspectu est perniciosissima, ita maledicus literator, clam falsas accusationes auribus alio-

aliorum instillans, licet nullo palàm infixo morsu, acerbissima tamen infligere solet vulnera, cum scil. alienam famam semper lacerat cœcis utplurimum viis, & improbissimis quibus plurimum potest artibus, veluti latens vipera in occulto sua coquit venena, inque iis omnibus, quibus aliqua humanæ felicitatis pars continetur, ferales studet extruere nidos. Graphicè hanc viperam descripturus Ludovicus Vives in sua ad sapientiam introductione; *Non facundiam* [ait] *exerceas caninam, nec diserti laudem affectes in alienam contumeliam, in quem infantem & mutum esse satius est.*

II. Vetustissima eheu hæc pestis eruditorum est, à quâ præstantissima (uti diximus) ingenia ita sæpè correpta pariter ac corrupta fuêre, ut alios gravissimis lacessere conviciis, & per eorum depressiones ad famæ sublimioris fastigium tendere non dubitaverint. Ipse ille, qui inventorum diligentia & acumine omnes quondam antecessit Philosophos, Stagirita nimirum, præterivit neminem antecessorum suorum; quem non carperet, tantum in se derivatum iri gloriæ ratus, quantum aliis omnibus ademisset, quasi sublimior esset cæteris, acutiusque & longius prospiceret. Cum Asinius, teste Quintiliano, pati non posset sibi quenquam præferri, totus in scriptorum monumentis allatrandis fuit occupatus, ipsos Cæsaris commentarios ab omnibus tantopere

Conf. Ludov. Viv. de causis corrupt. art. lib. 1.

perè commendatos, acriter reprehendens, quasi parum diligenter, nec integra veritate sint compositi. In Salustio verba carpebat obsoleta, in Cicerone stylum nimis exanguem & elumbem; Livio objecit quod peregrinus esset, longiusq; à Latio versatus, &c. Sic & Cæstium quondam nasutissimum quidem, sed nullius ingenij hominem doctioribus omnibus, Ciceroni præsertim valdè infestum memorant. Zoilus quoque Amphipolites Sophista hoc potissimum facinore fuit nobilitatus, quod Homerum poëtarum omnium Principem libris aliquot incessere non dubitarit, inde ὁμηρομάστιγος cognomine notatus, quod ipsum etiam in proverbium ita abiisse constat, ut omnes nobilium auctorum castigatores, præmii quasi loco turpem ejusmodi mastigum retulerint appellationem, mox Vergiliomastiges dicti, ut Pero, mox Ciceromastiges ut Gallus Asinius, Didymus, & Largius Licinius, qui M. Tullium parum integrè, sed impropriè potius & inconsideratè locutum fuisse judicarunt. Quin imò Ciceroni ipsi eadem maledicentiæ atque incontinentiæ nota fuit inusta, postquam in spectatos quosdam Viros, cumprimis C. Jul. Cæsarem ejusque auctoritate lectos Senatores suæ mordacitatis dentes stringere non dubitavit. Verum in pudenda ista Maledicentiæ palæstra Oratores & Philosophos longissimè olim Poëtæ superarunt, utpote qui

data

data opera omnes Theonino dente (quæ ipsa phrasis Theoni, cuidam, rabiosæ loquacitatis petulantissimæque maledicentiæ Poëtæ suam debet originem) rodere atque virulentis conviтiis lacerare consueverunt. Eum præcipuè in finem Hipponax Jambographus ille Ephesius, authore Dionysio (Halicarnasseo trimetrum Archilochium de industria in Scazontem infregit, quo inimicos laceraret acerbius, cunctosque fortius feriret. Sicuti & Archilochum ex Paro insulâ Poëtam primum Jambo ad maledicendum contra Lycamben socerum usum fuisse; Theocrinen verò primum tragœdiarum actorem, dein calumniatorem & sycophantam (unde Demosthenes Æschinem tragicum nuncupavit *Theocrinem*) extitisse accepimus. Memorantur etiam Flacco mordaces valdè & denigrantes Bionis Poëtæ sales, de quibus ait:

Confer. Plin. lib. 36. cap. 5. & Eras. in Adagiis.

Demosth. in orat. pro Ctesiph.

- - *Hic delectatur jambis,*
Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.

Id est (Gomesio interprete) *carmine mordenti, ac aliena denigrante famam.* Apuleo nonnulli maledicebant, inq; Magiæ eum trahebant suspicionem quod Poëticam calleret; *Quid ad magica maleficia quod ego pueros Scribonii Locei, amici mei, carmine laudavi? An ideò magus, quia Poëta? Quis unquam fando audivit tam sinistram suspicionem?*

Apul. apol. 1.

tam

tam aptam conjecturam? tam proximum argumentum? Longum nimis esset commemorare singulos, qui ad Medii illius adulatoris Regio-Alexandrini exemplum, in optimum quemque & convitiorum tela vibrarunt, & aliis idem ut facerent authores fuerunt; *Nam etiamsi* (dicebat homo ille pessimus) *vulnus persanarit ejus in quē morsum infixeris, nihilominus cicatricosus deinceps apparebit locus.* Non malè hinc Muretus Poëtas apibus comparavit, quod sint aculeis armati, & mella amœnæ scriptionis præferentes; Crabronibus rectius contulisset, aut vespis, cum versibus tantum nonnunquam inimicis suis dolorem immiserint, ut ex eo miserè occubuerint.

Confer. Cœlest. Rhod. lib. XV. Antiq. Lect. cap. 25. Muretus Lib. VIII. Var. cap. 1.

III. Sicuti verò Philosophorum, Poëtarum & Gramaticorum veterum præcipuum fuit probrum luto conspergere obvios, & maledicere melioribus; ita HÆRETICIS olim adeò familiare fuit, ut insana quasi mordendi impetigine etiam supra ipsos gentilium magistros laborarint, atq; juxta Plinianum illud: *Minimum icti, omnia compleverint fragoribus.* Quanta bone DEUS odii spicula & maledicentiæ jacula Novatiani evibravêre in innocentem sanctumque Romæ Episcopum & Martyrem Cornelium, masculè sese nefandis eorum conatibus opponentem; Valentiniani & Marcionitæ in Irenæum, munitiones pessimas

mas explorantem, arma examinantem, vires expendentem, & graviter retundentem; Ariani in Athanasium, quem [dicente Fulgoso] nec vitæ sanctitas, nec doctrina protexit, quin à multis Episcopis Arianis ceu magus atque veneficus apud Constantium Augustum accusaretur. Neque sic tamen satiata immanis obtrectandi libido, asserere non dubitavit vi illum doloque cathedram Alexandrinam occupasse, Imperatori parasse insidias, trucidasse Arsenium, aliaque nefanda patrasse crimina. Quanta ignominia Nestoriani, fraudis & hæreseos manifestæ convicti, affecerint Cyrillum magnanimum; quantum diligentiæ Eunomius in maledictis adversus Basilium Magnum ejaculandis posuerit; quibus dicteriis convitiisque Hieronymum lacerarint professi hostes veritatis evangelicæ; quanta ferocia Augustinum alia atq; alia hæreticorum agmina sint insectata, notius est quam ut prolixa opus sit deductione. Mox è Pelagianorum legione Julianus adversus eum [quem postremo nominavimus loco] horrendis & gravissimis pugnavit convitiis, mox Secundinus Manichæus ambitionis notavit stigmate, Augustinum idcircò ad fidem catholicam accessisse dictitans, ut Episcopus fieret, mox acerbissimo scripto eundem de Arianorum grege aggressus est Comes Pascentius, atque inter alia hunc compellavit in modum: *Dignatio tua est sicut sitiens*

nimio calore accensus, si invenerit aquam cœnosam, & se inde ingurgitaverit; postea etiamsi limpidissimam & frigidam reperiens biberit, non satis proficere potest, quandoquidem cœno semel ejus cor & anima obruitur. Quid non mendacii adversus eundem fidei & pietatis sinceræ Doctorem excogitavit Petilianus Donatista, eo præsertim consilio ut populum DEI à fideli suo pastore averteret? *Presbyterum* (dicebat) *fuisse Manichæorum, esse Tertullum S. Pauli accusatorem, furem suorum verborum, habere Carneadis Academici damnabile ingenium, quod possit omnia incerta, & nigras nives cum sint albæ facere.* Ad quæ enormia opprobria Vir maximus respondit egregiè: *Si & ego Tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici essemus, ut ii qui nos legerent, alii detestatos abjicerent sana gravitate, alii suaviter malevola haurirent voluntate.* Sanè si idem animus cunctis semper insedisset Doctoribus christianis, si paria æquanimitatis documenta in scriptis suis cristicis ipsi Literatorum PRINCIPES dedissent, multò majorem apud Deum & bonos quosq; iniissent gratiam, nec propriæ minus privatæque, quam publicæ

Conf. epist. Aug. 176.

Confer. August. lib. 3. contra lit. Petil. c. 17. 18. 19.

eæ tranquillitati optimè consuluissent. Nonne probrosum valdè, quod Celsus apud Origenem Doctoribus christianis plusquam hostiles exprobrarit digladiationes? id verò non christianum sed plebeum, veroq; Philosopho indignum vitium, imò manifesti furoris indicium esse Origenes pronunciavit, nihilomin⁹ tamen nobilissima quædam inter Christianos ingenia isto furore ita sunt correpta & corrupta; ut [Ludovico Vive dicente] *melius latrones inter se quam scriptores christiani convenire videantur*. Nihil sine maledicentia vel dicere nonnulli possunt vel mandare chartis, nulloque artificio infrunitum coërcere calamum, immemores planè moniti illius saluberrimi, quod Magnus Chrysostomus hisce suggessit cedro dignissimis verbis: *Ne maledixeris, ne Te ipsum polluas; nec lutum contexueris cum luto & lateribus, sed coronas ex rosis & violis & floribus reliquis; nec stercus ore tuleris quemadmodum scarabæi, id enim faciunt qui maledicunt, ut qui ipsi fœtorem primi sentiant, - - omnes enim aversantur maledicum, ut illum qui lutum redoleat; ut hirudinem, quæ sanguine, scarabæum qui stercore, alienis malis aluntur.* O quam immensum hirudinum hujusmodi, & scarabæorum (si opus esset) numerum inire possemus, dareq; consignationem! IV.

Orig. in fin. lib. I. contra Celsum.

Ludov. Vives lib. 3. de tradendis discipl.

Chrysost. Homil. in Psal. 49. ad illud: Os tuum abundavit malitiâ.

Bartolus charact. lit. p. II. p. 223. seqq.

IV. Quis verò credat (ita appositè Bartolus, pronum literatorum ad obtrectandum aliis genium, insitamque ad id ingenio humano pravitatem delineaturus) *in famam garrire alienam tam dulce sapere, ut hoc semel experti, semper deinceps avidè repetant? Leo ungues cruentos si lambere cœperit, exinde perpetuò sanguinem esurit. Succis primoribus obtrectationis qui palatum & linguam semel imbuerunt, linguâ malint carere in posterum, quam dicteriis abstinere, nec prius ab iis desinunt, quam desinant vivere. Minuit illos non rarò senectus decrepita capite ac sensu, lingua aculeis ac punctionibus vix unquam; ut nunquam rubos veteres orbat suis spinis hyems, etsi frondibus exuat, & ornatu. Sunt isti ut plurimum acuti naturâ, sed mittendis solum in alios jaculis; nunquam melius loquuntur, quam cum pejus; nunquam luculentius quam dum urunt. Tota illorum industria in dictis & jocis mordacibus, quibus parandis ingenium non minori fatigant sollicitudine, quam orator græcus in efferenda litera caninâ. Audire istos Minippos, Zoilos & Momos in alieno ludentes corio musica*

fica instar est, (adeò lepidè id agunt) non qualem Pythagoras observarat in numeroso malleorum percussu, nam habent eorũ calami plus de vulture quam de cygno. Parte altera fundunt scribendo atramentum, alterâ toxicum, qui erat Demosthenis stylus: imò atramentum ipsum est toxicum, quod ea venenat nomina quæ scribit. Ex quo similiter ut ii qui veneno extingvuntur, nigra & livida in scriptis eorum apparent, infecta venenatis ipsorum obtrectationibus & dicteriis illa nomina. Ad hunc planè modum illustre BERNARDI Claravallensis nomen, olim * Berengarius quidã Scholasticus Abaelardique sectator extingvere, & nigra quadã lividaq; epistolâ (pro Abaelardo apologeticâ) conspurcare minimè dubitavit. Obstupui equidem steteruntque comæ, cum copiam ejus inter Abaelardi opera primò reperissem, & quantam infrunita maledicentia in maximos etiam Viros sibi arroget licentiam, ex eo specimine didicissem: Sperabamus (ita pessimus ille obtrectator non multum ab

 initio

* *Berengarii hujus Scholastici epist. contra Bernardum Clar. primum cum opp. Abaelardi prodiit Paris. 1616. legiturq; pag. 302. & seqq. cui, quod mireris mitissimus Bernardus ne verbulum quidem reposuit.*

initio ſcribebat, Bernardum ejusce criminis reum peracturus, cujus ipſe potius peſte laboraverat) in lingvæ tuæ arbitrio cœli ſitam clementiam, äëris intemperiem, ubertatem terræ, fructuum benedictionem, caput tuum nubes tangebat, & juxta vulgare proverbium rami tui umbras montium tranſcendebant - - Nunc proh dolor! patuit quod latebat, & colubri ſoporati tandem aculeos ſuſcitaſti. Omiſſis omnibus, Petrum Abaelardum quaſi ſignum ad ſagittam poſuiſti, in quem acerbitatis tuæ virus effunderes, quem de terra viventium tolleres, quem inter mortuos collocares. Corrogatis undecunque Epiſcopis, eum in Senonenſi Concilio hæreticum pronunciaſti, ab utero matris Eccleſiæ velut aborſum præcidiſti, in via Chriſti ambulantem, tanquam SICARIUS de occulto prodiens, tunica inconſutili ſpoliaſti. Concionabaris ad populum, ut orationem funderet ad DEUM pro eo; interius autem diſponebas eum proſcribendum ab Orbe chriſtiano - - Sic judicant verba luminis cæci

cæci, ſic Virum ſobrium damnant ebrii, ſic contra organum Trinitatis diſſerunt, calices facundi. Sic contra ſimplicem, diſputant cornuti. Sic ſanctum canes, ſic margaritas porci corrodunt. Sic ſal terræ infatuatur. Sic legis fiſtula obturatur. Concionatur ſapiens Vir, *qui tangit picem inquinabitur ab ea*; quod nos alio reddere poſſumus verſu: *Qui tangit vinum, inquinabitur ab eo.* Biberat Epiſcoporum ſobrietas ſangvinem uvæ meraciſſimum, cujus integritatem aqua non devirginaverat - - impleverant primates Orbis, philoſophi gutturis, dolia ſua vivido vino, cujus calor ita inceſſerat cerebris, ut in ſomni letargiam oculi omnium ſolverentur. Inter hæc ſonat lector, ſtertit auditor; alius cubito innititur, ut det oculis ſuis ſomnum. Alius ſuper molle cervical dormitionem palpebris ſuis molitur. Alius ſuper genua caput reclinans dormitat. Cum itaque lector in Petri (Abaelardi) libro aliquod reperiret ſpinetum, ſurdis inclamabat auribus Pontificum, DAMNATIS? Tunc quidam

vix ad extremam ſyllabam expergefacti, ſomnolentâ voce, capite pendulo, DAMNAMUS aiebant, alii verò damnantium tumultu excitati, decapitata prima ſyllaba, NAMUS inquiunt. Verè NATIS ſed natatio veſtra procella, natatio veſtra immerſio eſt. Sic milites dormientes teſtimonium perhibent, *quia nobis DORMIENTIBUS venerunt Apoſtoli & tulerunt corpus.* Qui vigilaverat in lege Domini die ac nocte, nunc damnatur à Sacerdotibus Bachi, ſic morbidus Medicum curat; ſic damnat naufragus in litore conſtitutum, ſic arguit innocentiam, qui ad furcas ducitur ſuſpendendus. Hæc & plura alia æque horriſona in Doctorem mellifluum, Conciliique Senonenſis Patres maledicta Berengarius ille evomuit, ac diabolica planè rabie agitatus, ſplendidū illud nomen dicteriorū ſuorum nebulis obfuſcare extingvereq; laboravit. Et quāvis zelo domus DEI abreptum ſe proteſtatus ſit verbis ſequentibus, eò quod lepra inſanæ doctrinæ macularit Eccleſiæ corpus, cui obviandum in ipſo ſtatim nequitiæ ſemine fuerit, ne latius vis veneni ſerperet; tantum abeſt tamen, ut hoc ipſo velamine pudenda maledicentiæ ſuæ obtexerit, ut potius eadē magis magis-

gisque omnium exposuerit obtutui. Ex eorum nimirum numero ille erat Berengarius, *quibus* (scitè dicente Bartolo) *insunt fulmina alios ignes trahentia*, in ore habentes epigraphorum veterum lingvam, quam Martialis definiverit lingvam malam. Ut autem tales (non pigebit porrò authori eruditissimo, de pudenda illa literatorum hominum labe egregiè disserenti patulas præbuisse aures) sunt luce hâc & vita inter homines indigni, ferinum quid animo premunt, dum amicorum quoque proculcant gratiam, ut scurrili dicterio plausum vilem, & susurrum emant: *Bartolus l. c. pag. 225.* *Mart. praef. l. 2. epigr.*

- - *Dummodo risum*
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcit amico. *Horat. 1. Sat. 4.*

Quo nomine Comicus rectè illos VULTURIOS dixerit:

Qui hostesné an cives comedant parvi pendunt.

Modo conceptum ridiculè dictum spuant, flocci habent mœrorem, quo torquendus est Vir bonus, in quem est jactatum. Unum ut bellè succedat quod ludunt (esto calvi poëtæ caput excerebret testudo, dum suis carnibus aquilam à quâ dejecta est satiet,) sic isti gaudent aliorum dolore; ignominia tument quam aliis inferunt; Bonarottæ artem æmulantur (si tamen is fuit) qui vivum hominem suffixit in crucem, ut expressius Christum pingeret morientem;

rientem; aut illud potius abortivum Neronem, qui Romam ſuccendit, ut ex patria miſerabiliter & crudeliter ardente, Trojæ canendæ exemplum ſumeret. Ah! nimium barbari acutorum riſuum aucupes! Experiuntur Japonii ſuos acinaces in cadaveribus damnatorum, & de lenta illa vel facili membrorum ſectione temperaturam chalybis æſtimant; vos inhumanius ſævitis, qui ludicræ gladiaturæ umbratili ſpecie, mucronem defigitis in famam alienam, haud minus illi mortiferum quam ferrum corpori, quod DUAS (inquit Vegetius) UNCIAS ADACTUM MORTALE EST. Scire tamen vos volo ſatyrarum patres & ſatyrarum artifices deformiores eſſe, quod ſemicapri; quam formoſos quod ſint ſemi-dei: nec tam ſimiliter ſales veſtri mordaces placent, quod acuti, quam diſplicent, quod malignum olent ac ſapiunt. Sunt hi demum ſupremi eruditionis veſtræ niſus? Sunt hæ divinæ cogitationes, quibus verſandis divina vobis à DEO data eſt mens? Excelſum, proh nefas! ab ortu ſortiti genium, facitis illum ex Rege tyrannum, & vitæ civilis carnificem ex conſervatore. Cadit in vos profectò illa in Perillum ab antiquo ſcriptore intorta exſecratio, quod fundendi æris in Heroum ſtatuas & deorum artem innoxiam, vertiſſet in tauri fabricam, in quo rei ardentes cruciatibus & mugitu ſaturarent crudelitatem Phalaridis. Horum porrò ſolet hoc

Veget. lib. I. c. 12.

Confer. Plinium l. 34. c. 8.

hoc esse supplicium ut diligantur à nemine, VITENTUR à plurimis, CUNCTIS ODIO SINT, & illam vultu gerant Nasuti Satyrici notam, in quem lusit epigramma:

Si meus ad Solem statuatur nasus, hianti
Ore bene ostendet dentibus, hora quota est.

Suum Diogenes, philosophiæ Cynicæ Princeps canis, seu palatium seu nidum habebat in dolio, versabat ipsemet hoc Cœlum, dignus sphærâ tam nobili motor. Ex hoc antro sciscitantibus reddebat oracula, vini magis quam veri odorem spirantia. Ex eodem suggestu aliorum mores studebat emendare, magno si hoc impetrasset miraculo, ut dolium homines redire in sese compelleret, quod solet extra se illos exturbare. Philosophantis verò qualiscunque foret & quanta doctrina, illum enim Plato *Socratem alterum vocabat, sed insanum*, quod tamen illo in dolio philosophiæ sinceræ vinum MORDACI ACETO perpetuæ obtrectationis & maledicentiæ misceret, pro discipulis habebat derisores, & totis Athenis pro cane rabioso habebatur. Hactenus ingeniosè ut solet & eleganter Bartolus.

V. Ex infinitis autem ac innumeris recentioribus MALEDICENTIÆ LITERARIÆ exemplis (quæ priscis illis duximus subjungenda) memorabile cumprimis est FRANCISCI ROBORTELLI Utinensis, quem [licet egregiè doctum] pudendo tamen isthoc stigma-

Jo. Imperial. in Muf. Hiftor. pag. 61.

ftigmate præ cæteris eruditis in Mufeo fuo Hiftorico Jo. Imperialis notavit: *Inerat in homine peracris obtrectandi libido, fummaq́; in doctos omnes iniquitas, quos cum pares ferre non poffet* (en fœtulentam maledicentiæ literariæ fcaturiginem!) *continuis profcindebat convitiis, eximio fcil. florens ingenio, fibique plus quam par effet indulgens, procaciori ftudio popularium affectabat obfequia. Hinc Sigonio femper infenfus, ut quem acerrimum fortitus erat æmulum industria, laboris, ingenii. Cum Alciato pariter, aliisq́; clariffimis ejus ævi luminibus internecinas propè fimultates exercuit. Quo factum, ut femel Venetiis Baptifta Egnatius, optimus ac doctiffimus Vir, crebris ab eo laceffitus injuriis, educto fenili gladiolo in eum impetum facere non dubitarit.* Maledico illi Francifco (Robortello fc.) alium jungamus Francifcum, nempe Rablæfium, ejufdem planè ingenii hominem, inque ridendis perftringendifque hominum actionibus femper occupatum. *Cum enim* (tefte Scævola Sammarthano) *pro ea quâ pollebat linguarum fcientia, multa graviter & eruditè fcribere potuiffet, Lucianum tamen æmulari*

Samm. Elog. p. 15.

maluit

maluit - - adeò ut Romam profectus & in Pauli III. conspectum venire jussus, ne ipsi quidem Pontifici Maximo pepercerit. Eâdem Maledicentiæ peste MARCELLUM MARCHESIUM ita correptum fuisse Janus Nicius Erythræ⁹ memorat, adeoque dicacem & virulentum extitisse, ut ab omnibus metueretur ,, quo etiam teste M. ANTONIUS MURETUS & Thomas Chorea Lusitanus Vir græcè latineque doctissimus frequentissimè inter se obtrectarunt, cum uterque humaniores literas doceret , sed majore Muretus theatro , plausuque. Alexandro Stufæ cum idem scriptor egregia multa laudeque dignissima tribuisset, eumque veluti hominem ingenio ad omnes liberales artes facto præditum, Juris insuper Civilis, Philosophiæ, rerumque divinarum scientia conspicuum mirificè celebrasset, pudendam tamen maledicentiæ dicam propterea duxit scribendam , quod in aliorum scriptis examinandis notandisque sæpenumero non tam Aristarchi partes gerere , quam alterius laudi gloriæque invidentis detrahentisque speciem præferre non dubitaverit, sed & in jaciendis mittendisque ridiculis vocibus nullam vel hominum vel temporum habuerit rationem. Quo etiam probro ante laudatus Sammarthanus notavit Ludovicum REGIUM , Virum aliàs singularis doctrinæ laude conspicuum, quod scil. valdè iniquum

Jan. Nicius Erythr. in Pinacoth. I. illustr. Vir. p. 123.

idem Pinac. I. p. 253.

idem Pinac. III. p. 87.

ab illo edita monumenta teſtantur. *Nimirum unicum hoc ſibi* (dicente nonnemine) *egregiumq́; ſi* DIS *placet munimentum adſtruxerat , nulli parcere poſſe , - - hâc arte facilè ſe aliquem futurum ſperabat.* *Sed non erat ſatis, notis ſuis, & iis qui in eadem regione vivebant oſtendere cerberεam malitiam , Orbi omni & præcipuè ſuis , quibus olim omnia debere non poterat diffiteri, inſultare, ita ut* DEO *ſimul parcere non poſſet, animum induxit, & dum ſalvam maledicendi artem, quam penitus pectore perceperat haberet, nihil non ſibi polliceri etiam ex tam infèlicibus principiis cœpit.* Sanè ſi quis librum quem Scaligeri hypobolimæi titulo in lucem emiſit, inſpiciat, cornu omnigenæ maledicentiæ copiâ refertiſſimum facilè reperiet. Bone DEUS! qui ſcommatum cumuli , quot ſarcaſmorum aculei , quæ detractionum mendaciorumque portenta operis illius maledici fetulentam ſentinam impleverunt ! Optandum autem eſſent, ut inſipidum maledicentiæ ſalem neutiquam linxiſſet ii, quos probris horrendis inceſſere datâ quaſi opera Scioppius inſtituit. Maximus ille & toto Orbe celeberrimus Vir Josephus Scaliger plurima in ſcriptis ſuis mordacitatis literariæ exempla dedit & documenta ; alium [nempe Gilb. Genebrardum] beſtiam

Tarr. Hebius de vita & mor. G. Sciop. pag. 45.

bestiam insolentissimam nominans; alium [Christophorum scil. Clavium Mathematicum non ignobilem] hominem luteum, tyronem, atque sarmentitii libelli authorem vocans; nec temperatius de quibusdam ævi sui doctissimis hominibus, ipsisque fidei & professionis suæ sociis, cumprimis Davide Pareo & Thoma Lydiato statuens, adversus quos fortissimum contradictionis arietem admovere summo laboravit opere. Quo ipso loliginis succo Vir alius de literaria re meritissimus suam adversus Philippum Pareum scriptionem ita replevit, ut plusquam centum & triginta sex convicia (nec qualiacunque sed horrida, & fellita nimis) inibi sint deprehensa: Etenim *insanire adversarium* pronunciavit, *gannire, rudere, obbrutescere, delirare, fanaticum ac lymphaticum agere, vocans insuper magisterulum, scrofipascum, Arcadicum germen, Asinum Cumanum, mulum, Verrem, verucem, arietem, hircum, noctuam, phreneticum, stolidissimum, stercoreumque grammaticalis cellæ inquilinum*, aliisque plurimis probris eundem afficere non dubitavit. Consimilis planè maledicentiæ dehonestamentis scriptiones suas (aliàs egregias doctissimasq;) CLAUDIUM S. fœdasse, admirandasq; animi sui dotes corrupisse notius est, quā ut prolixâ opus sit cōmemoratione. Tot illum tanta-

Author animadvers. in quadam capita specim. Salm. ed. Haga 1657.

que

quæ dediſſe maledicentiæ animique ægri & impotentis documenta quidam notavit, ut vel ipſi amici teſtati ſint, eum vivos & mortuos notos & ignotos, imò abſque ullo diſcrimine amicos & inimicos pari tractaſſe feritate, adverſariis autem ſuis ita utplurimum reſpondiſſe, ut maledictis certarit convitiiſque plurimis, argumentorum pondere nullo. *Quandoquidem enim* (pergit ille) *in literis, omniq; adeò ut putabat eruditionis genere jam regnum occupaſſet, in ejus quoq; poſſeſſione tueri ſe debere credidit vel maledictis convitiis minisq; quæ homini formidoloſo metum incutiant.* Ut proin haud abs re ad ſcripta ſeculo noſtro evulgata accomodari poſſit quod in Talmude tract. de Sabb. fol. 32. col. 1. legitur: אדם יוצא לשוק יהי דומה לעיניו כמי שנמסר לסרדיוס: h. e. *Homo prodiens in publicum eſt in oculis ſuis quaſi tradendus lictori*; quandoquidem ut gloſſator ibi habet R. Salomon. : *Reperiuntur illic CONTENTIONES, hominesq; litigioſi tam ex Gentilibus quam ISRAELITIS.* Accidit ſanè idipſum (Viro quodam egregio notante) exulcerato hoc ſeculo quamplurimis, qui ſcribendo prodeunt in publicum, ut hoc ipſo publicæ ſe exponant aleæ, nihilque habeant aliud quod expectent, quam non neceſſa-

rias disputationes, lites, controversias; idque non solum à כותירים professis hostibus & adversariis, sed & ab ישראלים ISRAELITIS, h.e. AMICIS, ac ipsis fidei professionisq; ejusdē sociis. Licet verò mordacitas hujusmodi lenem Christi ejusque discipulorum spiritum neutiquam redoleat, plurimis tamen ævi nostri scriptoribus ea adeò est familiaris, ut multorum opera non scriptiones sed grandines probrorum, & imbres convitiorum esse videantur. Quid carmine illo acerbius, quod Poëtarum ævi nostri celeberrimus Caspar Barlæus, in Theologum quendam Daventriensem scripsit, cum illum (edito de DEO Synagogæ libello) in hæreseos cujusdam, atque cum Gente Ebræa collusionis suspicionem traxisset:

Inique Censor, Ordinis Tui struma,
Pirata famæ nominisq; Barlæi,
Adulterator impudens tabellarum;
Quid immerentis verba lancinas Vatis?
Mendacioq; vindicas Redemptorem,
Et scelere Christi grande nomen incestas!
Patrocinari veritatis authori
Si lingva gestit, veritatis ante aras.
Dic, teste Cælo vera, quid tenebroso,
Calumniator prave delites antro?
Innoxioq; flore virus exsugis,
Araneorum more toxico pastus?

Tuus

Tuus libellus fetulenta sentina est,
Cloaca falsi, consequentiæ probrum,
In quo Palæmon verba, putidos sensus
Scortilla veri, subdolosq́; sermones
Stagira carpit. Cætera reticemus.

Ex eodem fonte etiam manarunt anagrammata literatorum maledica, quibus nonnulli singularis acerbitatis suæ documenta dederunt, in scriptores claros arrepta ex nominibus ipsorum occasione virulenter satis invehentes. Cujusmodi maledicentiæ specimen Jonium quendam exhibuisse, atque mordaci quodam anagrammate JOHANNEM EUSEBIUM NIEREMBERGIUM turpiter exagitasse, Raynaudus memoravit, insulsum vocans illud Jonii inventum maledicum, ineptum & mancum, quod erat tale: *Rayn, in Apopompeo, p. 304.*

Joannes Eusebius Nierembergius,

Anagr.

Vivens æger sibi; nobis amens.

Cujus anagrammatis authorem, insigne & maledicentiæ & supinitatis suæ specimen dedisse monuit Raynaudus, eo quod quadruplicem licentiam adhibuerit, tres literas abundantes omiserit, & quartam mutarit in A, ut vocem MENS in AMENS commutaret. At verò ipse Raynaudus vix maledicentiæ notam effugere potuit, quod illatam socio professionis

suæ Nierembergio contumeliam, acerbiori longè anagrammate vindicarit, & contra pietatis christianæ leges injuriam duxerit retaliandam, h. m.

Pater Carolus Jonius,

Anagramma:

Tu orci lues, par asino.

Non est profectò hominis erecti nedum DEO sacri luto ejusmodi anagramatico conspergere proximos, non christiani sinceri est, suismet ita maledicere adversariis. Magis verò detestanda monstra illi pariunt, qui cum ignorantia recti, invidia suspicioneque coeuntes, anonymi in alios pus suum evomere, chartisque satyricis, neq; nomen authoris nec typographi præ se ferentibus optimos etiam impetere inducunt in animum, occultè scil. nocere & lædere non dubitantes, ut inter atrocis imposturæ, & audacis impudentiæ parietes furtim elabantur.

VI. Plura recentioraque Maledicentiæ literariæ exempla & documenta proferre supersedeo, utpote & vulgatoria & tristiora; *Vivimus eheu* (juxta pientissimi cujusdam ICti querelam) *nos in seculo adeò contentioso, ut ferè nihil tam pium, tam æquum & tam clarum dici aut scribi possit, quod non illicò à Zoilis, Momis, rigidisq; Aristarchis in sinistrum sensum rapi, carpi, perstringi, crassiq; erroris damnari soleat. Admodum*

Ahasv. Fritsch. in paran. de cavenda convitiandi libidine §. 1.

pauca

pauca sunt (teste Seneca) sine adversario. Nullus Scriptorum tam cautus esse potest, ut si inter æmulos loquatur, nullum verbum ejus incurrat aliquam quæstionem. Vix equidem tristius quicquã Viro & scriptori erudito accidere potest, magisque lugubre, quam incurrere in hominem aut nimis malum, aut minus amicum, cum qui inimicus sit, etiam in scirpo nodum quærat, nec *veritatem* (dicente Chrysostomo) *judicent ii, qui disceptantes habent inimicitias.* Quid frequentius hodiè eruditis quibusdam maleferiatis, quid item pestilentius, quam cœno quosvis conspergere obvios, & maledicere prætereuntibus? sæpè qui scholas suas domi perdiderunt, hoc agere solent, ut per quæsitas aliorum (& meliorum quidem) criminationes alibi quærant novas. Quam multi in lucem publicam emittunt fœtus ingenii sarcasmis horrendis dicteriisque abominandis maculatos, maledictis suis, conviitiis, minisque atrocissimis [ut paulo ante de S. nonnemo dixerat] formidolosis metum ingentem incutere laborantes. Non inscitè doctissimus Vossius, ex quorundam sententia, omnium facultatum Doctores & Professores in tria genera dispescendos esse pronunciavit: APES nimirum, FUCOS & CRA-

Chrysostomus Hom 4. in Epist. ad Eph.

G. Joh. Vossius de cognit. sui pag. 29.

& CRABRONES; Qui Apum habeant genium, eos in melle fragranti conficiendo, sive aureis ingenij doctrinæque monumentis parandis unicè occupari; FUCOS verò favore duntaxat Magnatum assumtos, de suis potius commodis & emolumentis, quam studiorum incrementis esse sollicitos: Ast CRABRONES invidiâ & maledictis semper præstantium Doctorum Collegarumque lacerare famam, ut eâ ratione ipsi videantur quod non sunt, animæ verò illæ præclaræ quod sunt, minimè appareant. Plinius refert Camelum aliter non gaudere potu, nisi prius aquâ proculcatione obturbatâ, eò quod animal superbum suam sibi deformitatem ab aqua pellucida monstrari non ferat. Idem prorsus quod Cameli, agere videntur literati illi maledici, proborum famam nullis non obturbantes detractionibus, ne soli deformes esse putentur; sanctissimum scil. illis est decretum Ephesinum: *Nullus inter nos excellens esto*! Atque ut minus inepti minusque culpabiles videantur homines nauci, doctioribus & melioribus pessimè exagitatis insultant, tumq; demum se pulchros existimant, cum cæteros maculatos, probrisque fœdatos omnium irrisioni exposuerint. Neque hic solum finis scopusque maledicorum literatorum est palmarius, ad quem pudendis suis atræque loliginis succo tinctis monumentis collimant, sed etiam ut per aliorum depres-
sionem

ſionem ad laudis gloriæque perennis faſtigium perveniant. Putida igitur mali iſtius literarii ſcaturigo eſt faſtus immodicus, vanaque ſui oſtentatio, ſummæ animi levitati, (quâ aliis placere ſtudent eruditi obtrectatores,) nec non pudendæ æmulationi, mentiſque alienationi (dum animum vindictæ appetentem illi ſatiare deſiderant) ſociata. Quibus ſi longa acceſſerit conſuetudo, tam malo pravoque maledicendi habitu animus docti litigatoris corrumpetur, ut in alteram propemodum ejus naturam ille tranſiiſſe videatur, taliſque inſtar Salamandræ cujuſdam nonniſi in igne rixarum & litium ſua quærat nutrimenta. Cum Zoilum (hominem & malè loquendi & ſcribendi ſtudioſiſſimum,) olim quidam interrogaret, quamobrem malediceret omnibus, adeoque in Homerum etiam, Platonem, alioſque Viros celebres ſtylum tanta ſtringeret vehementia? *Quoniam* (reſpondit) *malefacere cum velim, non poſſum.* Eadem profectò mens, idem animus plurimis inſidet docti Orbis incolis, eò ſc. laborantibus ſtrenuè, ut quibus re aut manu nocere vix poſſunt, eos lingua ſaltim, vel calamo felle tincto feriant. Quod Bonaſus animal, id literatus eſt maledicus: ille enim ſi Plinio fides, quoniam cornibus implexis lædere non valet, fimum aufugiens reddit, cujus contactu inſequentes maculentur; ita ille dum coram non audet, ſparſis à tergo probris proximum contaminat.

Ælian. lib. II. Variar. hiſt. cap. 10.

minat. Gloriabatur in fabulis quidam canis, quod ipſe morderet neminem; non ſum inquiens ut cæteri, qui lacerant etiam innoxios, ſed reponebat canis alius: *Os ejus inſpicite,* mox patebit quare mordeat neminem; *dentibus quippe carebat beſtia, vel quia nondum enati, vel quia excuſſi fuerant.* Jactent ſtultè nonnulli literiones, quod aliis non noceant, damnent dentatos, ipſi non nocuerunt, quia dentibus deſtituti non potuerunt. Neque verò malitioſa ſolùm, verum etiam ingenioſa ut plurimum eſt, veloque candoris & integritatis ſingularis obnupta improba illa famæ alienæ ſpoliatrix, veſtemque ita interdum variare novit, ut probè internoſci nequeat. Etenim qui detracturus eſt alteri, [monente & obſervante nonnemine] ſub initium ſermonis vultum ad omnem gravitatem & modeſtiam ſermonis componit, oculos humi dejicit, gemitus edit, voce lenta ſeriaque per ambages & anfractus incipit nocituram evolvere ſeriem, tortuoſa circuitione venena jaculaturus, utque facilior ſit verbis fides, prius ſubinde laudat, quo efficacius vituperet, claudens narrationem commiſerationibus veſtitam. Nequè nova hæc ars, ſed perantiqua eſt, ipſoque diabolo inventore gaudens, quâ non Gentilium ſolum pſeudoſophi, verum chriſtianorum quoque Doctorum plurimi olim ita fuêre faſcinati,

Drexel. in Orb. Phaet. cap. XV. §. 2.

ti, ut alienorum pectorum virtutes sæpè improbis ejusmodi adulterinisque coloribus duxerint dehonestandas. *Dum nimirum alii* (ita Bernardus de peste illa literaria eleganter disseruit) *nudè quidem atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomunt detractionis; alii autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria* (en clarissima pudendæ illius versutiæ, Bernardi ævo regnantis vestigia!) *sicq; quâdam cum gravitate & tarditate vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quantò creditur, ab his qui audiunt, corde invito & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri. Doleo* (*inquit*) *vehementer pro eo, quod diligo eum satis; & alius: Mihi quidem ait benè compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico: reverà ita est.*

Bernard⁹ Serm. XXIV. in Cant. circa med.

VII. Quo insuper majoris apud alios est authoritatis malignus ejusmodi detractor, eò

nocentior utplurimum, atq; virulentior est sermo ore illius egressus: Verè juxta nobile Salomonis effatum *in labiis ejus ignis ardescit*, qui cum præfixas metas transiliens foras erumpit, hinc inde noxio furore ita grassatur, ut non sine gravi quâdam strage edita tandem aliquando extinguatur. Non dubitat literator talis Viros in omni etiam doctrinarum genere eximios taxare ut cœcos, simpliciores, atque imperitiæ non ferendæ notare stigmate, utque rudis stultique popelli aucupetur plausum, & ab ignaris Alcidas ac Samson putetur, in mortuis leonibus depilandis totus est occupatus. Quid quod aliorum [quos reprehendit] errorī sæpe adscribere præsumat, quod suæ potius ignorantiæ imputandum fuisset, ut proin non immeritò in illum cadere posset, quod in Julianum Apostatam sancti olim Antistites retorsêre, cùm sancti Apollinaris apologeticum lectum sprevisset: ***Legisti, sed non intellexisti, idcircò neglexisti, si intellexisses minimè improbasses.*** Et sicuti nefaria isthæc maledicendi libido [quodam è veteribus monente,] ***verè irrequietum est dæmonium***, in quosvis acutæ linguæ vel venenati calami gladiū stringens; ita malëferiata ejus indoles inde potissimum cognoscitur, quod Viris etiam optimis probri loco ea frequenter ducat, quæ summoperè laudanda in iis atque deprædicanda fuissent,

Antioch. hom. 29. Detract.

ſent,ad priſcorum ſcil. hypocrytarum phariſaicorum exemplum,qui Chriſti ſanctiſſima etiam reprehendere non dubitarunt inſtituta, ſcil. quod publicanorum ſocietatem non aſpernaretur, quod ſe tangi pateretur à malæ notæ hominibus,quodque Sabbatho ægris impertiretur ſanitatem. Quemadmodum nonnullorum malignitas olim eo proceſſit, ut Magnum Baſilium [Nazianzeno teſte] etiam de rebus perquam glorioſis & honorificis accuſare non dubitaverit,utpote quod Ducem ſe Virorum quorundam piorum conſtituiſſet, qui ſoli DEO ſervire decreviſſent, quod modeſtè incederet, parcè comederet, pièq; converſaretur; indeq; clariſſimè [Nyſſeno notante] patuit, nullã eſſe tam nobilem actionem, nullam tam præclaram & inculpatam vitæ conſuetudinem, quam cœca malitia, & fœda calumnia, & livens invidia diro ac furialis pectoris ſui veneno non tingere atque contaminare conetur. Tantum verò abeſt ut ad præfixam illa malitia ſemper pertingat metam,ut potius majorem accuſato afferat gloriam, & illuſtriorem reo conferat atq; conciliet exiſtimationem. Nimirum ut præclarè quondã dixit profundus ille chriſtiani nominis propugnator Tertullianus de juratis Religionis veræ hoſtibus; *quod cœcitate interdum im vingant in ſuffragium* facientes ſcil. quod cœci ſolent,qui ſæpè cum in cumulum luti impingere

Nazianzen. in vita Basil. Mag. orat. XX.

gere putent, in acervum tritici incidunt. Non secus gentiles illi maledici [observante Tertulliano] faciebant, optimos quosque de Christianæ fidei suscepta professione redarguentes, eoque nomine plurimùm eos commendantes, quo illos summoperè criminari intendebant; Sic & detractorum plurimi, bonos eo ipso majorem in modum illustrant, quo obscurare student vehementius, illatâ injuriâ & calumniâ in singulare encomium mirâ metamorphosi conversâ; quos reddere lutulentos putabant, eos magis luculentos reddunt, atque meditati probri loco, ampliorem iisdem gloriam inviti ac indignabundi conciliant. *Cum audio Valentis Cocum* (ita notanter ingeniosiss. characterum liter. author) *Demosthenem, velut dictandis condimentis evasisset doctissimus, Basilii M. Theologiã notare quasi & insulsam, & sapientiæ sapore vacuam: Cum hypodidascalus Joh. Ludovicus Divum Augustinum accusat inscitiæ & docere illum aggreditur dialecticas argumentorum formas, magnumque illum Archimedem, totum ex ingenio & mente, qui adversus DEI & fidei hostes quot argumenta tot fulmina condidit - - videre mihi videor exeuntes de cavernis mures; & paleis hastatos, in Leones*

Dan. Bart. charact. p. 238.

nes impetum facientes; ranas aquam stagni Dianæ turbare, ipsamque adeò si possint, undis absorbere molientes DEAM; rudentes asinos ut in fugam Gigantes agant: Hos inquam Aristarchos dum cerno in pungendis, delendis, castigandis Virorum illustrium scriptionib⁹ occupatos, recurrit animo imprudentissimus asinus, qui ore spinosis & carduis assueto, ausus est totam Homeri vorare Iliadem, eò Trojæ majori vel pudore, vel infortunio, quo fuerat olim honoratius illam ab equo Græcorum perire, quam tunc ab asino.

VIII At verò si intimius investigandum, quid causæ sit, quod tam facilè à se ipsis deflectant ERUDITI MALEDICI, imò quod tam impotentes sæpè fiant in cohibendis animi sui perturbationibus, mox occurrent tres omnium gravissimæ infirmitates, quibus humanam naturam apprimè laborare Plato quondam observavit, nimirum modica in homine [erudito] sui ipsius notitia, nimia cum corpore cognatio, multiformis denique ejusdem animi distractio, jugi perversorum affectuum conflictatione prosata; quibus si mens obcæcata, inque propria caligine fatiscens accedat, homo furente nimis perturbatione ad tantam sui impotentiam propellitur, ut è statu rationis propemodum in truculentarum belluarum statum

Plato in Phædone.

Aristot. Ethic. lib. 3. cap. 10.

ſtatum detrudatur, quo reſpexit Ariſtoteles in Ethicis, ubi hujuſmodi animi motus FERINOS appellavit, ipſo præeunte Platone, docenteque, homines maximè cum feris convenire cum IRA ferveſcant, nullumque eſſe ſceleris genus, in quod per iram & efferveſcentiam homo non abripiatur, immedicabile ferè hoc malum eſſe, quippe quod hominem totum inficiat, atque graviſſimum dolorem tormentumque concitet in animo. A quâ Platonicorum opinione neutiquam aberrans Plutarchus, in eo libro, quo maledicorum Epicuræorum mores exagitavit, graves adeò animorum motus ex ſola corporis conſuetudine transſcribi voluit in animas, quæ à ratione veræ virtutis ſæpè elongentur, atque degenerent penitus, cui malo plerunque ſtupor accedat immanis, quo occupati plurimi, ad ſua contemplanda prorſus hebeſcant, in alienis verò tantum ſint perſpicaces, adeoque nullam non maledicendi atque ſiniſtrè de aliis loquendi ſeu judicandi arripiant occaſionem.

IX. Quandoquidem verò graviſſimum hunc ANIMI morbum eruditorum plurimi SCRIPTIS adeò mordacibus prodere ſoleant, ut ſæpè ejuſdem Muſæ conſecraneis, ipſiſque fidei & religionis ſuæ ſociis velut ex plauſtro quodam turpiter convitientur, aliorumque nævis etiam levioribus, veluti horrendis ſceleribus inſultent, atque de opinione controverſa

versa tanquam de existimatione aut salute, quin & de verbi cujusdam aut ritus antiqui interpretatione veluti pro aris & focis digladientur; hinc non indignandum modo, sed summoperè etiam deplorandum est, quod pestilenti hoc sidere ipsi nonnunquam afflentur scientiarum & disciplinarum Antistites. *Nonne* D. A-
hoc nostro cumprimis omnium perversissimo hasv.
seculo (laudato ICto præclarè enunciante) Fritsch.
communissimum malum est, aliorum scripta in cit.
dente Theonino rodere, adversus ea sæpè paran.
sine mente & fronte debacchari, non tantum §. 2.
res arguere, sed syllabas, & verborum ventilare cortices, Grammaticale bellum super eis excitare, litem alteri ob exiguum errorem contentiosè movere, prava libidine ingentia convitiorum plaustra in alium convehere, personalia (ut vocant) tractare, famam hominis arrodere, variisque conspurcare contumeliis; opinionis adversæ asseclam, stultum, bardum, bliteum, stupidum, imperitum, imò furciferum, asinum, canem, bovem &c. dicere, eumq; impietatis, inscitiæ, falsitatis, mendacii, &c accusare, licet non rarò lis sit de lana caprina, & de tribus Postumi capellis; quæ tamen nonnunquam

quam adeo acris esse solet, quasi totius Reip. aut Ecclesiæ Christianæ salus ab illius decisione dependeret. Hactenus Vir egregius, cui jure meritissimo displicent illa virulenta valdè doctorum hominum scripta, quæ summo cum bonorum quorundam, imò ipsorummet authorum suorum dedecore prodeunt in publicum, ad inquietandos infirmorum animos, & ad exasperanda partium certamina.

X. Nihil equidem proclivius, quam ut ipsa Religionis ac fidei dissidia in amarulentissima rixarum & conviciorum spicula degenerent. Publicæ equidem quietis & tranquillitatis interesset, effrenem adeò intemperantiam, & quorundam maleferiatorum ingeniorum pruriginem gravibus reprimere decretis, ne si remissius agatur, impunèque liceat scommatibus ac dicteriis bonorum allatrare famam, offensionesque privatas sub zeli etiam religiosi schemate ulcisci, effrenis licentia ac discordes animorum motus ita tandem prævaleant, ut iis moderandis vix ulla fortiora consilia sufficere valeant. Tradunt * Ebræorum Magistri *satius esse ut homo seipsum conjiciat in fornacem ardentem, quam ut socium publicè aliquâ afficiat ignominiâ; Nimirum quia alios*

* *In Berachot fol. 43. b. Ketubot fol. 67. b. & Bava Mezia fol. 59. a. Adde sis Pirke Avot cap. 3. & Juchasin pag. 54.*

alios confundens cædem quasi committat, ac ea propter æternis olim torquendus sit gehennæ cruciatibus, ideò consultius longè esse temporariis quam æternis sese addicere suppliciis. Nec minus egregiè Author Ez Hechajim pronunciavit, *eum qui sibi honorem ex ignominia alterius quærat, exsortem esse æternæ vitæ.* Quâ de oppidò parum solliciti illi esse videntur scriptores Christiani, qui ad alios commaculandos pretio quasi aut ære conducti, nec alia re magis quam scribendi acerbitate famosi [aut fumosi potius] deprehenduntur. Sanè qui in refutandis adversariis rem suam agere contumeliis non verentur, leniendi essent memorabili Origenis allocutione ad Celsum contumeliosum illum Epicuræum: *Maledicta convitiaque jaculari non est disputatoris, sed plebeum & indignum Philosopho vitium, ipsiusque indicium furoris, cum quilibet potius deberet rem propositam examinare candidè, & quantum fieri potest nihil alienum ab ea dicere.* Nec abs re bonorum Virorum vituperia omnes illi incurrunt, qui causam optimam, ipsamque religionis veræ defensionem ut plurimum agere conviciis, atque fidei adversariis per opprobrium affingere non dubitant talia, quæ nunquam iisdē venere in mentem. Displicent equidem Deo

Apud D. Wagenseil. in notis ad librū Mischn. de uxore adult. p. 205.

 men-

mendacia, etiam contra ipsos veritatis hostes prolata, nec falsis testimoniis eget Sacrosancta christianorum religio, quocunque tandem fine illa fuerint divulgata, tantumque abest ut iisdem juvetur orthodoxa religio, ut potius ejus hostes, petiti convitiis, ex insanis reddantur insaniores, & ex argumentis de causa ipsâ plerunque judicent, summo veritatis præjudicio. Meritò hinc Vir nostro ævo doctissimus reprehendit Christianum Gersonem, quod Rabbinos quosdam luxuriæ, vitæque dissolutioris accusarit, qui tamen satis laudabiliter honesteque vitam suam transegissent; quinimo ad lædendos omniumque odiis exponendos illos Ebræorum magistros locum quendam Talmudicum temerare turpiter corrumpereque non dubitaverit, memorans scil. R. Chaninam & R. Oschajam vel ipsis Doctoribus Thalmudicis testantibus veneficos extitisse, & cum sutores fuerint, eo fine in lupanari semper degisse, ut eo majorem cum meretricibus, occasione opificii inire possint familiaritatem: *Von R. Chanina* (ita ille sermone ait vernaculo) *Und R. Oschaja zeuget der Thalmud, dass sie nicht allein viel Zaubereyen mit dem Schemhamphorasch getrieben haben, sondern dievveil sie Schuster ihres Handvvercks vvaren, vvohnten sie im Hurenhause, und machten den Huren ihre Schue und Stifel, und zogen*

D. Jo. Christ. Wagenseilius l.c. de uxore adult. fol. 598.

Gerson lib. de Rabbin. vita scãdal. & finali desperat. p. II. c. 17.

gen sie ihnen auch an. Quod si verò ipse Gemaræ textus inspiciatur, liquidò constabit, rem longè aliter se habuisse, eosque Rabbinos egregia potius continentiæ atque castitatis dedisse documenta; *Scilicet hi* (ita Thalmudica verba à Gersone corrupta, inque alium prorsus detorta sensum latinè sonant) *sutoriam artem exercebant in Judæa, habitabant in platea scortorum, faciebant meretricibus calceos, eosq; allatos pedibus illarum aptarunt, neq; tamen unquam OCULOS SUSTULERE ut ipsas intuerentur.* Minimè equidem tale quid facere Gerson debuisset, ne odio Ebræorum temerando veritatem, magnum conversioni ipsorum poneret offendiculum. Uti quisque bonus esse debet, ita bonâ fide cum ipsis etiam agat religionis veræ hostibus, nec rectè dicta factaque, in deteriorem rapiat sententiam. Utinam omnes sequerentur saluberrimum Imp. Justiniani consilium, cunctis causarum patronis *l. quisquis 6. §. 1. Cod. de postulando suppeditatum*, quod tale: *In licentiam convitiandi & maledicendi temeritatem ne prorumpant; agant quod causa desiderat, temperent sese ab injuria, nec probris sed ratione putent esse certandum.* Hoc inquam præclaro consilio observato nullum veritati adferretur præjudicium, nec DEUS offendetur

Thalm. in Pesachim fol. 113.

tur, nec dilectionis christianæ lex violabitur, neque lædetur conscientia, nec scandalum in Ecclesia aut Republica literaria excitabitur, nec vinculum pacis & concordiæ inter eruditos disrumpetur, nec laude gloriaque sperata Scriptores ipsi facilè destituentur. Non displicuissent equidem Eruditorum plurimi, Viris & doctrinâ & virtute illustribus, si quantum græcis latinisque literis & disciplinis variis profecerunt, tantū operæ & humanitati moderationique christianæ impendissent, neque sibimetipsis tantum arrogassent, ut spreto omni bonorum consilio dicacissima obtrectatione nullos non duxissent lacerandos, inde tam doctorum quam imperitorum in se odium concitantes, gravissimisque turbis ac dissidiis subministrantes occasionem. Videntur profectò aliqui in scriptionibus suis perpetuò Herculi litare Lindio, cui [ut est apud Origenem] sacra fiebant non εὐφημίᾳ [ut græci appellant] sed execrationibus maledictis atque conviciis; & habebantur sacra illa pro violatis, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui verbum bonum excidisset, cujusmodi sacra non sacra sed sacrilega potius ii obire videntur, quibus non nisi aspera scribendo excidunt verba, quibusque sæpè accidit, quod justo DEI judicio cuidam malæ mentis homini contigisse Petrus Damianus tradidit, perhibens eum fel cum anima emisisse, atque in feretro

Orig. lib. 7. contra Cels. conf. Lactant. lib. 1. Instit. c. 21.

Petr. Damianus lib. VI. epist. 32.

tro quoque jacentem fel ex ore effudisse, ita & aliquos etiam morti proximos nil nisi fellitum & amarulentum promsisse emisisseque, tristis experientia nostro quoq; ævo docuit, nimirum maledicis quibusdam literatis mortem obtigisse vitâ (quam egêre turbulentissimè) dignissimam, atque plenissimam odii & obtrectationis. * Non equidem hoc est lingvam & calamum (uti Nazianzenus in Monodia de S. Basilio ajebat) ex spiritus pyxide movere, sed spiritum potius virulentum pectore abditum efflare per calamum, eoque in ignem malevolentiæ internæ velut intincto, turpissimum sibimetipsi inurere probrum, maximè si quis cum doctiore & illustriore commissus, vanaque scientiæ persvasione inflatus, ultrò pudendum maledicentiæ appetat certamen, & procaci adulatorum incitetur plausu. *Laudantur tunc quidem,* (scitè ait Mamertus) *falsoq́; laudantur, & credunt; sed mentis tunc sanitas maximè periclitatur. Accendit hoc etiam lacessendi intentionem, quam animi crimen excipit ac pœna. Nam si quid ab his quos iniquo lacessunt odio ad utilitatem publicam veri prodatur, DIVERSUM protinus adstruunt etsi idem sentiant. Ac sic* *Mamertus in præf. lib. I. de Anim.*

* *Id ipsum in Salmasio jam morituro patuisse author animadvers. Anti-Salmas. Hagæ 1657. editarum memoravit.*

sic inexhausto firmatoq; odio, cum his quos sibi odisse institutum est, nequaquam metuunt VERITATIS FECISSE JACTURAM. En pestilentem amarissimumque hujusmodi altercationum fructum, en pudendum genitricis pessimæ (maledicentiæ scil. literariæ) fœtum!

XI. Quid igitur? an nefas insolentem quorundam retundere inscitiam? An indigna homine piè literato concertatio quælibet? Num ipsa veritatis tuitio illi negligenda? Minimè: Diximus alibi, causæ potissimum spectandam esse rationem, utpote quæ styli amarulentiam sæpè quodam honestatis velo exornare, & duriora verba in nimis malos fidei & pietatis christianæ impugnatores enunciata & exarata nonnunquam excusare queat. Temperatissimi & mitissimi erant prisci illi Sacræ Aletheæ vindices, quos Patres nuncupamus, qui ipsi tamen ad comprimendum hostium Ecclesiæ furorem, illustrandamque orthodoxæ fidei puritatem, vel etiam respondendo fatuo secundum stultitiam suam, satis aculeatis asperisque usi sunt phrasibus. Hanc ob causam, cum Hieronymus à Ruffino aliisque maledicus dictus fuisset, & detractor, ac qui in omnes genuinum infigeret, neminem se hoc ipso violasse respondit, siquidem argumenti pariter ac adversarii malignitas aspera quædam verba sibi extor-

Confer. Hieron. Apol lib. 1. sub fin. n. 41.

extorsisset; *Hoc obsecro*, [inquit] *ut si mordacius quippiam scripsero, non tam meæ putetis austeritatis esse, quam morbi, putridæ carnes ferro curantur, & cauterio, venena serpentina pelluntur antidoto.* Et paulò post, commemoratis quibusdam Sanctorum exemplis qui justa asperitate Divini nominis hostes offenderint, subdit sequentia: *Unde non mirum est; si & nos ipsi vitiis detrahentes, offendamus plurimos. Disposui nasum secare fœtentem, timeat qui strumosus est.* Quemadmodum alibi quoque plura in hanc rem contra eum congessit, à quo SATYRICUS IN PROSA SCRIPTOR dictus fuerat, clavam etiam adversariis tanquam monstris horrendis intentans. Quantumvis insignis ille, [ex nominis sui præsagio] Orbis Christiani pacificator IRENÆUS, operam ac studium singulare in compescendis sedandisque motibus ecclesiasticis, cumprimis in tollendo schismate ob celebrationem paschatis concitato collocaverit, pro veritate tamen orthodoxæ fidei adversus omnis generis hæreses earumque propugnatores strenuè decertavit, nefariis illorum conatibus, piperatis nonnunquam occurrens verbis, atque scriptis aculeatis illos retundens; maximè autem Valentini & Marcionis occultum latensqne venenum (rogatus à Turibio Præsule Toletano ardentis fidei Viro) in apertum

Confer præf. lib. 3. in Ierem.

tum ita produxit, ac profligavit, ut eo ipso egregia doctrinæ pestiferæ subvertendæ arma ordinis sui hominibus subministrarit, gloriamque in Ecclesia perennem sit consecutus. Eodem planè asserendæ & vindicandæ veritatis studio quondam conspicuus Epiphanius Cypri Salaminæ Episcopus, in præfatione operis sui contra octoginta hæreses conscripti, (quod Panarium sive arculam aut capsulam medicam appellavit,) indulgentiæ petiit veniam, si alicubi adversarios tractaverit durius, aut incesserit cavillis, si zelo justo exæstuans aliquos dixerit *deceptores* aut *circulatores*, aut *homines miseros*, ipsam enim necessitatem *talem sibi sudorem expressisse*, ut lectores avertantur, ostendaturque, doctrinas illas pestiferas à christianâ fide orthodoxaque veritate prorsus esse alienas, nec minus se per orationis & contradictionis vehementiam, justam debitamque in scribendo demonstrasse libertatem. In calce etiam laudati Panarii lectores suos hisce notatu dignissimis verbis compellavit: *Qui hæc lecturi estis, rogo ut veniam detis meæ humilitati, ac debilitati, & mentis meæ tenuitati, quæ à multo hæreseon veneno obstupuit; & hiat instar nauseantis & revomentis propter austera verba, per quæ contra quosdam commota invecta est, dum aliquos scele-*

Epiph. in præf. Panarii.

Id. in calce Par. in compend. de fide expos. n. 19.

scelestos, aut impostores, aut erroneos, aut deceptores appellavit. Nam propter multam veneni molestiam ac vexationem, (quamvis hic non noster mos sit, ut aliquos libenter suggillemus,) coacti fuimus talibus ipsos impetere verbis, quo mentem quorundam averteremus, ne forte putent, nos ex eo, si displicentiam nostram non publicassemus, in revelando ea, quæ ab ipsis dicuntur, aut fiunt, partem habere mentis assentientis pravæ uniuscujusq; hæresis opinioni.

XII. Tanto minus autem piorum quispiam, fervidam adeò in scribendo dicendoque libertatē priscis Ecclesiæ Doctorib⁹ vitio vertet, quanto magis illi in arduis suis adversus hæreticos velitationibus Scripturam ipsam (vix ullis in eos asperis verbis parcentem) sunt imitati: Non verba sed spicula potius censenda sunt, quæ adversus nefarios quosque populi seductores Apostolus evibravit; *Homines* II. Tim. III.
(eos nuncupans) *se ipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, ingratos, scelestos, sine affectione, sine pace, criminatores, diabolos, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervos, tumidos, voluptatum amatores magis, quam DEI;*

habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; homines insuper corrupto mente, reprobos circa fidem, seductores, errantes & in errorem mittentes alios, &c. Mirũ itaq; non est, quod orthodoxi quidã Ecclesiæ Veteris recentiorisq; Doctores nihilo mitiores in vaniloquos quosdam præstigiatore fuerint neque authores solùm, sive falsorum dogmatum ebuccinatores asperè tractarint, verum ergà fautores etiam [licet in eminentia constitutos] suæ acrimoniæ plurima dederint documenta. Quanta præ cæteris severitate adversus Constantium Arianum tametsi Imperatorem, Hilarius Episc. Pictaviensis egerit, ex eo præsertim libro, cujus principium: *Tempus est loquendi*, abundè colligitur; *Pugnam*[9] (sic inter alia scribere non dubitavit) *contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, &c.* Hunc insuper Tyrannum vocavit, omnium crudelium crudelissimum, damno majore in Christianos & minore venia desævientem, quam priscos illos Ethnicos, quantumvis truces ac efferos, clarissimè hoc suo exemplo docens, non molliter, sed fortiter potius doctrinæ falsæ authores & fautores [licet in Mundi vertice collocatos] esse impugnandos. Nec tantummodo in hæreticos

asperi

aſperi adeò fuêre Veteris Eccleſiæ Antiſtites, verum etiam ipſos fidei & profeſſionis ſuæ ſocios erroribus citra hæreſin ſordentes, aceto quodam mordaci duxêre perfundendos. Qualis enim Hieronymus fuerit in Ruffini exagitatione, ex libro quem adverſus illum ſcripſit apologetico manifeſtè apparet, mox enim Ruffinum CANEM vocavit, & ejus ſcholam tyrannicam, ad hæc per ironiam, *ſapientiæ columen, & normam Catonianæ ſeveritatis, ſui etiam temporis Ariſtarchum puerilia neſcientem* appellans, deniq; acutis jaculis ex Proverbiorũ libro contra fatuos congeſtis, Ruffinum (haud contemnendæ eruditionis virum) confodiens. Quam ſeverè à priſcis quibuſdam Doctoribus ipſe quoque Origenes ſit habitus [licet errores plurimi libris ejus ab adulteratoribus ſint inſperſi] quibus verborum jaculis eum Thophilus Alexandrinus, Epiphanius, imò ipſe Hieronymus impetierint alii oſtenderunt. Non leniorem in Maximum extitiſſe Gregorium Nazianzenum, nec Bernardum Petro Abailardo pepercisse, utriuſque monumenta diſertè loquuntur. Sic Petrus quoque Bleſenſis mitiſſimus cæteroqui ſcriptor, ab inſulſo demorſus ſciolo, ea in illum regeſſit, quæ videri poſſent aſperrima; *Sciolum* quippe vocavit antagoniſtam, *invidum item, detractorem, DEO odibilem, ſpiritu aſpidis, oculis baſiliſci præditum*

Hieron. lib. 1. Apol. contr. Ruffin.

Vid. Petri Halloix Origenes defenſus, nec non Raynaudi tract. de libris bonis & malis part. 1. Erotem. IX. p. 103.

Petrus Blesf. in opusc. cui tit. Invectiva in depravatorem operum suorum Canon. Regul. quæ nuper cum cæteris ejus scriptis prodiit Paris.

ditum superbum eum esse addidit, *& nihil scientem, languentem circa quæstiones, & pugnas verborũ, factum odorem mortis in mortem, cui frons sit meretricis, cuiq; molestus sit pænitentiæ labor &c.* Quinimò eum pulicibus annumeravit mordacibus, tineis demolientibus, discolis disputatoribus, qui sententias palliata involvere soleant iniquitate. Tanta autem durities atque asperitas licet neutiquam [ut diximus] vitio vertenda sit optimis illis, & singulari doctrinâ morumque probitate conspicuis scriptoribus, cum vel virulentia negotii, vel adversarii malignitas eam sæpè flagitarit severitatem, nec secus se talis Doctor habeat justè corripiens alium, quam Medicus, qui manu tumentes vulnerum sinus contrectat; injusta tamen & iniqua scriptorum quorundã (nostri præsertim ævi) mordacitas, Deoq; pariter ac piis omnib9 invisa petulantia gravissimã reprehensionem incurrit & castigationem. Sanè qui scriptionis virulentia calamum suum quasi sagittam vulnerantem ac lanceam faciunt, adeoque christianæ mansuetudinis immemores recti lineas prætergrediuntur, non tam adversariorum impetunt honorem pudoremque, quam suum lacerant, ac sibimetipsis turpissimum maledicentiæ profligatæque charitatis inurunt stigma. *Neque enim* (præclarè dicente Cypriano) *qui audit, sed qui facit convi-*

Cyprian. epist. LV. n. 79.

convitium miser est, nec qui à fratre vapulat, sed qui fratrem cædit in lege est peccator, & cum nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui facere se credunt. Ausim dicere idem iis contingere, quod cato picam voranti, juxta narrationem sive apologum metricum qui ita sonat:

Mordaces morsu solitus consumere mures;
Invisum & domibus perdere dente genus.
Catus in obscuro, cepit pro sorice picam
Multiloquumq; vorax sorbuit ore caput.
Pœna tamen præsens, prædonem plectit edacem,
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obsessis vitalis semita cessit;
Et satur escali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne?
Hostem pica suum mortua discruciat.

Vid. Lib. IV. Epigram. veter. poetar.

Obvia facilè est apodosis, improbè scil. improvideque mordentem ipso morsu extremum sibimetipsi parare exitium. Quemadmodum Hip-

Hipponacti ante memorato tam caro stetisse mordacitatem, eumque acerbissimo lethi genere periisse, illa Nasonis clarissimè innuunt:

Utque parum stabili, qui carmine læsit Athenim,
Invisus periit deficiente cibo.

Ex Plinio nimirum compertum est Athenim vel Athenam sculptorē in Hipponactis scripta incurrisse, carmina ejus sustulisse maledica, authorem verò lethali inedia fuisse confectum. Sic & Archilochi, singulari mordacitate in Lycambem, Neobulum, Chidum & Periclem infamati Poëtæ libros, Lacedemonii, teste Valerio Maximo è civitate sua exportari jusserunt, eò quod illorum lectionem summè damnificam fore sapientissimè sint arbitrati; *Noluerunt enim* (ita Valer. notanter scribit) *ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. Itaque maximum Poetam, aut certè summo proximum, quia domum sibi invisam, obscænis maledictis laceraverat, carminum exitio mulctarunt.* Eandem sicam ethnicos olim in sophistam omnium retrò scriptorum mordacissimum, Zoilum scil. (cujus in Homerum, Socratem, Platonem, aliosque virulenta scripta Ælianus memoravit) strinxisse, discere licet ex iis quæ Vitruvius pariter ac Plinius

Valer. Max. l. b. VI. c. 3. de severitat.

Ælian. lib. II. var. c. 10.

Vitruvio in præfat. lib. 7.

Plin. in præfat. Nat. Histor.

nius in operum suorum præfationibus tradidêre. Nec minus & Christiani legislatores gravissima animadversione dignos judicarunt, qui alios suggillando ac mordendo à lenitatis & moderationis christianæ tramite longissimè recedere non vererentur; *Si quis* (ita saluberrimè illi statuerunt) *adeò procax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patietur*, quin imò bonorum omnium odium incurret atque offensionem. Et verò lubens quis (Bartoli verba sunt) spinosæ hystrici quis adblandiatur, quæ nunquam ita cautè tangit, quin acriter pungat? Quis scorpioni, CUI SEMPER CAUDA IN ICTU EST? quis amicum habere Leonem cupiat, qui ut parcat ungvibus & denti, lingvâ est adeò asperâ, ut lambendo quoque sangvinem eliciat? Sint sanè nobis potius honorati, quam infensi: Sacrificemus illis, ut Romani febri Diisque averruncis, NE NOCEANT: ambiamus ex iis hanc gratiam, ut longè se semper à nobis abstineant, & ad hoc tantum nostri meminerint, ut curent nunquam meminisse. Sequitur gravior adhuc MALEDICOS pœna, non modo ut alios ab sua consvetudine avertant omnes, verum ut multorum in se proritent iras, & odia & ferrum. Quamvis enim plerumque satis intelligant, non esse stylo provocandos qui possunt gladio respondere, nec verbis lacessendos, forte per-

l. 6. C. de postul.

Bartolus char. liter. p. 225.

jugu-

jugulum redituris; sed oportere in eorum rebus, si minus cæcum, at saltem mutum se fingere; vix tamen hoc à se tam firmiter obtinent, ut incogitanter interdum non erumpant, & verba sibi patiantur excidere, quibus naturâ vel habitu assueverunt. Prudentiùs grues saxo rostrum obarmant, dum taurum transmittunt, ne suis clamoribus aquilas illic in rupibus nidulantes ad prædam accersant. Instar bombycum hi sibi carcerem ORE PROPRIO struunt, & muniunt, & eum qui possit, acriter stimulant ad elidendum scorpionem super eo quod intulit vulnere; confirmantque reipsâ quod Pollio de Augusto dixit, STULTUM ESSE IN EUM SCRIBERE, QUI POSSIT PROSCRIBERE. Non est ita pronum, semper invenire qui det ut taceas, & ex te silentium suis de rebus emat - - Atque ut taceant, non rarò quidem accipiunt, sed hoc accipiunt unde in perpetuum taceant, quæ fuit merces illius Zoili, qui aut igne aut lapidatione, aut cruce pœnam luit lacerati ore maledico poëtarum principis. Ita de maledicorum pœnis optimè disseruit Bartolus.

Macrob. Saturn. l. 2.

Vitruv. praef.

XIII. Neq; politicam solùm, verum ecclesiasticam etiam censuram Scriptores incurrunt MALEDICI, cum DEUS ipse styli mordacitate gravissimè offendatur, quemadmodum Hugo Etherianus, cum adversario insigniter mordaci agens, prolixè non minus quã egregiè demonstravit;

Hugo Ether. lib. II. de hæresib.

ſtravit; ita veritatem ſemper quærendam eſſe concludens, *quaſi DEUS præſens ſit*; *ſi DEum hic præſentem habuiſſet*, (adverſarius ſcil. virulentus, cujus ſpicula verborum acutiſſimâ antè recenſuerat) *nequaquam in DEI Eccleſiam tot convitia profudiſſet*. Hoc ipſum ſi omnes ubique (noſtri præſertim ævi) obtrectatores literati attendiſſent, non tantam in ſe juſtamque DEI & bonorum omnium devocaſſent offenſionem. Narrat Paulinus duos eccleſiaſtici ordinis Viros ſubito fato corruiſſe, quod in Ambroſium Mediolanenſem Præſulem defunctum quædam maledicentiæ jacula evibraſſent. Ex his alterum Sacerdotem fuiſſe Afrum, ſed Mediolani ope Ambroſii ſacro muneri adhibitum hanc ei gratiam rependiſſe, verum illum auditores neutiquam inveniſſe benevolos, & DEUM mox graviſſimum vindicem eſſe expertum; *Nam* (ait Paulinus) *ſubito miſer expalleſcere, voce titubare, artubus tremere cœpit, ſic inter brachia deductus eſt ad lectum, & una ad lethum*. Sic & Noddonem, improbæ dicacitatis hominem miſerrimè periiſſe, poſtquam optimum Præſulem Arnulphum probris inceſſere ſtuduit, eorundemque criminum convictum (quorum Daduchum ſuum arguebat.) caput perdidiſſe, hiſtoriarum monumenta teſtantur. Atque ut priſcis recentiora miſceamus, horrendas ſanè vitii illius DEO odibilis pœnas ille dedit [Cantipratano teſte] Sacerdos,

Hugo Etherian. l. II. de hæreſ.

Paulinus in vita Ambroſ.

Cantiprat. lib. II cap. 37. cerdos, qui ut tanto facilius alios ordinis sui viros in infamiam traheret, de se ipso pessima est mentitus, ast morti proximus, tanta in se ipsum quoque debachatus rabie fuit, ut dentibus linguam maledicam fœdè laniaret & commoleret, quin imò palam omnibus ostenderet, inde suplicii exordium sumi, unde ille sumsisset peccati. Nec multum ei absimilis fuit quidam veste potius quam moribus in Anglia religiosus, rabido detractionis dente quosvis lacerans: Is, cum [Jo. Majore teste] sub vitæ finem monitus esset, rogatusq;, sollicitè cogitaret, quodnam insisteret iter, de tota nunc æternitate agi; MONETIS FRUSTRA, respondebat; HÆC ENIM [linguam exerens & digito percutiens] PESSIMA ME DAMNAVIT; moxque miserè expirans, grande documentum cunctis (etiam eruditis) dedit detractoribus, ut alienis sapere detrimentis, ac modestius leniusque loqui pariter ac scribere discant, omnemque in objurgando devitantes acerbitatem, à perniciosa, & christiano homine prorsus indigna cavillandi, aliorumque dicta facta scriptaque perstringendi aut sugillandi libidine prorsus abstineant; ad animum sibi etiam atque etiam revocantes monitum egregium, quod antea laudatus Theologo - politicus suggessit, verbis hisce & notatu & observatu longè dignissimis: *Semper à Viris bonis abesse debet*

Jo. Major in specul. Exempl. p. 265.

Ahas. Fritsch. l. c. n. 5. & 6.

θεὶξ

θρὶξ ὕστριχος, & nigræ loliginis ſuccus, quin & verba στηλιτευτικὰ cavenda, defendatur [pergit] veritas, quæ ſimplicitatem amat verbis ſimplicibus modeſte, abſque ulla ſermonis acerbitate, ſine conviciis aſperiſque morſibus. Si quis forte erroneam doctrinam in ſcripto publico foveat, defendatur rei veritas, damnetur error, ſed ſalva lege charitatis, ſalvâ hominis famâ. Neque enim decet ignominioſis titulis perſonam errantis lacerare, & hujus vel illius opinionis adſertorem ſtultum, ineptum, aſinum &c exclamare. Certè, qui credit, ut quemvis credere oportet, â DEO omnia eſſe: DEUM unicum datorem eſſe omnium bonorum, omniſque ſapientiæ ac ſcientiæ; diverſa eſſe dona, & ut S. Apoſtolus ait, ea juxta menſuram, pro beneplacito divino hominem ex merâ gratia accepiſſe, is abſtinebit ab ejuſmodi re peſſima, DEOq; gratias aget, ſi melius, perfectius, accuratius, penitius rei veritatem perſpicere poſſit, quam alius, qui vel hebetioris ingenii, vel non tam profundæ eruditionis, vel qui non ſatis in re informatus fuerit. Dixeris forte: *Amicus Plato, Amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas*, ſit ita; Anne veritas aliter defendi non poteſt, quam cum errantium illuſione, ignominioſa irriſione & vilipendio? Amica certè ſemper eſſe debet veritas, ſed *non minus amica charitas chriſtiana*, quæ pro-

proximo debetur. Verius nonnunquam dici potest, quod amicus quidem Plato, sed magis amica OPINIO, cumprimis nova ac singularis. Maledicentiam certè & cavillandi acerbitatem sæpè *non amor veritatis*, sed *opinio infallibilitatis, & præsumtio singularis scientiæ* parit, scientia inflat [ait Apostolus,] sed *charitas ædificat.*

XIV. Est certè peccatum non leve, sed gravissimum, & dilectioni christianæ prorsus contrarium, dictis vel scriptis proximi errantis famam lacerare, & ut vulgò vocanr personalia realibus præter necessitatem immiscere. Omninò cogitandum, de quovis inutili verbo DEO aliquando, in tremendo illo judicio magno rationem reddendam esse. Cogitandum, quod invidia, odium, vindicta, quæ non rarò calamum scribentis regunt, peccata sint mortalia. Cogitandum, quod errare vel minus sapere, infirmitatis sit humanæ. Cogitandum illud Apostoli: OMNIA PROBATE, QUOD BONUM EST RETINETE. Cogitandum, quod DEUS huic talentum, alteri dimidium talenti vel minus commiserit. Cogitandum, quod facilius sit vituperare, quam emendare. Cogitandum, quod nullus unquam liber scriptus fuerit, qui non suos habuerit nævos. Cogitandum, quod juxta Plinii effatum nullus liber tam malus sit, qui non aliquâ parte prosit

Confer eund. l. c.

saltim.

saltim, adeoque uti quis poterit parte libri, si totum non adprobet. Cogitandum, quantam post se complurium malorum catenam trahant chartæ contumeliosæ, nam & author obtrectatoris inde sortitur appellationem, & læsus gravissimè offenditur, & lector [præsertim pius ac placidus] non modico afficitur dolore, si tantam animorum (etiam orthodoxorum) deprehendat tamque luctuosam collisionem, adhæc probè intelligat, quanti nocumenti, & quam difficilis curationis aut conciliationis sit hoc præsertim seculo exulcerato & contentioso certamen quodlibet, in publica luce agitatum. Mirum quam tenaciter inhæreat, quâ semel imbutus est, sive lectoris, sive auditoris animus FALSA OPINIO: Leni quippe susurro, pauculis verbis, velut clavus in asserem illa adigitur in animum, si iterum velis extractam, vix ulla id vi efficies amplius, cum perversam de alio opinionem jamjam imbiberit lector, quàm ægrè dimittet, etsi centies dicas, hoc scripsi iratus, illud inconsideratè protuli, istud me indicare compulit invidia, quicquid dixerit maledicus ejusmodi, ast pœnitens scriptor, altius hærebit implantata jamjam opinio, quam ut stirpitus ea evelli amplius possit. Contra serpentis ictus, est è serpente pulvis, contra scorpionis aculeum, est scorpionis oleum; contra rabidi canis morsum, sunt canum pili, at verò qui lingua vel calamo obtrectatoris

sunt læsi, aut difficulter & imperfectè, aut nunquam curabuntur, quod enorme detractionis maledicentiæque in Orbe literato frequentatæ nocumentum probè perpendens disertissimus Chrysostomus; *Quæ enim* (præclare scripsit) *utilitas, cum avibus quidem & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit, propterea & Paulus terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Et ne forsitan sit, qui admonitionē hanc eludat, notanter addit: *Ne quis hoc mihi dicat, tunc detraho quando falsa dico, nam si vera loquens maledixeris, & hoc est crimen, etenim pharisæus ille publicano veridicus maledixit, sed tamen hoc ipsi nihil profuit. Dic enim mihi, publicanus non erat publicanus & peccator? Cuique certum est quod fuerit publicanus, sed tamen quoniam ipsum vituperavit pharisæus, abiit omnibus amissis. Vis fratrem corrigere? lacryma, DEUM ora, ex corde apprehensum admone, consule, exhortare; sic & Paulus faciebat. Sed jucundum detrahere; imò jucundum non detrahere. Detrahens enim con-*

Chrysost. homil. 3. ad pop. Antioch. post. med.

Gal. V.

continenter anxius est, suspicatur & timet, pœnitentiam agit & linguam suam mandit, timens & tremiscens, ne forte aliis enunciatum verbum magnum sibi periculum afferat, & inutilem inimicitiã his, qui dixêre, operetur. Sententiam deniq; concludens Chrysostomus, hisce notatu dignissimis usus est verbis: *Fugiamus igitur dilecti, fugiamus detractionem. O DOCTI, tanquam satanicum insidiarum barathrum. Ut enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit; imò verò non solum inest hoc malum, quod tunc rationem dabimus eorum quæ diximus, sed etiam quod peccata nostra sic graviora faciemus, omni nos excusatione privantes; acerbè enim aliena exquirens, in suis excessibus nullam unquam veniam nanciscetur. Eliminemus igitur omnem ex ore nostro detractionem;* sollicitè nimirum perpendentes mala gravissima ac atrocissima ex mutua ejusmodi λοιδορίᾳ suam trahentia originem. Quænam illa? Aletheæ sacrosanctæ interitus, animorum summa exacerbatio, odiorum ac inimicitiarum tristis concitatio, retorsionum pudendarum & scandalosarum fabricatio, optimorum ingeniorum (quæ scri-

ptis ſuis egregiis DEO ac Reipubl. ſervire, poſſent) depreſſio plusquam tyrannica, conſcientiæ læſio enormis, violatio chriſtianæ charitatis, nec minus Eccleſiæ quam Reipubl. literariæ ruina inevitabilis: Oraculo enim verius, quod nonnemo verbis enunciavit ſequentibus: *Illud magnoperè dolendum, inſiſtere ſæpenumero doctorum quidem, ſed non perinde bonorum hominũ animis perniciosum invidentiæ virus, quo aliorum opera inceſſant, lacerent, proſcindant, aut perdere conentur, profutura aut allatura lucem, obſcurent. Hinc odium, & ex odio rabioſa maledicentia, & impotentis animi verba, rixæ & jurgia & calumniæ. Hinc ſæpè deſperatio, & deſponſio meliorum ingeniorum, quoniam pertæſarem ſic amaram & inamabilem, ab omni ſcribendi & juvandæ poſteritatis ratione avertuntur.* In cineres olim redegit Jo. Picus Mirandulanus QUINQVE AMORUM LIBROS, quos ætatis primæ licentiâ effuderat, *ne ſcil. vel nomini Scriptoris, vel moribus alienis, vel utrisq; damno forent*; Platonem hâc in parte imitatus, qui ſcriptos editosque, ſecus ac decuerat, verſiculos ſuos, ipſe lucenti injecit foco. Licet enim Plutarchus alicubi ſcribat Platonem deſpe-

Conf. vit. Mirand. opp. præfix. & Angel. Polit. l. 1. Epiſt. 7.

desperatione Homericæ felicitatis & majestatis id fecisse, ex aliorum tamen clarissimo indicio constat, illum hoc virtutis gravitatisque philosophicæ illustre documentum dedisse, postquam Socratis instinctu, ludicris abjectis, magis seriis magisque utilibus studiis invigilare cœpisset, tum scil. poemata à se in juventute composita consecrasse Vulcano. Quam verò uterque legitimam exustionis habuit causam, ea potius omnes christianos, Numinisque reverentes scriptores ad cremanda perdendaq; opera pudendæ MALEDICENTIÆ luto contaminata incitare deberet, *ne scil. vel NOMINI scriptoris, vel existimationi laudibusq; alienis damno forent & detrimento.* Hinc scriptor quidam ætate nostra famigeratissimus, morti vicinus uxori injunxit, ut quæ domi scripta haberet jam confecta & in quâdam arca seposita, adversus maximos Viros dudum prælo parata, omnia ac singula flammis traderet: *ne si forte in aliorum manus devenirent, erumperent in publicum, & magnorum Virorum perderent famam, cum iis gravissimos eorum errores confutasset.* Et quemadmodum Picus Platonem in exurendis lascivis & petulantibus poematibus fuit præclarè imitatus, ita ille ad exemplum NONNI PANAPOLITIS scriptoris

Confer. vitam Sal. ab Ant. Clementio conscript. & lib. 1. Epistol. ejus praefixam.

græci doctissimi & volubilitate verborum, dictionisque copia opulentissimi, (qui Dionysiacorum libros, quos calore juvenili conscripserat, non retraxit modo, damnavitque, sed quotquot eorum exempla nancisci potuit, fecit favillas, studiumque deinceps suum ad divina convertens, Johannis Evangelium versibus ac paraphrasi politissima illustravit,) ad Nonni inquam hujus exemplum scriptor iste rodentia quædam scripta flammis absumi curavit: *Nihil scil. moratus libros*, (quæ ipsiusmet verba notatu sunt dignissima) *sed COMBUSTOS omnes volens, si doctiores tantum, non etiam MELIORES, qui illis dant operam, reddere sint idonei.* Utinam omnes librorum conditores tandem pariter saperent ac intelligerent, suaq; monumenta ad æquitatis & lenitatis christianæ leges non satis exacta, sed arrogantiæ maledicentiæque maculis fœdata tenebris perpetuis addicerent, nec castigatricem solùm spuriis ejusmodi germinibus admoverent virgulam, verum in favillas etiam cineresque illa redigerent. Hunc in modum feliciter funeratis scriptis maledicis non Politianus quidem ANGELUS eorum bustis epitaphium scribet, sed ANGELI potius cœlestes scriptoribus illis de illustri adeò victoria olim gratulabuntur. Incipiamus igitur ô eruditi (Lud. Vive in præf. Comm. ad August. de C. D. monente) tandem hunc tollere

Lib. I. Epistol. 35. ad Jac. Crucium.

Angelus Politiano combustis à Pico libris amorum, græcum scripsit epitaphium, quod extat Lib. I. Epist. 7. opp. f. 6.

lere morem, quem invidæ omnibus furiæ in præstantia studia immiserunt, impetendi & lacerandi eum, quem conjunctissimum nobis charissimumque debebat reddidisse comunio studiorum, ac earundem Musarum cultura, ut prætereamus baptismum & charitatem Christi, quandoquidem hæc proh dolor! jam olim surdis auribus inania sunt nomina, & ægris oculis vanæ sine corporibus umbræ. Non absit ab studiis humanitatis humanitas, serveturque illa tranquillitas animorum, qua super res omnes alias Musæ gaudent. Colamus literas, ut nos delectent, ut juvent, non ut in certamen acerbum committant, & tela vel eruditionis vel styli subministrent, quibus pravos affectus nostros explentes, feriamus sauciemusque inimicum.

XVI. Verum Maledicos literatos tandem suæ improbitati, suisque suppliciis relinquamus, ac illis nunc omni studio succurramus, illos fulciamus ac erigamus, quos gravis adversariorum immeritaque circumlatrat injuria, in hanc quidem tractationis partem tanto libentius incumbentes, quanto certius ipsa rerum magistra experientia dictitante constat, eruditorum plurimos vel levissimæ injuriæ contumeliæque esse intolerantissimos, pauculos verò adeò lenes sibique constantes, ut non hujus aut illius maleferiati hominis obtrectatione tandem debilitentur, frangantur-

turque. Horum quemlibet principio instanter monemus ac serio, ut nullam injuriæ ansam sive occasionem subministret, vitet potius quam invitet aut irritet aculeata crabronum agmina, atque singularem in declinandis evitandisque virulentissimis maledicorum morsibus prudentiam adhibeat. Hanc Demosthenes olim eò collimare dicebat, ut Vir prudens ita prospiciat difficultatibus, ut vitet ab honestate mentisque tranquillitate avocantia aberrantiaque omnia, inter quæ cum principem locum dedecus & ignominia occupet, opera literatis prudentioribus navanda est sedula, ne culpâ suâ gravem adeò incurrant calamitatem. Quodsi verò nullo prorsus merito, sed alienâ impietate ipsis opprobria, contumeliæ ac dedecora obveniant; quodsi acutis truculentisq; hujusmodi telis frequentius petantur, non solum patiente, sed & hilari animo ea (præsertim à potentioribus illustrioribusque evibrata) excipiant, imò & jure suo non gravatè cedentes, injurias nunc sustinendo, nunc remittendo, nulli sine maximâ sese opponant necessitate. Recident frangenturque facilè cuncta injuriæ tela, quotiescunque fortia tetigerint pectora, & adversus quoscunque incursus doctrinæ Christianæ præceptis ita munita, ut nullo ictu à rectæ bonæque mentis sede possint deturbari. Illustria equidem æquanimitatis hujus specimina non Christianorum

norum solùm, verum etiam gentilium literatorum plurimi dedêre, supremam humanæ felicitatis metam hujusmodi fortitudinem ducentes; Quin Julianus ipse facinus hoc longè nobilius esse judicabat, quam expugnare Trojam, vel ingentem exercitum compellere in fugam, eaquepropter haud abs re damnans Ulyssem, quod post tot rerum discrimina gloriosè constanterque suscepta, non potuerit ejus, à quo fuerat exceptus hospitio injurias perferre fortiter, tametsi fortasse non ignoraret, quod *Jul. Imp. orat. 3.*

- - Stolidusque, & futilis ille
Ædibus exceptus, qui cum hospite jurgia miscet. *Ovidius 4. de pont.*

Et cum gentilium sapientissimi, Aristoteles, Epictetus, Seneca & Plutarchus unanimiter pronunciarint, non culpæ sed pœnæ malum esse injurià affici aut contumelia, propterea id homini neutiquam probrosum, atque à forti viro alienum esse optimè statuerunt, silentium hoc ipso indicentes molliculis illis, qui injuriarum tolerantiam neque rationi, neque honestati consonam arbitrantur, ineptè non minus quam impiè blaterantes, quod cum illa mititate atque contumeliarum oblivione (ad quam ipsa religione invitamur,) cohærere satis non possit magnanimitas sive animositas illa, quam veræ fortitudinis titulo sapientiores olim exornarunt. Tantum equidem

dem abest, ut quarumvis injuriarum abolitio firmumq; in perferendis malignantium conviтiis animi robur, ipsam fortitudinis virtutem obtundat, vel aliqua ex parte ejus hebetet aciem, ut potius veram exacuat germanamque excitet sustinentiæ virtutem, præterea illum impetum quo homo sponte ruit in ultionem egregiè refrœnet, denique efficiat, ut literatus de hoste potentissimo, nimirum de SE IPSO feliciter triumphet. *Amicum tuum* (ita Seneca olim egregiè scripsit ad Lucilium) *hortare, ut istos magno animo contemnat, qui illum objurgant, quod umbram & otium petierit, quod dignitatem suam destituerit, & cum plus consequi potuerit, prætulerit quietem omnibus.* Illum nimirum felicissimam de hoste pessimo victoriam reportaturum existimavit Seneca, qui totus in contemnendo contemptu sit occupatus, vel ut Pyrro quondam discipulis suis inculcavit, conviciis non aliter quam præconiis afficiatur, quin imò ad sortem sapientis apprimè id pertinere, atq; Socraticum vel potius Herculeum esse CONVITIA TRANSMITTERE SILENTIO quondam censuit Plutarchus, siquidem sapiens conscientiæ suæ innixus, nihilque alteri de se credens, eodem animo imperitorum contumelias, quo laudes acceptare soleat, quod & laudatus Seneca de sapien-

Sen. epist. 36. ad Lucil.

Plutarch. de utilit. ex inimic. c. 13.

ſapientis conſtantia diſſerens optimè eſt exſequutus, validæ quorundam occurrens objectioni: *Naturale ſcil. eſſe opinionibus hominum tangi, & adverſis contriſtari, quare non permittendus ſit tam honeſtus malæ opinionis metus?* Aures (reſpondit) neutiquam præbendas eſſe malignis ejusmodi ſermonibus, animum potius vel renitentem adverſus vulgi rumores, & judicia carptorum extollendum; cum placida eorum perpeſſio proficientis ſit, & ad conſcientiam ſuam reſpicientis. In eo equidem apprimè reſplendet hominis virtuoſi indoles, ſi maledicta non retaliet inſtar pugilum, qui adverſarium à quo pulverulento aſperſi ſunt ungvine, viciſſim adſpergunt, & maculas luto abſtergere conantur, rectius longè facturi, ſi ad cognitionem compoſitionemque ſui, ipſis ſuis uterentur inimicis, utpote qui hâc in parte amicorum & familiarium fidem & curam longiſſimè ſuperant. Hinc apud Epictetum virtutis ſolidæ ſtudioſus tacitè ſuum deriſit encomiaſten, inſimulanti verò repugnavit minimè; ſed & iniquas lividæ calumniæ voces referenti, *ſi & cætera* (reſpondit) *vitia mea noſſet, neutiquam intra illas voces conſtitiſſet.* Neque fidem ſemper Vir prudens habeat hujusmodi ſuſurronibus, *ſiquidem* (dicente Laconico Oratore) *benè conſcius vitæ, æſtimare debet nihil in ſe*

Seneca Epiſt. 16. & lib. de vita beata.

Plut. l. c. cap. 10.

Symmach. ep. 127.

se maledicis licere sermonibus, talisque excelsi animi mansvetudo ingentis profectus & sublimis conscientiæ sit indicium. Acerbissimè licet, (ut Arnobius ait,) vulneret, quod inurit innoxios, & quod decus nominis atque existimationis infamat, facilius tamen conscientia recta admittet contumeliæ vulnus, quam læsa, utpote quæ ipsa instar mali ulceris sit, ipso Plutarcho notante, & ad levissimum quemvis contactum indolescat. Equidem si veræ virtutis studiosus molliciem effœminatam, improbus verò inveteratam removeat malitiam, uterque dolorem convicii pro conscientiæ habitudine variare deprehendet. Sic apud Salustium Marius: *Me quidem ex animi mei sententia lædere nulla oratio potest; quippe vera, necesse est benè prædicet - falsam vita moresque mei superant.* Ad hunc modum si sese demitteret contraheretque adversariorum injuriis pressus literatus, nunquam in parem cum illis incideret insaniam, sed diu multumque ferendis contumeliis exercitus, indies evaderet melior, & ad artem illam artium, scientiamque scientiarum, saluberrimam nempe sui cognitionem felicissimè tandem aliquando pertingeret.

Arnobi9 4. adversus Gentes.

Salust. in Jugur.

XVI. Fuerunt qui patientiam irrogationi injuriarum fortiter excipiendæ addictam, philosophiæ metam longissimè transcendere censuerunt, quasi ex ejus præscripto honestum sit

ſit non tolerare injuriam ſed rependere. Et ſanè ingens omninò eſt in illius (præſertim paulò gravioris) perpeſſione difficultas, cui tanta naturæ fragilitas non immeritò ſuccubitura judicetur, ſaltim ægrè obſtitura, nec diu conſtantiam ſervatura, ſi exarmata cœleſtis gratiæ præſidiis, tantum philoſophicis fulciretur adjumentis. Ac licet levior videatur injuria (ut ſic dicam) verbalis, ſive convitium, quam realis, quæ ſcil. labia tranſcendit, ulteriuſque pervadens, ingens in rebus ipſis infert nocumentum; attamen ſummam in ipſis etiam convitiis patienter excipiendis eſſe difficultatem, nemo eſt literatorum qui neſciat, cum ipſe Chryſoſtomus contumeliæ & convitii perpeſſionem lapidatione duriorem affirmare non dubitaverit, aliis non abſurde adeò injuriæ viſæ ſint nudis naturæ viribus omninò importabiles. Nihilominus etiam philoſophicè honeſtam, ac rationi perquam conformem eſſe injuriarum tolerantiam, plurima ipſorum gentilium (nudo naturæ lumine nixorum) præclarè dicta & heroicè geſta teſtantur. Senecam totum in eo argumento deſudaſſe, quod in ſapientem non cadat injuria, aliaque non contemnenda tolerantiæ illius præſidia ac ſubſidia tum in libris de ira, tum alibi paſſim ſubminiſtraſſe, quis eſt qui neſciat? Nec verbis ſolùm, verum proprio etiam exemplo literatos omnes Themiſtius [ſe ipſum conſolans in graviſſimis

Joh. Chryſoſt. hom. 31. ad pop. Ant.

Senec. opuſc. quod in ſap. non cadat injuria.

Themist. Orat 4. quas sustinebat insectationibus] docuit quasi antidoto rabidos convitiatorum morsus eludere debeant, & ad optimorum sapientissimorumq; hominum pertingere sortem. Quid ego succenseam (ait inter alia) si cum omni tempore id pugnaverim, UT EOS VIROS (quos sc. paulò ante memoraverat convitiis immeritò exagitatos) quoad facere possem imitarer, eadem sim cum Ducibus meis expertus, & in iisdem consectandis vestigiis, ad eosdem scopulos offenderim ? Si inquam velut examen quoddam aculeatorum fucorum in me ipsum excitaverim, non quidem sponte, nec certo animi consilio, sed quod ea rei hujus natura sit, cui me totum tradidi, quam impensè diligo, quam vitæ ipsi atque animæ præfero ? Neque verò si mercaturam agerem, pacatum mihi semper ac placidum Mare, aut secundos ventos, aut ex mercibus perpetua opum incrementa pollicerer, sed & procellas, & scopulos, & ejectionem mercium, ac nonnunquam etiam prædonum incursiones, fluctibus ipsis atrociorem tempestatem perhorrescerem. Quin hoc ipsum argumento mihi esse debet, propius illorum me vestigia premere, nec multum aberrare; quod quibus me calumniis ac conviciis in præsentia vellicant, non aliæ sint, quam quas in divinos illos atque eximios homines insani illi ac furiosi contulerunt. Nam Sophista, & arrogans, & novitatis studiosus, convicia sunt, primum

mum in Socratem conjecta, inde in Platonem, ac deinceps in Aristotelem ac Theophrastum. Ita præclarè Themistius, nimis delicatum eum philosophũ esse pronuncians, qui ipsis Sapientiæ columinibus accenseri velit, & tamen ea patienti injuriarum perpessione imitari dedignetur. Mens eadem Epicteto, quam Arianus hoc memorabili sermone expressit: *In universum id memineris, quod nimirum nosmetipsos premamus, & in angustias conjiciamus, ist verò est, opiniones nos premunt & arctant. Quid proinde est conviciis incessere ipsum per sese? Confer maledicta in lapidem, quid quæso efficies? quod si quis ista audiat tanquam lapis, quid quæso proficiet conviciator, at si imbecillitatem ejus cui convicia fiunt, tanquam suggestum quoddam nactus sit is, qui maledicit, tum sanè multum proficit.* Idem argumentum Antoninus Imperator & creberrimè & luculentissimè versavit, variisque subministratis considerationibus, quibus & injuriæ asperitas mitescat, & fortitudo roburque animi augeatur: *Tolle ait opinionem, simul etiam de accepto damno abolebitur cogitatio, hacq; sublata, ipsum etiam damnum non erit, quod hominem se ipso deteriorem efficere non potest, id neq; vitam ejus pejorem*

Epictetus Enchir. c. 10. & 27.

Arian. lib. I. cap. 25.

Antoninus lib. IV. num. 9.

reddit, neq; lædit, neque extrinsecus neq; intrinsecus - - Non ita tibi sentiendum est, quemadmodum is, qui injuriam facit vel ipse sentit, vel te existimare vult, sed res ipsas quid verè sint, perspice. Et quod h.l. Antoninus de opinione dixit, ea nos plerunque urgeri potius, quam vero damno & injuria, id alibi pulchrè illustravit confirmavitque verbis sequentibus: *Omnia opinione constant, hæc autem est in tua potestate, tolle igitur cum lubet opinionem, eruntque Tibi tanquam promontorium prætervecto omnia serena, & sinus fluctibus vacans.* Diligentius fusiusq; id ipsum à Seneca traditum est locis variis, delibabimus duntaxat unicum: *Plura sunt* inquit, *quæ nos terrent, quam quæ premant, & sæpius opinione, quam re laboramus.* Et mox: *Cito accedimus opinioni, non coarguimus illa quæ nos in metum adducunt, nec excutimus sed trepidamus, & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fugâ pecorum exuit castris, aut quos aliqua fabula sine authore sparsa, conterruit. Nescio quomodo magis vana perturbant, vera enim modum suum habent. Quicquid ex incerto venit conjecturæ & licentia paventis animi*

Idem Anton. lib. 8 n. 34. & 40. & lib. 12. num. 18.

Seneca epist. 13.

animi traditur. Haud verò inoportunè laudatus Antoninus monuit, cavendam hic maximè esse ostentationem, ac vitandum ne fructus patientiæ cujusdam, gloriolæ captatione evanescat, quâ ille nota Phocionis in conviciorum toleratione patientiam duxit suffigendam: *Contemnor* (inquit ille) *ab aliquo, viderit: ego curabo, ne quid contemptu dignum agam, aut loquar. Ego quidem omnibus sum placidus, & benevolus, atque eo ipso promptus ad ostendendos aliis suos errores. Neque hoc exprobrandi causa, ut ante PATIENTIAM OSTENTEM meam, sed ingenuè, & probè. Quantus erat* Phocion, nisi id ipsum *præ se tulisset?* Neque Phocionis solùm, sed omnium ferè philosophorum gentilium patientiam hâc teredine vitiatam fuisse plurimi notarunt.

XVII. At verò longè meliorem excelsioremque injuriarum omnium despectionem CHRISTIANA RELIGIO instillat commendatque, non verborum modo pulchrè sonantium concentu, sed subsidiorum etiam è cœlesti officinâ subministratorum apparatu. Hoc si quis gaudeat, omnem sine læsione excipere injuriam poterit, eamque prorsus imbelle sine ictu telum esse reputabit, qnemadmodum scitè & notanter Tertullianus olim comonuit:

Tertull. lib. de patient. c. 18. *Omnis* (scribens) *injuria seu lingvâ, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Concidit enim ibidem irrita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu sæviet. Nempe idcircò quis Te lædit, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est, ergò cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. Tunc tu non modo illæsus ibis, quod etiam solum Tibi sufficit, sed insuper adversarii tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus, hæc est patientiæ utilitas & voluntas.* Non dissimiliter D. Chrysostomus splendidissimum victoriæ genus esse ostendit, illatam patienter excipere injuriam: *Non quæramus igitur* (arrigant aures cuncti vindictæ privatæ amore flagrantes literati!) *ubiq; victoriam, nec semper superari vereamur. Est enim quandoq; victoria detrimentum, offensio verò & injuria emolumentum adducit. Etenim in ira qui valdè contumeliatus est alterum, superasse videtur, cum revera*

Joh. Chrysost. hom. 85. in Mat.

ipse maximè à turpi hâc perturbatione victus, non parum sibi ipsi nocuerit. Qui autem magno animo tulit injuriam, hic profectò & quidem cum laude superavit. Ille namq; ne suam quidem ægritudinem compressit, hic etiam alienam extinxit. Et ille suo morbo superatus est, hic etiam alienum curavit, nec solum ipse inflammatus non est, verum etiam ingentem alterius flammam extinxit - - Non igitur ubiq; victoria quærenda est, qui enim lædit, superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat, læsus autem si magno animo perfert injuriam, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Addiditque benè multa in eandem sententiam Chrysostomus, alibi notanter conscientiam illius est contestatus, qui injuriam æquo animo subeunti intulit, an non ipse acrius læsus sit ac flagellatus, vel nemine accusante, quam is qui injuriam patienter excepit, planè ita rem habere (reo ad fatendum adacto) demonstravit. Et cum præclarè notasset non adeò ipsum pungere convicium, quam despectionem inde apud conscios exurgentem, clarissimè ostendit, injuriarum & conviciorum perpessioni non patientis sed convitiantis adjungi despectionem: *Itaque* (ait) *quod est triste*

Confer Chrysost. hom. 15. in Act. Ap. & ib. hom. 50. rursus eod. opere hom. 39.

non est natura contumelia, sed in sententia spectantium, ut ita non videatur contemptibilis esse. Quid igitur si hac pro nobis sit? Nonne qui contumelia afficit, ignominiosus sit, quando pro nobis sententiam fert? utrum contemnunt præsentes eum qui ignominia afficit, an eum qui contumelia afficitur, & silet? - - Manifestum, quod eum qui contumelia afficit, etsi minor quidem sit, insanire illum dicemus sin par honore, desipere; si autem major neq; sic approbabimus. Idemque confirmaturus genuinus Chrysostomi discipulus Isidorus Pelusiota, verba usurpavit adscriptu dignissima: Quod acceptam injuriam ulcisci minimè injustum sit (*nimirum in speciem, aut si potestate publica fiat,*) assentiar, quod autem ne philosophicum quidem sit, concedi abs te æquum fuerit, quanquam si id facilè ac sine multis molestiis fieri posset, sermo tuus ratione aliqua niteretur. Cum autem ante eum qui pœnas daturus est, is qui eas exposcit, sexcentis se ipsum calamitatibus convulneret, satius fuerit minimè committere, ut cum eo quod læsus ipse sis, alia quoque mala

Isid. Pelus. l. II. Epist. 67.

mala experiaris. Quod si obscurum tibi ac perplexum videtur quod dictum est, id perspicuum reddere conabor. Considera enim, si quis illatam sibi injuriam ulcisci velit, quotnam acerbitates perferat, primùm furore perfunditur, deinde ab ira interrumpitur. Primum enim ebullit affectus, deinde ad vindictæ cupiditatem exstimulatur, tertio infinitos fluctus excitat, quartò mille cogitationum vias ingreditur, quinto metus subit ac tremor, animique angor, iracundiâ nimirum eum interrumpente, ac metu concutiente, dum illud secum agitat, quonam pacto quod cupit assequatur, acceptamque injuriam vindicet. An non videtur tibi hujusmodi homo, ante eum qui pœnas daturus est, ipsemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus est exemptus. Ac sanè meritò. Nam hoc in ipsius arbitrio situm est, atque ipse totum absolvit. Ille autem alter non item. Verum & temporis commoditate opus est, & loco & fraude, & versuta improbitate, & armis & machinis, & adulatione, serviture &

hypocrisi. Videsne quemadmodum difficilis quædam res sit vitium, facilis autem virtus, atque illud quidem tumultibus scateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus sit remota? Ut enim Vir nequam ac improbus tot & tanta perpetitur, ita probus ac virtutis studiosus tranquillitatem obtinet. Atque is quidem qui ulciscendæ injuriæ studet, infinitam inimicitiam reddit, qui autem patientiâ utitur, eam quam ocyssimè opprimit & extingvit, unde importunum etiam ac sævum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit. Nimirum consensit Pelusiota Senecæ, qui hominem injuriam patienter excipientem non aliter ad illam se habere professus est, quam Solem ad interpositam nebulam; Solis (*inquit*) vis & lux integra est etiam inter opposita. Et quamvis aliquid interjaceat, quod non prohibeat ejus aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quotiens inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem, quoniam multum interest, utrum aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem modo, virtuti, opposita nihil detrahunt.

Seneca Epist. 92.

Non

Non eſt minor ſed minus fulget. Nobis forſitan non æque apparet ac nitet, ſibi eadem eſt, & more Solis obſcuri, in occulto vim ſuam exercet. Hoc itaque adverſus virtutem poſſunt calamitates, & damna & injuriæ quod adverſus Solem poteſt nebula. Nec minus ſcitè Auguſtinus, cunctos à turpi vindictæ ſtudio revocaturus, maledicos ranis comparavit; *Ranæ* [ait] *ſunt iſti clamantes ex paludibus limoſis, ſtrepitum habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare non poſſunt.* Optimè autem D. Ambroſius in pietatis lenitatisque veræ chriſtianæq; gymnaſio inſtitutus: Quando aliquis (*ait*) nobis conviciatur, laceſſit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat, tunc ſilentium exerceamus, tunc muti fieri non erubeſcamus. Peccator eſt enim qui nos provocat, qui injuriam facit, & nos ſimiles ſui fieri deſiderat. Denique ſi taceas, ſi diſſimules, ſolet dicere: Quid taces? loquere ſi audes, mutus es, elinguem te feci? Si ergò taceas plus rumpitur, victum ſeſe putat, irriſum, poſthabitum atque illuſum, ſi reſpondeas, ſuperiorem ſe factum arbitratur, quia parem invenit.

Auguſt. Serm. 95.

Ambroſ. lib. I. offic. c. 5.

venit. Si enim taceas, dicetur: Ille conviciatus est huic, contemsit iste. Si referas contumeliam, dicetur: Ambo conviciati sunt, uterque condemnatur, nemo absolvitur. Ergò illius est studium ut irritet, ut similia illi loquar, similia agam. Justi est autem dissimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructum conscientiæ, plus committere bonorum judicio quam criminantis insolentiæ, morum suorum gravitate esse contentum, hoc est est enim silere à bonis: quia benè sibi conscius, falsis non debet moveri, nec æstimare plus ponderis in alieno esse convicio, quam in suo testimonio. Ejusmodi etiam svaviores amaræ radicis (tolerantiæ nimirum) fructus inter gentiles non solùm exquisitè illustravit delibavitque, verum cunctis etiam eruditis, adversantium contumeliâ probroque affectis degustandos dedit MAXIMUS TYRIUS, haud postremus Platonicorum placitorum sectator, Oratione illa politiori, quam de non referenda injuria doctæ posteritati transmisit. Quid est igitur? (*dicens inter alia*) nunquid improbo injuriam (*literatus probus*) referet? At nihil inveniet in quo figat injuriam.

Maxim. Tyrius Serm. II. utrum referenda sit injur. ex interpret. Cosmi Paccii.

Quam-

Quamobrem enim potius improbus, improbus eſt, quam quod careat bono? quare neque opere ipſo, qui ſapiet, improbo injuriam rependet, quandoquidem nihil apnd eum inveniat, in quo injuriam locet; neque etiam animo, ſiquidem non magis Vir probus injuriam unquam inferre quam tibicen tibias diſſonanter inflare meditatur. Communiter verò ſi improbum eſt injuriam facere, injuriam referre ſimile quippiam eſt, ſi enim qui injuriam intulit, propterea quod prior cauſam præbuit majus flagitium admiſit, attamen qui retulit, iccircò quod ultus eſt, ei improbitate exæquatur. Et ſi injuriam inferens deliquit, viciſſim delinquere videtur quia injuriam rependit. Quemadmodum enim qui gratiam refert, eo qui cœpit beneficium conferre, nihilo minus beneficus eſt, quamvis prior beneficium accipit, ſic etiam qui injuriam refert, nihilominus deterius agit, eo, à quo ante acceperat injuriam, etiamſi prior erat injuriam perpeſſus. Nam quis erit unquam injuriæ finis? Siqui injuriam eſt paſſus ultionem nequaquam remit-

mittit, profectò necessarium erit malum continuè ab alio ad alium transferri ac transilire, injuriamque novam veterem semper injuriam excipere. Etenim si conceditur justo, propterea quod est perpessus injuriam, authorem injuriæ ulcisci, in eundem etiam justum ab eo, qui ultionem excepit, revertetur iterum ultio, utrobique enim agendi idem eadem æquitas est. Qualem ô Jupiter (*sic umbrarum gentilium tenebris obnuptus Tyrius exclamavit*,) justitiam fecisti, quæ ex injuriis oritura esset, quonam usq; progreditur malum, aut ubi tandem consistet? An parum videras perennem Te improbitatis fontem movere; atque eam universis hominibus sancire legem, à qua vetusta quædam origo malorum omnium initium sumeret! *& post alia*: O latentem inerrantemque justitiam! Ob eam scil. causam Socrates Aristophanem æquo animo tulit, odium adversus Melitum minimè exercuit, neque ultus est Anytum; sed clarissimè clamabat, Anytus ac Melitus Socratem de medio tollere possunt, lædere autem non possunt, ne-

que

que enim improbo licet probo detrimentum inferre; Hæc quidem justitiæ vox est, qualem si universi mortales loquerentur, nullas profectò tragœdias, nullas scenicas fabulas, præterea non tam multas variasque calamitates haberemus. Hactenus Maximus Tyrius, cui consentiens Maximus [non quidem nomine sed re] Philo; *Quidam* (notanter scribit) *è priscis provocatus ad conviciandi certamen, in hoc quidem inquit, nunquam descendero, in quo victo victor fit deterior. Ergò tu quoque quisqvis es, noli unquam cum malis contendere, & primus esse in hujusmodi certaminibus, sed ante omnia si fieri potest cura ut fugias. Quod si quando majore vi coactus fueris in certamen descendere, ne Te vinci pudeat. Sic enim demum si vincaris, victor evades, quando in hoc genere victor vincitur. Nec expectes, dum adversarium aut præco vicisse pronunciet, aut certaminis præses coronet. Sed ipse accedito, palmam porrigens, atque etiam si libet coronas lemniscatas imponito, ipse victorem magna intrepidaque voce pronunciato in hanc formulam: In hoc concupiscentiæ, furoris, intemperantiæ, insipientiæ certamine victus sum, vicit*

Philo l. 6. de agricultura.

vicit autem iste, & in tantum vicit, ut ne nos quidem invideamus. At verò sonoram hanc justitiæ vocem, excelsâq; injuriarũ omniũ despectionem christiana religio fortius longè instillat, commendatq;, non verborum duntaxat elegantiorum apparatu, sed exemplo potissimum illius, qui unus est omnium Magister, cujus vita universa non nisi aurea quædam fuit mansvetudinis veræ sinceræque tela, ipse veluti scopus, in quem nulla non maledicentiæ jacula, odii spicula, injuriarum sagittæ ex hostium animis veluti pharetris, illorum ore velut arcubus sunt evibrata. *Ei cum malediceretur* (dicente Apostolo) *non maledicebat*, non solum nulla maledicis reponens convicia, sed & benedicens maledicentibus. MAXIMI hujus Magistri potius qvam Tyrii istius doctrinâ imbutus, nec Socratis adeò, quam Salvatoris exemplo incitatus olim Nazianzenus, in hæc summam lenitatem christianamque æquanimitatem spirantia verba erupit: *Nec me vel laudatores, vel vituperatores immutabunt; (quemadmodum qui cœno unguentum, aut unguento cœnum admiscent, ac per mixtionem qualitates confundunt) ut maledicos sermones, tanquam à me ipso mutatus, graviter & iniquo animo feram. Nam alioqui multas pe-*

Gregor. Naz. Orat. XIV. n. 15.

cunias

cunias laudatoribus numerarem, si me laudando meliorem efficerent. Verum aliter se res habet, quod enim sum hoc maneo, sive maledictis afficiar, sive laudibus in cœlum ferar. Homo autem temerè verbis natat, ut inquit Job, ac quantum petram spuma, aut pinum, vel aliquam aliam densam & proceram arborem aura, tantum me linguæ circumfluunt, ac simul hujusmodi quiddam mecum commentor, si falsa objicit accusator, non me magis, quam eum, qui loquitur hæc oratio attingit, etiamsi me nominatim conviciis petat: si vera, me ipsum potius, quam eum qui loquitur, accusabo. A me enim illi sermonis materia subministratur, non autem illius sermo causa est, cur talis sim; ac vocibus præteritis, ut quæ nihil sint, mei ipsius ero; hoc unum ex eorum improbitate commodi capiens, ut cautius vitam instituam. Ita Nazianzenus, qui insignem hanc philosophiã non in veteri illa seu Platonicâ, verum recentiori nobiliorique Academia JESU CHRISTI didicit, ad se quoque spectare reputans monitum, ab ipso illo Rectore perpetuo toties traditum atque inculcatum: *Discite à me quia MITIS sum.* Hoc igitur exemplar illustrissimum sibi ob oculos ponat variis injuriarum *Matth. XI.*

probrorumque telis læsus literatus, magnamque dementiam esse reputet injuriarum ultionem, cum eam sine notabili in se ipsum injuria effectui dare nequeat, multo minus possit malum malo curare alio. Præstat (juxta vulgatam sapientiorum omnium sententiam) quietâ tolerantiâ sanari vulnera injuriæ, quam ultionis paratu eadem irritari, quisquis injuriam contemserit reddet exoletam, si vehementius irascatur, illa quoque ingruet vehementius, vulnusque levidense lacerando insanabile evadet, quale iis ut plurimum inflictum fuit eruditis, qui scriptis æque mordacibus, pariq; verborum vehementiâ atrocitateque efferatos suos aggressi sunt adversarios, adeoq; lutum luto abstergere alio satis præposterè sunt conati.

Apud Carol. Paschal. de virt. & vit. p. 179.

XVIII. Difficilis quidem & anceps habetur disceptatio, quid cordato doctoque Viro sit faciendum, ubi existimatio ipsius per disseminatos in publicum famosos libellos laceratur? silentione & contemtu adversus eos sit decertandum, an verò eorundem vanitas authorumq; improbitas stylo injustam indignationem laxato sit ulciscenda? Qui enim ejusmodi scripta pari cum latratu canum dignatione habenda censent, differere solent, supervacuum esse circa ista discutienda laborare, esse pusilli animi ad cujusvis malevoli gannitum commoveri, conscientiæ suæ securo, famæ mendacia ridenda esse, falsum crimen in castam vitam

tam jactum perire, sicut ignis in aquam conjectus continuò restinguitur, præsertim ubi non in obscuro aliquo angulo, sed in luce & celebritate quis vivat, innocentiæque suæ infinitos testes excitare queat: Ex adverso autem constare, non semper famæ satis caveri tacito calumniarum contemtu, quæ aliqua probabilitatis specie adornatæ vestigia relinquant, nisi curiosè abstergantur, quæ & ipsa causa improbos homines ad audacter calumniandum impellat, quod vulnere curato cicatricem sperent remansuram. Quid verò ad hæc Sacro-sanctæ disciplinæ alumnus? num acuto livoris gladio læsus multùm turbabitur, vel atri cujusdam serpentis aut crabronis morsu vulneratus, ultionem seu vindictam meditabitur? Minimè, quin potius animo fortissimo nullos non adversantium insultus excipiet, cum B. Augustino in hæc verba erumpens: *Quisquis volens detrahit famæ meæ, nolens addit mercedi meæ; Nec enim malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat opprobrium convitiantis.* Ad hujus inquam Viri Maximi exemplum præsentissimo semper erit ad ferendas injurias animo piè literatus, tandem aliquando de tota maledicorũ phalange felicissimè triumphaturus. *Nihil enim* (ut scitè Gregorius ait Nazianzenus) *persecutorem ita superat, uti Patientis alacritas;*

Gregor. Naz. circa Orat. 23. initium.

Isid. Pelus. l. III. Ep. 181. *tas*; qui si [juxta Pelusiotæ monitum] ita sit comparatus, ut non modò à vindictæ studio abhorreat, sed eorum etiam, quos maledicentiæ vitium subegit miseria moveatur, optimam philosophandi consecutus est rationem, semper nimirum secum considerans: Quid sit quod contra se dicatur scribaturque? à quibus? quo animo? Quid sit: Verum an falsum? Si verum, non esse cur vero offendatur; si falsum non esse cur falsa æstimet, quæ mox majori cum patientis honore sint revelanda. A quibus? ab hostibus? quid mirum? at nemo credet: ab Amicis? quid novum? at nemo probabit: Quo animo? Errore? quid igitur opus talione, cum nemo injuriam dicatur intulisse, lædendi animo destitutus; Consilio? sed & hoc erroneum brevi appariturum. Hinc licet contumaciores piè literatus nactus fuerit inimicos, nunquam tamen abjiciet animum, multò minus in parem unquam cum iisdem incidet insaniam, quippe nulla nocendi voluntate præditus nec facultate. *Ut enim* (ita laudato loco ait Ma-*Maxim. Tyrius l. c.* ximus Tyrius) *qui fuliginosum complexus, non potest non immundus abire à complexu, ita & eum, qui injurio homini congreditur, cumque eo pariter volutatur in injuriâ, necesse est flagitii partem accipere, deque ejusdem fuligine abire inquinatum. Athletam laudo qui cum athleta æquâ certandi ratione*

pariq;

parique vincendi studio congreditur, video namque in utroque similitudinem naturæ, meditationem cupiditatemque vincendi propè parem. Quotiescunque verò Vir probus cum improbo contendit, quod minimè ex eâdem palæstra uterque progressus est, neque sub eodem sese exercuit magistro, non eandem didicit artem, non iisdem certaminibus inhæsit, non eandem coronam appetivit, neque eodem delectatus est præconio; piget ejusmodi pugnæ, inæqualis est congressionis conditio, necesse prorsus est improbum ab eo studio certantem discedere victorem, qui spectatoribus improbis, iniquisque judicibus utatur. Probus namque harum artium rudis atque ignarus, infidelitatis, veteramentorum dolorumque omnium inanis existit, minimeque ejusmodi certaminum peritus, à quibus improbitas & vires & robur haurire consuevit, ita ut deridendum se præbeat, qui cum neque natura, neque arte, neque etiam moribus ad injuriam formatus sit, ad eam tamen inferendam se paret. Cum egregius quidam ævi hujus Theologus acerbissimis antagonistæ sui convitiis esset proscissus, insignem animi verè christiani characterem verbis ostendit se-

Confer Templum Hon. p. 72.

 quen-

quentibus: *De conviciis & maledictis constanter affirmo, scommata ac dicteria tam me non curare, quam corvorum aliarumque obscœnarum avium per medium aêrem volitantium crocitationes atque garritus.* Quo sæpius itaq; & violentius verè sapientem literatum injuria aliena incursat, eò animosius feliciusque illam tolerantiæ, non fictæ vanæque, sed veræ christianæque repellit scuto, tantoque pluribus & clarioribus victoriis nobilitatus incedit, quanto atrocioribus frequentioribusque injuriis fuit exagitatus. Sunt equidem injuriarum species plurimæ, ad quas satius est omninò obmutescere, quam rem noxiam retractando, magnum, arduum, apprimeque periculosum sibi facessere negotium. Exspuenda potius animo est injuria, neque committendum, ut eodem contubernio vera eruditio & hoc dedecus utantur. Advocanda exercendaque est patientia, utpote cujus præsidio omnes injuriæ, cuncta maledicta & offensiones vel animo æquabili tolerantur, vel (quod paucissimis contingit,) nullatenus sentiuntur. Cato senior crebris à quodam vexatus iniuriis; *Impar mihi* ajebat, *tecum certamen est: Nam ut tibi malè audire & maledicere facillimum, ac promtissimum est, ita mihi maledicere insuave, malè audire insolitum.*

Expe-

Expeditissima equidem hæc ratio esset irritos reddendi omnes maledicorum, & ad inferendam injuriam accinctorum literatorum conatus, quam qui observaverit, ex illata injuriâ nihil prorsus dedecoris, sed laudis solidæ plurimum lucrabitur. *Quam execrandum* (ait sapiens) *est scelus illius, qui injuriam meditatur & facit, tantum laudis vera meretur is, qui ad injuriæ sensum non perturbatur, cujus mens manet immota & integra, qui ne mussitat quidem; qui non solum agnitam ignoscit, sed omnino non agnoscit. Quisquis supra omnem extat injuriam, quem nulla ultionis cupido proritat, cujus animus injuriæ stimulos hebetat ac retundit, ille demum unus egregiè ultus est adversarium suum.* Atque ut ab isto insipientiæ cumulo, illaudato sc. præposteroque ultionis amore & desiderio eo magis Vir eleganter doctus abscedat, semper feliciorem se in ejusmodi ærumnis atque afflictionibus agnoscat, quam in laudis gloriæque summæ confluxu, siquidem per tristia quædam existimationis suæ decrementa ad longè pretiosiora bona ipsi pateat accessio, nimirum ad splendidas infracti animi opes, summamque nominis [ex solidæ virtutis exercitio] claritatem, quam illi solùm obtinent eruditi, *qui* (præclarè dicente Ephræmo Syro)

Paschal. loc. cit.

DEO devoti probati sunt tentationibus, AC FAMAM NOMENQUE EX TRIBULATIONIBUS CONSECUTI, imago pulchra generationibus futuris evaserunt. Quemadmodum Cyrenæus ille Simon, vilis terræ filius, CRUCEM PORTANDO tantam nominis adeptus est claritatem, ut ejus fiat mentio ubicunque prædicatur evangelium, totoque Orbe christiano illustrior ille habeatur, quam Magnus Alexander omnibus præliis, & Cæsar victoriis, & Tullius eloquentiâ, & Aristoteles scientia, & omnes eruditi Orbis incolæ cunctis suis operibus, scriptisque voluminibus, quibus ad famæ nominisque aspiravêre claritatem; ita summæ celebritatis, perpetuæque FELICITATIS fastigium haud dubiè attinget homo literatus, si insuavem, carniq; calumniarum conviciorumq; crucem lubens, compositoque ad modestam hilaritatem vultu suscipiat, cunctasque animi afflictiones christianæ patientiæ alacritate superet.

XIX. Et cum fieri vix possit, ut Vir doctus absq; omni morsu vitam transigat; ideo quilibet operam studiumque adhibeat indefessum, ut tolerantiæ & æquanimitatis veræ spiritu ductus, illustria quæq; & generositatis suæ, & consummatæ virtutis specimina exhibeat: *Haud grave* (Seneca interprete) *reputans pati injuriam. Quis enim* (pergit) *hanc ferre*

ferre non posset, qui potest iram? Quare quis fert ægri rabiem, & phrenetici verba, & puerorum protervas manus? Nempe quia videntur nescire quid faciunt, quid interest quo quisque vitio fiat imprudens, imprudentia par in omnibus est patrocinium. Maxima est factæ injuriæ pœna, fecisse, nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ traditur. Sit licet magnis & liberis ingeniis injuria morte ipsâ acerbior, valdè afficiat animum contumelia hostis procacitate illata, qui verbis virulentis & fellitis maximè delectetur, neutiquam tamen virtus illius [qui injustè læditur] vinci sese atque conculcari patietur, ad ictus quoscunque immota persistens, ac eapropter non insignis tantum prudentiæ titulo, verum etiam præstantiæ ac bonitatis summæ elogio condecoranda, velut optimè Thucydides; *Virorum* (ait) *prudentium est, si non lacessantur injuria, quiescere; Bonorum autem si injuria afficiantur, pacem bello mutare; ac si benè cesserit, iterum pro bello pacem inire, & neque belli successu efferri, neque pacis tranquillitate capi &c.* O magnum igitur & spectabilem hominis animum, qui non modo haud pungi & inquietari, sed ne tangi quidem potest injuriis licet atrocissimis! sicuti prudenter olim Fa-

Seneca lib. III. de ira cap. 26.

Thucyd. lib. I. Conc. Corinth.

bius Maximus illum qui ſcommata & procacitatem adverſariorum ferre nequit, meticuloſiorem pronunciavit illo, qui terga obvertit hoſtibus; ita nulla generoſitas cum ea poterit conferri, quam injuria nulla inclinare valet nedum opprimere. Non malè invictam hanc animi, doctrinâ pariter ac virtute ſingulari conſpicui, conſtantiam, priſci poetæ repræſentarunt in Hercule interemptore Scillæ, quo monſtro pudendam calumniam & contumeliam deſignarunt, cum ſuperior ejus pars feminæ, inferior canis effigiem oſtenderit: pariter ut contumelioſi in fronte & habitu ſpeciem habent amicitiæ, in linguâ & factis verò plurima caninæ maledicentiæ dant documenta. Ad hujuſmodi igitur monſtra debellanda illi maximè ſunt idonei, qui diu multumque ferendis contumeliis exerciti, maximas ex iis accipiunt utilitates. Siquidem nihil eos magis circumſpectos reddat, nemo ad ſaluberrimam αὐτογνωσίαν melius adducat quam hoſtis maledici inſpectio, quæ cum pro rebus bonorum etiam ſolertes agat excubias, ſingulari eas induſtria obſervet, inquirat in vitam, actiones expendat, ipſaque animorum ſcrutetur conſilia, fieri non poteſt, quin omnem mirificè expellat negligentiam, efficiatque, ut boni Viri ſecum habitent, & cum paratos ſibi eſſe ſciant? ſubindeque imminere tam oculatos ſpeculatores, & quovis Catone rigidiores cenſores,
nihil

nihil infamiâ dignum admittant, aut criminis notatione, sed domum habeant honestati patentem & sanctimoniæ expositam, vultu gestuque verecundi, sermone graves ac restricti, motu, gestu & cultu corporis modesti appareant, studiosè caventes, ne quid imprudenter peccent, vel in aliquo eminentiori honoris fastigio collocati, quicquam committant, unde calumniatores maledicendi decerpere possint occasionem. Quid si verò & cœca malitia & fœda calumnia, & livens invidia, optimas etiam, atque laude dignissimas actiones diro pectoris sui veneno conspergat tingatque? veluti olim maledici quidam Magnum Basilium calumniati sunt, quod Ducem se piorum aliquot Virorum constituisset; Quid inquam honorificis hujusmodi accusationibus sacer aliquis reus respondeat? *Illud*, quod *nihil habeat ut respondeat*, sed in maximo potius lucro ponat, sanctorum ejusmodi criminum impositionem, quibus neutiquam in periculum infamiæ inducatur, sed illustrior potius magisque gloriosus reddatur. *Ego verò* (dicat cum admirando illo Doctore Basilio) *omnem vitam meam impenderem, ut mihi possint ista impingi delicta.* *Basil. M. Epistol. LXIII.*

XX. Tantum equidem abest, ut præclaris ejusmodi incusationibus & honorificis calumniis, literatus christianæ lenitatis spiritu

prædi-

præditus, existimationis suæ jacturam subeat, ut potius nova inde præclaræ commendationis ornamenta sit consecuturus. *Felix querela est, quando leges pietate superantur*, ita sapienter olim Rex Athalaricus, prudentis & cordati Senatoris Cassiodori ore pronunciabat, summè optabiles querimonias vel calumnias eas esse reputans, quæ pro infamia laudes & gloriam adferre soleant. Nec intempestivè huc veniet insignis & profundus Tertullianus, qui pro christianæ professionis defensione disserens, testatus est, inter calumnias alias, quibus per summum contemptum onerati à gentilibus ii, qui veræ Religioni nomen dedissent, etiam hæc audita fuisse dicteria: *Qua mulier? quam lasciva! quam festiva! quis juvenis? quam lascivus! quam amasius! facti sunt christiani.* Noverant nimirum gentiles barbari quosdam, qui superioribus diebus licentius vixerant, turpemque voluptatem fuerant consectati, plurimumque illos criminari intendebant, propterea, quod christianæ militiæ nomina dedissent, reverâ magnum in modum eos hoc ipso honestantes & illustrantes, quo obscurare fœdius sunt conati, siquidem post fidei christianæ professionem solennem, infamis vitæ prioris mores emendarunt, ex avaris liberales, ex impudicis casti, ex dissolutis continentes, temperantes denique facti sint ex luxuriosis. Ergò si literatus ex opprobrio felix, ejusdem farinæ honorificis criminationibus & calumniis impetatur,

Cassiod. Lib. IX. Epist. 4.

Tertull. Apologet. cap. 2.

animum

animum neutiquam despondeat, sed erigat potius, cum laudato Senatore reputans MAGNUM PRÆMIUM ESSE AD TALIA VENISSE CRIMINA, vel ut aliis verbis dixisset: Calumniam hanc alii ut volent interpretentur, ego de ea sic existimo, non posse aliam esse magis vel illustrem laudem, vel gloriosam opinionem, quam tali notari crimine, putent criminatores sese intulisse injuriam, alii encomia eos dixisse judicabunt, itaque ingentes potius tantis benefactoribus persolvendæ gratiæ, eorumque merita conquisitis elogiis celebranda. Ac licet contumeliis & detractionibus (præsertim acrioribus) de honore multum decedat, minimè tamen exin eruditis animis concipienda est tristitia, cum graves ejusmodi ægritudines calumniæ & opprobria ut plurimum ad animæ profectum, divinæque laudis & gloriæ augmentum dirigantur. Igitur tam cordato, tam generoso & masculo animo FELICEM LITERATUM calumniis dicteriisq; adversariorum exagitatum esse oportet, ut placido non minus & amico obtutu, post illatam injuriam adversarium sit aspecturus quam antea, ergaque illum ita sese habiturus, ac si nihil quicquam sinistri intulisset. *Cassiodorus l. c.*

XXI. Sicuti verò animi præcelsi illustre hoc est documentum, ita summæ felicitatis literariæ, consummatæque virtutis indicium BENEFICIIS PENSARE INJURIAS, sive omnem æmulis atque obtrectatoribus exhibere bene-

benevolentiam, tum temporis maximè, cum admodum molesti, contrarii, atque perniciosi extiterunt. Quemcunque eruditorum non modo nulla frangere aut exacerbare potest injuria, aut ulla ultionis proritare cupido, sed ad benefaciendum magis acuit, is altissimum sapientiæ gradum conscendet, supremosque in Thesophia christiana, illustriq; Salvatoris Academia honores reportabit. Neque verò denegabit author largitorque bonorum omnium DEUS ad tanti momenti opus gratiæ suæ scatebram, si modo eruditi eam seriò diligenterque expetiverint, & ad sinceræ mansvetudinis charitatisque (etiam hostibus debitæ) exercitia alacriter sese animaverint, in singulos dies generosè ad omnia perpetienda, omnesque sine discrimine adamandos comparati. Ut ut onus ingens ac intolerabile carni sit inimicorum dilectio, & continuum quasi martyrium, svave tamen admodum & tolerabile cuilibet sinceræ pietatis studioso (Magistri supremi exemplo non minus quam voce edocto) id onus videbitur. Sanè si tot illustrium, inque christiana Academia pietatis veræ cultorum & Professorum imagines frequenter ante oculos habeat, tanto facilius feliciusque mala injuriarum, mansvetudinis atque patientiæ christianæ alacritate superabit, & ad eorum exemplum, supremæ istius philosophiæ, (inj[illegible] beneficiis pensantis) egregia planè

Matth. XI. Discitè à me qui mitis sum &c.

nè specimina exhibebit. Perquam stupendâ olim erga hostes & persecutores suos benignitate conspicuus fuit fulgentissimus ille Smyrnæ Angelus Polycarpus, dum centum annis major, necis suæ immeritæ satellites perbenignè tractavit, & currendo quærendoque defatigatos, cibo potuque recreavit, adeoque imitator factus ejus, qui (ut ipse Polyc. in egregia sua ad Phil. epistola scribit) PROPTER NOS UT IN IPSO VIVAMUS, OMNIA SUSTINUIT. Cujus exemplum alii etiam è veteribus Ecclesiæ christianæ Doctoribus feliciter adeò sunt imitati, ut nobilissima quæque & patientiæ & charitatis erga hostes ac adversarios suos infensissimos dederint documenta. Sic Magnus ille Ecclesiæ Doctor Hieronymus, probrosus appellabatur ac versipellis, mendax & satanæ arte decipiens, hæreseos notabatur stigmate, demum eò vesaniæ res procedebat, ut illi crimen amoris turpissimi impingeretur, ob intimam cum Paula Eustochii matre consvetudinem; græcus denique dicebatur & impostor, urbe pellendus, lapidibus obruendus, inque fluctus præcipitandus, ut ipse in quâdam epistola prodidit: Inde tamen ad iram (furorem illum brevem) concitatus fuit minimè, sed potius neglexit cuncta maledicæ linguæ convicia, atq; re & ipso opere id præstitit, quod frequenter suis auditoribus inculcavit: *Inimicos ut fratres esse diligendos, citoq;*

Euseb. Hist. Eccles. lib. IV. c. 15. Polyc. in Epist ad Philipp.

cum

cum iis in gratiam esse redeundum. Si cujuspiam hominis probata fuit æquanimitas, ac lenitati sociata erga inimicos charitas, Augustini fuit, ast veræ sinceræque pietatis fundamento innixa, inconcussè perstitit. Confluebant in eum ab omni hæreticorum colluvie acerbissima odiorum spicula, calumniarum & maledictionum jacula, nunquam verò ille maledictum pro maledicto, nunquam malum pro malo reddidit, sed vel tacuit, vel simpliciter quod falsum erat negavit, gratias agens DEO, ac rependens pro odio dilectionem. *Loquantur adversum nos quidquid volunt* (ajebat) *NOS DILIGAMUS ILLOS ET NOLENTES.* Nec acerbos solum vituperatores benigniter toleravit, sed laudavit etiam, tanquam salutares medicos suos, imò tanquam futuros brabeutas: *Et nos quidem* (scribit alicubi notanter) *charissimi, cum falsa crimina audimus ab eis quos offendimus prædicando eloquia veritatis, & erroris vaniloquia convincendo, habemus sicut nostis abundantissimam consolationem. Nam si in eis, quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu DEI, non solum contristari non debeo, verum etiam gaudere & exultare, quia merces mea multa est in cœlis.* Nobilem hanc

Augustinus conc. 3. in ps. XXXVI.

Idem lib. III. contra lit. Petil. c. 6.

hanc Magni Augustini indolem Numen benignissimum eruditis largiatur omnibus, ut dictis scriptisque acerbissimis provocati læsiq; ad illustris illius Doctoris Augustini exemplum pluris ignominiam crucis & obtrectationum faciant, quam omnes Mundi laudes & honores, & glorias, cunctisque terrenis & caducis rebus postpositis, ad summæ felicitatis christiano-literariæ culmen adspirent, PRO ODIIS, CONVICIIS AC MALEDICTIS ADVERSARIORUM SEMPER REPENDENTES DILECTIONEM.

XXII. Sed hæc ad firmandam & muniendam in injuriis fortitudinem pro instituto nostro satis. Colophonem huic imponam⁹ dissertationi, si pri⁹ admonuerimus, magna omninò hâc in parte opus esse animi literati præparatione, eaq; propter proposita injuriarum tolerandarũ subsidia non esse perfunctoriè & oscitanter usurpanda. Tanta est enim semper & ubivis [in erudito cumprimis Orbe] ex hominũ perversitate seges injuriarum, ut plurimi, etiam doctrinæ virtutisque non contemnendæ laude conspicui Viri iis quandoque subjaceant, gravissimũ & famæ & vitæ suæ incurrentes periculum. Cui evitando oportunum valdè videtur Panætii Stoici gravissimi, Tullio Ambrosioque laudatissimi prudens monitum, quod fragmento ejus apud Gellium continetur his verbis: *Vita*, inquit, *hominum qui ata-*

Gellius lib. 13. cap. 26.

tem in medio rerum agunt, ac sibi suisq; esse usui volunt, negotia periculaq; ex improviso assidua & propè quotidiana fert. Ad ea cavenda atq; declinanda proinde esse oportet animo semper prompto atq; intento, ut sunt athletarum, qui pancratiastæ vocantur. Nam sicut illi ad certandum vocati, projectis altè brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt, membraq; eorum omnia, priusquam pugna mota est aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atq; mens Viri prudentis adversus vim & petulantiam injuriarum, omni in loco atq; tempore prospiciens, debet esse erecta, ardua, septa solidè, expedita, nunquam connivens, nusquam aciem suam flectens, consilia cogitationesq; contra fortunæ verbera, contraq; insidias iniquorum quasi brachia & manus protendens, ne quâ in re adversa & repentina incursio, imparatis improtectisque oboriatur. Ita Panætius, quo cum ipse Seneca animi præparationem optimum esse adversus convitia, contumelias, & quascunque injurias subsidium existimavit: *Imperfectis,* inquit, *& adhuc in publicum se*

Seneca lib. quod in sapientem non cadat injur. cap. 19.

ſe judicium dirigentibus hoc proponendum eſt, inter injurias ipſas contumeliasq́ debere verſari. Omnia leviora accidunt expectantibus. Quo quisq́ honeſtior genere, forma, patrimonio eſt, hoc ſe fortius gerat: memor, in prima acie altos ordines ſtare; contumelias, & verba probroſa & ignominias, & cætera dehoneſtamenta velut clamorem hoſtium ferat, & ut longinqua tela, & ſaxa, ſine vulnere circa galeas crepitantia. Injurias verò ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus quidem gradu ſuſtineat. Etiamſi premeris & infeſta vi urgeris, cedere turpe eſt: Aſſignatum à natura locum tuere. Quæris quis ſit hic locus? VIRI. Utinam hæc ejusque farinæ alia priſcorum monita ii præ cæteris penſarent & obſervarent Doctores chriſtiani, quos metus oblocutionum & infrunitarum lingvarum à recto plerunque abducit, & qui non modo apertæ contumeliæ, ſed etiam clancularíæ detractionis injuriam tantoperè ad animum revocant, ut mollem propterea à recto meditentur receſſum, * atque LINGVIS

* *Quâ de re etiam copiosè diſſerit Jo. Chryſoſt. hom. 3. de verbis Eſaiæ, homil. 2. in I. ad Cor. hom. 5. in II. ad Cor. hom. 75. in Joan. & hom. in Pſal. 5.*

August. epist. 56. confer conc. 3. in Ps. 30. conc. 1. in Ps. 32. Serm. 18. de verbis Dom. Nazianzen. Orat. 27.

TANQUAM FALCIBUS (ut scitè Augustinus ait) CONCIDI TIMENTES, LIGNA FIANT ARIDA. Quam ipsam quoque improbitatis machinam, Satanæque ad mortales à bono retrahendos lectissimum instrumentum Nazianzenus studiosè subvertens, insigniter ostendit, quam fatuè sensus hominum iniqua loquentium & obloquentium bonis, judicio DEI contraria probantis, vel componatur, vel etiam anteponatur. *Atqui*, ait, *plerisq; secus videtur, inquies. Quid mea interest, qui rei veritatem magis curo, imò solum curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais. Quid verò? An iis qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? An ebriis, sobrii integra mente esse? an non potius in caput incedere, ac sursum deorsumq; moveri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est, nempe morbo laborantibus maleque affectis? At non propterea res ita se habent, ut qui hoc statu sunt arbitrantur. Quocirca fac prius fidem, sanos eos esse qui de nobis ita sentiunt, & tum nos admone*

ne ut meliorem mentem induamus, aut condemna, nisi consilio tuo pareamus, sed in eadem sententia perstemus. Non ita multis videor? At DEO ita. Imò non videor, sed perspicuus atq; manifestus sum, ei qui omnia, prius quam oriantur novit, qui corda nostra sigillatim fingit, qui omnia opera nostra, omnes motus & cogitationes, cum quibus res à nobis geruntur, intelligit, quem nihil eorum, quæ sunt, latet, aut latere potest, qui aliter res nostras intuetur, atq; mortales solent, (homo enim videt in faciem, DEUS autem intuetur cor, audisti scripturam hæc dicentem, & fidem adhibe,) cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisq; curandum est, quam omnium aliorum in unum coactorum. An tu duos quidem homines, quorum alter acutior & sagacior, alter imperitior & hebetior esset, de eodem negotio in consilium adhibens, haud recta mente præditus videreris, si relicto prudentis consilio, judicium imperiti sequereris? (Neq; enim Roboam laudem ex eo est consecutus, quod pro nihilo habita senum sententia, juvenum consiliis paruit,)

Cùm autem DEUS & homines inter se expenduntur, judicia hominum potiora duces, quam DEI. Nequaquam certè id facies, si me audias, rectéq́ sentias. Eadem ferè subsidia ad firmandam hâc in parte infirmitatem nostram Cyprianus, & Gregorius Magnus in eâ epistolâ, qua cumulatè, & splendidè neglectum oblocutionum & morsuum per lingvas detrahentes infixorum commendavit Theoctistæ patriciæ, inde mœrenti, quod pro laudibus debitis, detractiones retulisset. * Sed & præclara videntur illa Senecæ, quibus ludibrii humani contemptionem firmitatemque in virtutis calle jam adito hunc in modum inculcavit: *Hi plerumq́ videntur nihil boni negotii habere quod agant, inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iste derisus. Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.* Idemque remedium alibi proposuit his verbis: *Malè de te loquuntur homines: Sed MALI. Moveret si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari*

Cyprian⁹ l. de laude Martyrii.
Gregor. M. lib. IX. registr. epist. 39.
Seneca epist. 76.
Idem in fragmẽtis de remediis fortuitorum.

* *Conf. ejusdem Gregorii lib. IX. epist. 45. ubi in simili causa Palladium presbyterum consolatur.*

dari est. Non potest ullam authoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat. Malè de te loquuntur, moveret, si judicio hoc facerent. Nunc morbo faciunt, Non de me loquuntur sed de se. Malè de Te loquuntur, benè nesciunt loqui, faciunt non quod mereor, sed quod solent, quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consvetúdine latrent. Præsentissimum itaque remedium adversus omnes maledicorum morsus CONTEMPTIO est CONTEMPTUS, atque paulò accuratior materiæ convitii introspectio: *Non sapienti adeò* [ut idem monuit] *Viro opus est, sed tantum conspiciente ad injurias despiciendas, dicat ille sibi: Utrum meritò mihi ista accidunt, an immeritò, si meritò, non est contumelia, judicium est, si immeritò, illi qui injusta facit, erubescendum est. - - Non deerit illi aliquando par. Invenietur qui Te vindicet.* Hoc pharmacum si variis & frequentioribus conviciis injustè læsi literati adhibeant, christiana etiam ad firmandam hac in parte infirmitatem suam usurpent lenimenta; vix ullis maledicæ lingvæ pungentisque calami vexabuntur aculeis, nullisque vitæ hujus molestiis concussi, altissimam animi sui consequentur tranquillitatem.

Seneca libro quod in sapient. non cadat injur. 6. 16.



COMMENTATIO VII.

DE QUORUNDAM LITERATORUM HOMINUM AMBITIONE.

I.



Uamvis immotus HONORIS apex, constansque ac solidum gloriæ fastigium extra Virtutis Regnum haudquaquam inveniatur, à longo tamen seculorum decurso tempore tristis experientia docuit, ERUDITORUM PLURIMOS propendulum illud Honoris amplioris que dignitatis culmen sine solida affectasse virtute, & jugi mobilitate ita fuisse circumagitatos, ut vix ullibi tutam invenerint mansionem, extremamque tandem incurrerint calamitatem, nimirum uti de Sejano egregiè dictum est à Juvenali:

- - Qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa putabat
Excelsa

Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus & impulsæ præceps immane ruinæ.

Excepit equidem ea ipsos quandoque eruditionis doctrinæque multijugæ Principes, dum de dignitatis suæ incremento plus æquo, nec ubi & cum oportebat fuêre solliciti, dum optatæ Musarum tranquillitati & quieti vitam præposuere anxiam & ærumnosam, denique de aliena etiam gloriâ intercipienda damnosa agitavêre consilia; ad vota quidem sua veluti novi Icari rapti sunt præcipites, mox tamen horrendas ambitionis dedêre pœnas, extremæque infelicitatis aleam subiêre. Cum enim vasta illa & hians adscendendi cupiditas, pugnacitatis contentionisque valdè sit amica, semper spectet ulteriora, atque vix ullo frœno possit coërceri, cum ipso audeat certare jure, nulla non charitatis solvat vincula, atque sacro-sanctarum etiam legum conculcet authoritatem; mirum sanè non est, quod præpostera illa cupido ut plurimum inter prærupta elidatur, inter angusta frangatur, atque inter summa tandem evánescat. Nec malè Paschalius exitiosam istam Literatorum pestem, AMBITIONEM sc. verum Ingenii servilis, stolidi, sordidique specimen nuncupavit, cum nulli non abjectè supplicet is, qui miserè illa cupiat, quæ non nisi à multis exprimi possunt & obtineri, nec quenquam ad *Paschalius in charact. virt. & vit. cap. XLVI.*

dignitates ambitio trudat nisi per multas animi & corporis immunditias, per varias indignitates, per inaudita genera fœditatum. Ut Humilitatem cæteræ virtutes cohonestant, ita in ambitionem vitia omnia omnesque deformitates aliquid de suo conferunt, quo detestabilior evadat, atque ut vehemens est & valdè importunus ille adscendendi pruritus, ita vix quicquam perficit, nisi multarum impuritatum, simulationum cumprimis & dissimulationum (quarum involucris ambitiosus quilibet totus contegitur,) copioso accursu atque confluxu, quinimo pudendæ etiam temeritatis interventu, siquidē talis ut scarabæ⁹ semper volare velit per inanes, impietatem etiam, omnigenamq; nequitiam vocet in subsidium, licet in mores ingenuos sese componat, verbaq; mellita effutiat, pessima tamen det mentis depravatæ, ingeniique insidiosi argumenta, sed & artium bonarum apparatu destitutus, in dolis & fallaciis nectendis strenuè se exerceat.

II. Sicuti autem hæreditarius hic animi humani morbus est, quem ex primis parentibus contraximus; ita in LITERATO cumprimis AMBITIOSO vitiatæ nostræ naturæ pervicaciam cernimus, quæ eo magis suam despumat fœditatē, quo salutaribus doctrinæ admonitionisque Christianæ repagulis fortius cohibetur. Quinimò aptissimum diaboli ad

li ad ſubvertendas animas eruditas organum fuiſſe ambitionem, miſeræ horrendæque multorum ſtrages docuêre. Qui urben, arcemve munitam oppugnare labefactareque cupiunt, neutiquam firmiſſima ejus initio tentant propugnacula, ſed machinas murales ibi admovent, cuniculos agunt, & impresſionem faciunt, ubi muros humiles & diſciſſos, foſſas ſiccas vel planas, portas collapſas, turreſque incuſtoditas reperiunt. Ad eundem planè modum VALIDUS ILLE ARMATUS humanæ eruditæque animæ arcem obſidens, impetumque in eam facturus, muros ejus ibi primum trucibus tentationum ſuarum arietibus percutere, diruere, ſcaliſque tranſcendere tentat, ubi humiliores, pendulos, expugnatuque eſſe novit faciliores. Quodſi igitur vaferrimus ille ſpiritus ſtatum conditionemq; pectoris ex eruditione elati, veluti arcis cujuſdam ſatis habeat perſpectam atque exploratam, mox graviſſimis illud AMBITIONIS tentationibus oppugnare, omnique ſtudio ad immodicum dignitatum honorumque temporalium amorem ſollicitare impellereque laborat, ac dicente Cypriano *honores promittit terrenos, ut adimat cœleſtes.* AMBITIO, ambitio, fortiſſima illa diaboli machina eſt, qua nullo non tempore corda munitiſſima, & omnigenæ doctrinæ virtutiſq apparatu refertiſſima tandem ſunt expugnata, miſerrimamque

Cypr. lib. de Zelo & livore §. 2.

que subière deditionem. AMBITIO ambitio, dolosa illa scala est, quâ doctissimi etiam, altiores honorum dignitatumque gradus conscendere laborarunt, ast in horrendum perpetui exitii infamiæque æternæ barathrum dejecti sunt atque deturbati. Morbus eheu! eruditorum est ἐπιδήμιος, adeoque deploratus, ut omnem respuat medicinam. Prorsus ut calx AMBITIO eo magis accenditur, quo magis aqua affunditur; tanquam torrens rapidus, tanto impetuosior est, quo plura obstacula illi objecta sint atque opposita. Primum deniq; AMBITIO est, maximeq; pestiferum venenum, quod draco infernalis in Angelicæ humanæq; naturæ perniciem evomuit, & quo omni ævo Viros maximos in partes suas, pro lubitu suo permovit, probè sciens, quod quamprimum AMBITIO in homine (erudito præsertim) pedem figere incipiat, nulla sive bonorum morum, sive pietatis, sive naturæ, sive amicitiæ lex locum habere queat. Si de Dominio vel dignitate adeunda agatur, filii proprios circumvenire parentes, ipsique fratres mutuis sese necibus conficere solent, nec ullus divinæ vel humanæ legis tunc valet respectus. Unde graviter Chrysostomus; *Nullum profectò* (inquit) *perniciosius vitium est, nulla magis violenta perduratio, & quæ ita fermè in omnib' locis magis obtineat, licet alibi magis, alibi verò minus.* Et D. Bernardus Eugenium Papam

Chrysost. hom. 2. in epist. ad Tit.

Ter-

Tertium ad proſequendum ſtrenuè vitii hujus exterminium incitaturus; *Igneſcat* (ſcribebat) *Zelus tuus, exurgat authoritas adverſus impudentem hanc* ET *GENERALEM PESTEM.* Sapientiſſimè nimirum Bernardus judicabat, omnes rixas, inimicitias, contentioneſque à generali hâc peſte Ambitione ſcil. ſuam ut plurimum trahere originem. Sic & D. Ambroſius præclaram daturus rationem, cur optimus Salvator diſcipulorum ſuorum pedes paulò poſt ſuſcitatam inter ipſos de primatu contentionem abluere voluerit; *Lavat ergò* (ait) *pedes, ut lavet VENENA SERPENTIS*, quaſi diceret, ideò auguſtiſſimum illum Regem gloriæ ſe ad viles piſcatorum pedes dejeciſſe, ut diſcipulos ſuos à mortifero AMBITIONIS VENENO liberaret. Haud abs re equidem Ambroſius vitium hoc abominabile propriiſſimum & pernicioſiſſimum eſſe ſtatuit toxicum, quod nequiſſimus ille orci tyrannus primò quidem in cœleſtem, poſtea in terreſtrem Paradiſum, demum verò in ipſummet Collegium Apoſtolicum transfundere non dubitavit, imò cunctas vires ſuas nervosque in id intendit, ut ipſummet DEI filium, [ſi poſſibile fuiſſet,] lethifero iſto veneno inficeret, hanc ſibi ultimo loco velut validiſſimam & potentiſſimam ſagittam è pharetra ſua depromendam datâ operâ reſervans: *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam & gloriam, quia mihi tradi-*

Bernard. l. de conſideratione ad Eugen. III.

Ambroſ. lib. III. de Sacram. c. 1.

Luc. IV. verſ. 6.

tradita sunt, & cui volo do illa. Hoc nimirum Ambitionis venenato telo Christum impudentissimus dæmon transigere conabatur; *Extremum reservans quasi* (dicente Chrysostomo) *quod omnibus valentius judicaret*, suoque proprio edoctus exemplo, nihil esse tam impium, quod imperii consequendi causa ambitiosi non meditentur.

Chrysost. homil. XIII. in Matth.

III. Origenes, cum solita styli sui gravitate commemorasset, ad quantam effrœnis ambitionis impulsu impietatem Herodes devenisset, nimirum ut barbaram adeò atque horrendam innocentum stragem ediderit, præclarè observavit: *Regem illum in pestifero AMBITU cordis sui omnium facinorum crimina supergressum fuisse*, siquidem hæc passio omnem invertat naturæ legem, ipsamque in fasciis suis etiamnum involutam INNOCENTIAM exstinguat. Quis est qui nesciat, quam frequenter crudelis illa bestia in Ottomannici sanguinis principes pueros sævierit, quoties innocentes trucidaverit, quam execrabiles & inhumanas in fratribus, filiis, imò in propriis etiam genitorib⁹ ediderit strages, ut sese in imperio, vel ut verius dicam⁹ in tyrannide sua tanto firmius solidiusque stabiliret. DEUS te perdat, AMBITIO, inquit Poëta:

Quæ fratres armas in fratrum viscera, quæque,

Secu-

Securum à nato non sinis esse patrem.
Exempla in promptu sunt plurima fratrum inter se idem agentiũ, quod Etheocles & Polynices egerunt, quos Ambitio in mutua vulnera & cædes impulit. Nonne nostra etiam ætate experientia docuit, quantoperè effrœnis ille adscendendi appetitus, non naturalis solum, sed ipsius etiam divinæ legis ordinem conculcare soleat. Nec minus hucusqve variis patuit documentis, quam turpiter sese spe adscendendi dejiciant homines aliàs eruditissimi, atque mandato diabolico obedientes, *in Terram prostrati adorent*, ut exaltentur. Neque Bernardi solum, verum nostrum etiam ævum novit, *viditq; literatos Ambitiosos, ad universa pericula subeunda paratos, scandala adhæc* (ut idem Bern. ait) *suscitantes, sustinentes odia, opprobria dissimulantes, negligentesque maledicta*, quinimò ad omne malum proclives. Tales ut dominentur aliis, prius serviunt, curvantur obsequio, ut honore donentur, & dum volunt esse sublimiores, fieri student demissiores. Taceo, quantopere effrœne illud dominandi desiderium literatorum quorundã acutissimorum intellectum excœcarit, genium eorum, naturam moresque in diversa commutarit, ita ut de iis optimè Bernardinum illud usurpari potuerit: *HONOR ABSORBUIT INTELLECTUM*; mox enim

Bern. in l. de convers. ad Cler.

Ambros. lib. IV. in Luc.

Bern. epist. 7.

ut

ut illi ad honores & dignitates altiores adſcendère, omne protinus amiſère judicium, ſeque ipſos magnificientes, miſerè ſunt infatuati.

Innoc. l. 2. c. 30. *Priores* (ut ſcite ait Innocentius) *ſpernentes amicos, notos ignorantes heſternos, comites contemnentes antiquos, vultum avertentes, viſum extollentes, cervicem erigentes, faſtum oſtendentes, grandia loquentes, ſublimia meditantes.* Et cum tales in ſupremo honoris culmine conſtituti, MORTALES ſe eſſe ut plurimùm obliviſcantur, conſultum equidem foret, ut quidam frequenter eorum auribus eadem in clamarent verba, quibus olim triumphatores Romani (per omnes urbis vicos circumvecti) à nonnullis prudentiſſimè compellati fuère: MEMENTOTE VOS ESSE HOMINES! Hæc ipſa verò Ambitionis [præſertim literariæ] mala ac incommoda probè conſiderans Dio Chryſoſtomus, inſigniter monſtri illius indolem ac genium, nomine Diogenis Alexandrum alloquentis, deſcripſit in hunc modum? *Qualem fingere debemus & habitum & ſpeciem AMBITIOSI GENII? An conſtat, quod alatum, & ventis expoſitum, ſecundum illius mores atq; cupiditates cum verbis pariter ruentem; quales Boreæ filios excogitarunt, & pinxerunt pictores, leves & ſublimes.*

Dio Chryſoſt. Orat. 4. de Regno.

cum

cumventi flatibus currentes? At illi si quando vellent suam ostendebant virtutem atque cum aliis Heroibus in Argo navigarunt, atque alia effecerunt nulli cedentes. AMBITIOSORUM autem Virorum præfectus, semper est in sublimi suspensus, neque unquam contingit terram, aut aliquid simile, sed excelsus & sublimis fertur. Quando nactus fuerit serenitatem & tranquillitatem, aut favonium leniter spirantem, semper magis exsultatque & vadit in æthera ipsum. Et frequenter sese in tenebrosa abscondit nube, concurrente aliqua ignominia & timore à vulgaribus hominibus, quos ille colit & honorat, & felicitatis suæ Dominos esse demonstrat. Non ille quidem quod ad securitatem attinet, assimilari potest aquilis, neque gruibus, neque alii volucrum generi; sed magis eum dicas esse similem Icaro, violento & innaturali volatu, quem Dædalus instituerat, artificio sanè acuto, sed impossibili. Quapropter ob juventutem & jactantiam, cupiens enim astra transcendere volatu, modicum quidem temporis constitit, laxatis autem vinculis & cera fluente, cognomen ab hoc facto mari præbuit, ubi interiit decidens.

Ita & ille imbecillibus & revera lenibus se credens alis, puta honoribus & opinionibus ab hominibus vulgaribus casu exortis, periculosè & instabiliter fertur, hominemque fert ipsius amatorem & ministrum, nunc quidem excelsum & beatum multis apparentem, mox rursus autem humilem & miserum, qui tamen sibi ipsi maximè primus videatur. Si cui verò non placet illum alatum excogitare & facere, ille assimilet eum difficili & violentæ Ixionis revolutioni & necessitati, rotæ cujusdam impetu in orbem tracti atque rotati. Neque enim absonum, neque alienum à sapientibus scitisque fictionibus esset rota comparata gloriæ, & motu & mutatione facillimè in orbem currens. In circumferentia verò omnifarias figuras cogeret animam recipere, magis quam figulorum rota, ea quæ super eam finguntur. Talem igitur hominem volutum semper & circumrotatum, adulatorem populorum, & turbarum in concionibus, in ostentationibus Regum, aut tyrannorum amicitiis & culturis quis non misereatur ob hanc naturam & violentiam? Sed & ea quæ mox apud Dionem laudatum de pudendo Ambitiosi literati genio, malisque eum con-

comi-

comitantibus sequuntur, singularem merentur observationem: *Præterea & ipsum multo magis vacillare, & in composito servientem & adhærentem negotio, crebroque continentiusque, quam venatores agunt, gaudentem, rursusque affectum ægritudine. Illis enim illud accidere maximè solere ajunt, visa & perdita præda: Ita hic quando magni fit, laudesque ei obtingunt, animus ejusmodi hominis crescit, & pullulat, & admirandam habet magnitudinem. Quemadmodum Athenis ajunt sacrum olivæ ramum in una die pullulasse, maximumque factum: Mox autem rursus contrahitur ac dejicitur, deficitque quum vituperium aliquod acciderit.* Tantum licet sit, tamque grave AMBITIONIS LITERARIÆ malum; *Malum inquam* (ut verbis Bernardi utar) *subtile & secretum virus, pestis occulta, doli artifex, livoris parens, vitiorumque origo;* idipsum tamen omni ævo Viros doctrinâ ingenioq; præstantissimos tantoperè invasit, ut inexplebili honorum laborarint appetitu, atque ut in pinguioribus caseis facilius vermes subnascuntur, inque ligno tenui & delicato citius teredines gignuntur, quam in nodoso atque duriori, sic ingenia omnigenæ eruditionis ubertate donata, præ rudioribus

Bern. Serm. VI. in Psalm. Qui habitat, &c.

ſæpè leviq́ue doctrinâ tinctis, ambitionis peſte ita correpta corruptaque fuiſſe deprehendimus, ut ad eam explendam pretioſiſſima quæque impendere perdereque non dubitaverint, planè ad infelicis Eſavi exemplum, qui primogenita ſua PRO VILI ESCA vendidit. Vilis equidem eſca eſt nullius non honoris & dignitatis acceſſio, eſca maximas in animo gravedines concitans, & peſſimas generans cruditates, cum dicente iterum Bernardo, *nil acrius cruciet ambitione, nil moleſtius* (pariter ut eſca vilis aſſolet) *inquietet, nilque vehementius torqueat miſeros mortales. &c.* Eſca tam perniciosa, ut monente Chryſoſtomo *ipſam perdere valeat Animam*, atque hoc ipſo peſtilentior, quod delicatiſſimis etiam Viris quandam movere queat ſalivam. *Sæpe quos vitia nulla* (ait ad rem ſcitè Ambroſius) *delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos, habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum.* Quis non horreſcat vel ad ſolum eſcæ nomen, quæ præterquam quod innumeras moleſtias doloreſque concitet, vitam quoque adimit, homineſque citius exuit mortalitate? Nonne eſcæ tales imaginariæ illæ ſunt honorum dignitatumque omnium lautitiæ, quas ut plurimum calamitates graviſſimæ, fulminanteſque miſeriæ, nauſea virtutum continua, extremum deni-

Bern. lib. III. de conſid. ad Eugen.

Chryſoſt. Hom. 43. ad pop. Ant.

Ambroſ. Lib. IV. in Luc. c. 4.

denique & corporis & animæ excipere ſolet comitarique exitium. Nec male eſcas illas dixeris UMBRATICAS, omniq́ue adeò ſoliditate, utilitateq́ue deſtitutas. Quid inquam dignitates omnes, quid honores ab eruditis ambitioſis tantoperè efflagitati, vel ipsâ teſtante Scripturâ, ſunt niſi *Eſca* quædam *umbratica? Tranſierunt* (ait ſapiens) *illa veluti umbra.* Et ex Syracidis ſententia *omnes ad iſta mendacii viſa attendentes, ſunt quaſi qui umbram apprehendunt, & perſequuntur ventum.* Terque igitur quaterque miſeri omnes ſunt literati, [etiamſi ſupremum doctrinæ attigiſſent faſtigium] qui ea in re ſummam quærunt felicitatem, quæ omni caret ſoliditate, & fugitivam de ſe umbram emittere malunt, quam fulgentiſſimi luminis divini favôre illuſtrari. Nonne dementiæ ſummæ arguerent hominem corporis ſui UMBRAM capere nitentem, cum eam magis fugere videant inſectantes, nec tamen à captanda vaniſſima illa honorum dignitatumque umbra ridiculi illi abſtinere volunt venatores. *Sap. V.* *Syr. c. 34.*

IV. Quod ſi verò eorum inire numerum, atque LITERATORUM iſto dæmonis cibo AMBITIONE ſc. ineſcatorum perditorumq; exempla in medium afferre vellemus, unde in dicendo initium caperemus, finem quando inveniremus & exitum? Peripateticorum imò Philoſopho-

rum omnium Principem Aristotelem in honore ambiendo immoderatiorem quam par erat fuisse, ipsi ejus sectatores neutiquam audent diffiteri, asserentes, eum qui inventorum diligentia, & acumine ingenii antecessores suos longissimè superaverit, vix pati potuisse ut quisquam sibi præferretur, quinimò in *quamvis aulam & scenam* illum insiluisse, ut ampliores capiat dignitates, Aristoxenus Peripateticus commemoravit. Quamvis & ipse Aristox. hoc morbi genere ita laborarit, ut (Suida teste) in Præceptorem jam jam morientem convicia dixerit, quod ei Theophrastum in scholæ successione *prævosuisset*. Eâdem peste magnum Romanæ eloquentiæ Parentem M. Tullium Ciceronem tantoperè correptum fuisse, *ut immensa eum Honoris cupiditas tenuerit, quæ præclara ejus consilia frequenter interpellarit*, ex Plutarchi indicio accepimus. Sed & plerosque Athenienses pariter ac Romanos oratores ac philosophos, fatuos fallacis dignitatis igniculos magnoperè consectatos fuisse, & ad summa quæque anhelasse, varia veterum monumenta loquuntur. Nec mirum adeò, damnifico umbrarum ethnicarum velo obnuptos doctores, pudendæ AMBITIONIS tenebras tantoperè adamasse, cum satis abundè (proh dolor!) constet, summa Christiani eruditique Orbis lumina eâdem caligi-

Suidas in Aristox.

Plut. in Cicer.

ne

ne frequentiſſimè obfuſcata, imò miſerè tandem extincta fuiſſe. Non ſatis quibuſdam fuit, cum fraude multiplici tendere ad Primatum, ipſum etiam Monarchatum ſibi rapere ambitionis peſte toti occupati & occæcati ſtuduerunt. Neque hic dum acquieſcentes, ſed cum DEO ipſo de imperio quaſi contendentes, tanquam terreſtres Dii voluerunt adorari. Non pauci eruditorum, obſcuro licet nati loco, inexplebilis ſuæ ambitionis clariſſima dedêre documenta. Senecionem quempiam olim vixiſſe legimus, qui grandia ſemper dicere concupiverit, ſervos habere noluerit nonniſi grandes, & argentea vaſa non niſi grandia, concubinam etiam ingentis ſaturæ aluerit, ſummiſque ſemper inceſſerit digitis, quum diceret, UT GRANDIOR videretur. Ad cujus exemplum eruditorum hominum plurimi per omnem vitam GRANDIORA ſunt conſectati, ſupra alios omnes ſeſe extollentes, omniaque ex arbitrio ſuo agere ſatagentes. Talem inflatum ambitioſæ vanitatis utrem JULIUM CÆSAREM STELLAM Romanum, Virum excellenti aliàs ingenio, & ad literarum ſtudia inprimis aptum extitiſſe, Erythræus in Pinacotheca ſua memoravit, ita celere illi tribuens ingenium, ita lepidum, ut in ipſo penè ineuntis ætatis flore in faciendis verſibus ſenum multorum gloriam anteceſſerit; verum cum ſatis ſe adeptum laudis & gloriæ

Erythr. in Pinacoth. I. num. 17. p. 35.

arbitraretur, optimum illud ſtudium remiſiſſe, quo à puero fuerit incenſus, ac in aulæ luce HONORUM SECTATOREM maluiſſe verſari, quam in umbra domeſticorum parietum deliteſcere, aſt ſubita morte correptum è vita hâc miſerè exceſſiſſe. Æquè pudenda impotentis ambitionis argumenta cum in Anglia Avorum noſtrorum memoriâ dediſſet
Polyd.lib. 27. THOMAS VOLSÆUS, atq; obſcuro loco natus, & mediocri doctrina tinctus, *Regibus ſeſe æquatum* exiſtimaſſet, aureâ uti ſella cepiſſet, pulvino aureo, nihilque prius habuiſſet, quam ut aliquâ inſigni re doceret, ſe alios omnes dignitate exuperare, ad extremum per ſacra ipſa oſtentare Mundo adeptum decus cœpiſſet, Carolo quinto ob denegatum Archiepiſcopatum Toletanum, bellum Henrici Octavi nomine indixiſſet, imò Edovardum Buchingamiæ Ducem æmulum ſuum falſis circumventum criminibus capite plecti curaſſet; primum omni dignitate & fortunis ſpoliatus, mox juſſu Regis captus, diem ſupremum Leceſtriæ inglorius planè obivit. Quantæ doctrinæ, quantæq; eloquentiæ laudẽ in Orbe erudito conſecutus ſit BARNABAS BRISSONIUS oppidò paucos latere exiſtimo, verum Ambitione illum tam immodica laboraſſe Thuanus perhibet, ut impotenti PRIMAS IN SENATU TENENDI deſiderio, graviſſimo vitæ periculo ſeſe exponere non dubitaverit, ratus
Confer. J. A. Thuan. libr. 68. & 102.

nimi-

nimirum, se [Collegis aut fugâ elapsis, aut Bastiliæ inclusis] eâdem facilitate, quam in explicandis causis forensibus experiebatur, plebis efferatæ animos moderaturum, & urbem ut ajebat Regi legitimo servaturum: *Postea tamen* [ait Thuanus] *homo in litium tricis, quam in Rep. administranda magis versatus, serò sensit se in terrores delapsum, quibus extricare se nunquam citra capitis periculum posset*, quod ipsum tandem miserè subiit, cum nihil tale cogitans, in horrendum carcerem detrusus, mox ad scalam tigno affixam, Cromæo quodam urgente suspensus, & compressis laqueo faucibus à carnifice tandem esset necatus. Minimè equidem infami adeò supplicio Vir tantâ eruditione conspicuus fuisset affectus, ni pudenda turpisque Φιλοπρωτεία locum in ejus animo invenisset. Quo etiam glaucomate fascinatus doctissimus ille Chronologus JOHANNES FUNCCIUS, cum relicto concionandi munere præpostera [ut idem scriptor tradit] AMBITIONE ad civilia munia obeunda in aulam Alberti Borussiæ Ducis sese contulisset, eidemque stolidi juxta ac perniciosi consilii auctor fuisset, cum aliis rerum novarum molitoribus & publicæ tranquillitatis perturbatoribus in Regiomontis foro capitis luit supplicium. FELICES admodum, nimiumq; felices Literatorum hominum plurimi extitissent, si quâ æquanimitate sortem privatam tulere, eâdem moderatio- *Thuan. lib. 38.*

ne publicam ampliorem que fortunam ferre perrexiſſent! feliciſſimi autem futuri, ſi quemadmodum orſi fuerant, LATERE vitam omnem potuiſſent, & in ſeceſſu potius literario, quam aula quadam Regia aliove officio ſplendidiori ſuum transigere ævum! *Paucos equidem oppidoq́; raros* (ait nonnemo) *ex obſcuriore vivendi conditione transgreſſos ad ſe, magna poteſtas excepit; quos non ſerius ocyuſve poſtea, caſu longè tumultuoſiore, provolverit in præceps è gremio ſuo; quam cum ſplendore ſuſceperit. Interdum enim eadem illa, quæ provexerat eos, fortunæ mutabilitas dejecit, aliàs autem hominum perfidia ſtationem eis fidam non conceſſit.* *PLERIQVE verò SUISMET SE VITIIS PESSUM DEDERUNT.* Horum autem albo, quot quantosq; Literati Orbis incolas inſerendos exiſtimabimus? Eos nimirum ſingulos, qui infrunitæ AMBITIONIS œſtro perciti, ſemper altiora ſpirarunt, probrorum omnium atque ſcelerum SE ipſos exempla ſtatuentes: Quid mirum quod EX ALTO MAJOR ILLIS VENERIT RUINA; cum è diverſo ſi ſua ſe ſorte continuiſſent, & cum illo Claudiani ſene conditionem humiliorem aulæ luxibus antetuliſſent, SI MINUS VIÆ, certè PLUS VITÆ habuiſſent, plusque
late-

latebrarum, ac minus voraginum aut periculorum. Quanto rectius TERENTIUS VARRO macellum avitum, paternumq; quam Consulatum Romanum, & Cannensem expeditionem tractasset; PHOCION patris sui cochlearia, quam ATHENARUM portum, & Macedonum doctiorum occulta colloquia? Quanto consideratius innocentiusve avorum nostrorum memoria JOHANNES ille LEYDENSIS felicitatis suæ punctum in acu, quam in Anabaptistarum fanatico regno collocavisset? Quanto beatius Caspar ille PEUCERUS ætatem suam transegisset, si minores post soceri obitum sibi sumsisset spiritus, equidem ni aulicorum favore ita fascinatus, aut honorum accessione tantoperè imutatus fuisset, diras adeò ambitionis suæ pœnas dare, molestiorisq; carceris calamitatem neutiquam subire debuisset. Quam multis Sacrorum Antistitibus satius fuisset, cum Petro MORONO cathedram vel adscendisse nunquam, vel INVITOS insedisse, vel quod compendiosissimum fuisset, citius dimisisse? Tunc equidem, etsi publicæ rei non multum contulissent, nihil tamen eidem intulissent detrimenti, neque Christianum afflixissent Orbem, suæque quieti & tranquillitati optimè consuluissent. Plurimos datâ operâ prætergredior nostri ævi Viros Literatos, qui cum sui, pluriumque præcipitio culminibus rerum adrepserunt, quæ tamen illi si verè sapuis-

Confer vit. Peuceri apud Melchiorem Adam. in vit. Germ. Medic. p. 387.

ſapuiſſent, ad ſe vel ultrò deſcendentia, pro virili depellere potius, quam periculoſæ adeò ſemitæ inſiſtere, ſicq; extremæ perditionis periculum evitare debuiſſent. Taceo quoque horrendos caſus exitusque illorum, qui veram doctrinam quidem amplexi, aſt mutato [urgente ambitione] conſilio, ad dignitates ampliores vel conſequendas, vel non amittendas turpiter defecerunt, ſpe verò illa ſua omninò fruſtrati, loco optati honoris calamitates graviſſimas, & fulminantes miſerias aſpexerunt. Sævam veterum Chriſtianorum perſecutionem deſcripturus Baronius, illuſtri quodam documento oſtendit, *plurimos metu perculſos obſtupuiſſe, atq; ex illis qui tum DIGNITATE, tum divitiarum affluentia conſpicui fuiſſent, timore perterritos, Diis gentilium ULTRO SE OBTULISSE.* Ad eundem ſanè modum non pauci ultimis hiſce temporibus, & gratiæ gloriæ cœleſti potius, quam Dominiis ſuis, imperiis, atque fluxis & caducis dignitatibus renunciarunt, nimirum GLORIAM HOMINUM MAGIS QUAM DEI DILIGENTES. Sed & aliæ calamitates miſerabiles, horrendæque ſtrages execrandam quorundam Doctorum ambitionem ſæpè ſunt concomitatæ, non ſine ſummo quidem bonorum atque moderatiorum omnium dolore & luctu, quod publica res eorum culpa tantis quandoque

per-

perturbata jactataque fluctibus fuerit, qui præ cæteris compositâ gaudere mente, nec minus de publicâ quiete animiq; optatâ tranquillitate conservanda solliciti esse debuissent: Ast cum & ipsi summa sæpè honorum dignitatumq; cupiditate flagrarint, imò prorsus insanierint, vix ullum tanquam ex æquo in Republ. civem dignitate superiorem ferentes, imò clariorum quoque virtutem, & majorem apud alios existimationem non nisi ægris oculis aspicientes; ut plurimum accidit, ut turgidi ejusmodi elatique magistri, & turbis gravissimis occasionem subministrarint, & famæ non minus existimationisque, quam vitæ ipsius luctuosum periculū incurrerint, adeòq; omnium gravissimas experri sint calamitates. Quis casibus atq; periculis tantis perspectis, cum Cicerone, omnē Ambitionem [literatorum præsertim] omnemque honorum contentionem appellare dubitaret MISERRIMAM? quis (ipso monente Seneca) casus istos varios & in sublimi maximè lubricos considerans, non appetitos formidaret honores? quis cum Ennodio singularis virtutis fructum non esse censeret AMBITIONIS REFROENATIONEM, cum infrunita emergendi, cæterisque imperandi libido omnium ferè causa malorum dissidiorumque fuerit, graviaque adeo bella non antiquis solum temporibus, sed nostra etiam ætate in publicam & literariam rem invexerit.

M. T. Cicero lib. 1. de offic.

Seneca Ep. 94.

Ennod. 9. Paneg. Theod. c. 4.

V. Re-

V. Recentiora ſanè plurima dare poſſemus AMBITIONIS exempla & documenta, ni indicata ad peſtis illius naturam ac indolem immanemque atrocitatem cognoſcendam abunde ſufficerent. Videmus juncos & virgulta, quæ facilè flectuntur, & vento ſeſe ſubmittunt, firma permanere & infracta; magnas verò & robuſtas arbores tempeſtatis impetu plerumq; frangi & eradicari; Aſt ambitionis turbine, & junci, h.e. homines levi tincti eruditione, & arbores, ſive ſolidâ doctrinâ illuſtres quaxſantur, eſt enim inſtar fulminis ambitio, quod in omnes res oppoſitas ſuam vim exerit & poteſtatem, quoſdam etiam literatos fatuo ſuo igne ita accendit, atque ſtultè adeò facit præſumtuoſos, ut omnes honores ſibi ex quodam juſtitiæ rigore debitos exiſtiment. Sit in exemplum Tiro in foro aut curia, honorum deſiderio æſtuans, ſi fortè inter plures aliquantum emineat, ad ſumma quæque is quovis pretio, & quavis ſemita properare conabitur, donec ad cupitam ſublimitatem evehatur. Ubi primum Narciſſi cujuſpiam animum ambitio invaſerit, aut forſitan pro ſolâ civilitate philoſophi appellatione ornatus ſit, jam pluſquam celebratiſſimus Doctor præſumet, ſique forſitan adulatio illi gratuitum dederit titulum hominis in philoſophia, aut alia quapiam facultate probè verſati, de tam ſublimi appellatione ille valdè præſumens, nulla non honorum munerumque ornamenta

menta sibi pollicebitur. Non male equidem Dio adversus ambitiosos compositam existimavit Ixionis fabulam, quod scil. pro Junone nubem sit complexus, atq; ita geniti Centauri; quippe cum gloriâ illi (tanquam virtutis simulachro) habentes consuetudinem, nihil sincerè agunt vel constanter, verum diversis rapti studiis & motibus, ut plurimum res gerunt minutas atque adulterinas. Cùm Tantalo etiam, ob insolentiam ad inferos præcipitato, & saxum grave vertici suo imminens depellere conante, magnam ambitiosi isti habent convenientiam, siquidem & ipsi vitam satis miserè & ærumnosè traducant, odia etiam inimicitiasque plurimorum gravissimas incurrant, & horrendâ vitiorum mole toti propemodum obruantur. Quæ unquam hydra à Johanne in Pathmi scopulis spectata è tam diversis conflata fuit capitibus, quam illa tot capitum, quot vitiorum ferax, horribilisq; ambitio sese bonorũ omnium sistit conspectui? Eam cum pellucido mentis suæ oculo intuitus esset Magnus Basilius, haud abs re perniciosiorem belluis istis esse pronunciavit, quæ unam alteramque corporis humani partem lanient, capiti parcant, dum ventrem devorent; cum illa immoderata adscendendi cupiditas omnes corporis sensus, omnes animæ facultates occupet, imò universum hominem tandem aliquando absorbeat; sed & gravissimo lapidis ponderi similem esse, quæ circulos in

Basil. l. de vera virgin.

in cisterna multiplicet, universam commoveat, ut undæ ex omni parte concitatæ sursum erumpant, agantur in spumas, & inspectantes circà effundantur: *Lapis* ait *in aquam cisternæ conjectus, non solum adjacentem partem in quam cecidit agitat, verum orbes alios post alios perpetuis vicibus excitans, ad ultimos lacunæ margines agitando perducit.* Sic optimè Basilius. Semper equidem id evenisse deprehendimus statim ac perversa quæpiam adscendendi cupiditas corda eruditorum tetigit, malisque innumeris subministravit occasionem. Ecquem verò Literati homines eo morbo laborantes habent AMBITIONIS suæ Ducem primum ac vexilliferum? Ipsum sanè LUCIFERUM, qui ad infima detrusus Tartari penetralia, locum omnium extremum occupat, cum supremum obtinere debuisset, & qui per pudendam sublimius sese evehendi fiduciam, tertiam stellarum, id est cœlestis militiæ partem de cœlo detraxit, huncque ingenii sui characterem, SUBESSE NEMINI, omnium asseclarum suorum cordibus impressit. Cacangeli illius horrificum ex ambitu casum considerent, quicunque superciliis elatis, animoque turgido cunctis præesse desiderant, emptaque favoribus aut auro dignitate, natalium suorum sordes obliterare, & ad summa quæque aspirare conantur. Sciant atque memine-

minerint, de ſtercore levatos in altum pauperes etiam literatos, in lutum denuò ſuum utplurimum relapſos, quinimò omnium odio atque contemptui tandem expoſitos fuiſſe. Caveant proin ſibi ipſi Muſarum, ipſi Sacrorum Antiſtites, ne ad periculoſos ejuſmodi ſcopulos unquam ſuam adfligant navem, SUPRAQUE ſe aut ſortem ſuam ire præſumentes, ruinam omnium triſtiſſimam incurrant. Videant ne per fas ac nefas ad altiſſima quælibet ſeſe porrigentes, infelicem & vitæ & ſtudiis ſuis colophonem imponere cogantur, igni ſimiles, qui quo altius adſcendit, & ad celſiora nititur, eò citius ſæpè extinguitur. Si ignes horreant æternos literati (tot ambitioſorum periculis & caſibus edocti) fumoſam illam gloriæ citò evaneſcentis lucem quam ſtudioſiſſimè declinent. Se ipſos odiſſe incipiant, qui nimium ſeſe prius amarant, cœleſtique lumine redeunte, miſerrimam ambitioſorum omnium ſortem tandem aliquando reſpiciant, nec Muſeis adeò, quam cordibus ſuis memorabilem hanc Paſchalii ſententiam inſcribant: O QUAM BENE AGITUR CUM ILLO, QUI MODICIS CONTENTUS, MODESTE ET INTER INFERIORA VERSARI MAVULT, QUAM UT AQUILA ARDUO VOLATU NUBES VERBERARE, ET INTER NUBES VANESCERE.

Carolus Paſchal. in charact. virt. & vitior. c. XLVI. p. 417.

VI. Quantumvis verò cujuscunque honoris & dignitatis AMBITIO damnifica sit & detestabilis, pessima tamen atque turpissima illa est, quæ in ipsa Ecclesia locum inveniens, DEO sacratos homines, gregis christiani pastores, animarumque curatores ita occupat & invadit, ut munera splendidiora *incaute potius* (ut Magnus Gregorius loquitur) *expetant, quam caute eorum pondera declinent.* Quinimò (graviter dicente Isidoro Hispalense) suæ magis utilitatis causa, quam gregis præesse desiderent, non ut prosint Præsules fieri cupientes, sed magis ut divites fiant & honorentur, abjecto opere, solam nominis ac regiminis appetentes dignitatem. *Etiam* (ita suo ævo illacrymans exclamnvit Cyprianus) *in sinu Sacerdotum AMBITIO dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat!* Et quemadmodum Satanas execrando hoc vitio ter ipsos tentavit Apostolos, ita eodem glaucomate summos quosque Ecclesiarum præfectos tantoperè fascinavit, ut ad ambitiosi Diotrephis exemplum supra cæteros sese extollere, dominatum in cunctos exercere, éque suo arbitrio nihil non agere disponereque sategerint. Si ulli mortalium, Theologi certè & Ecclesiarum Antistites detestari deberent summè perniciosam ambitionis pestem, cum tristis omnium ætatum experientia abundè docuerit, per illam innumeras & HÆRESES & CONTENTIONES

Greg. M. initio pastoral.

Isid. Hispal. lib. III. de summo Bono cap. 34.

Cyprian. de jejun. & tentat. Christi x. 18.

III. Joh. ℣. 9.

NES in DEI Ecclesiam fuisse invectas. Non minus ingenii, quam doctrinæ luce clarissimi Doctores (veluti illustria quædam sidera) de cœlo lapsi, inque FATUOS IGNES urgente sola ambitione sunt transmutati, posteaquam hæresum abominandarũ, schismatumq; perniciosorum conditores evaserunt. Sic Valentinum inde factum fuisse hæreticum, quod alium sibi in dignitate prælatum ægrè tulisset, Tertullianus tradidit. Sic Tatianum celebrem illum Justini auditorem, MAGISTERII PRÆSUMTIONE elatum & inflatum, cum Valentino & Saturnino hæresiarchis conspirasse memoravit Irenæus. Sic Arium spe consequendi supremi in Ecclesia Alexandrina fastigii frustratum, æternam Christi arrosisse divinitatem; Novatum quoque eandem ob causam in tantam desperationem incidisse, ut ab Ecclesia se ipsum segregare, proprios cœtus cogere, novamque per defectionem hæresim instituere non dubitarit, priscæ Ecclesiæ clarissima monumenta loquuntur. *Ego findam Ecclesiam vestram* (dicebat Epiphanio teste Marcion,) *& mittam fissuram in ipsam in æternum; Et revera fissuram* [addit idem] *immisit non parvam, non tamen Ecclesiam diffidit, verum se ipsum, & omnes qui illi obediverunt.* Quas turbas AERIUS Hæresiarcha homo procax dederit, eo quod non potuerit creari Episcopus, sed Presbyter semel creatus, semper in ea functione permanserit,

Tertull. lib. cont. Val. c. 3. Iren. adverf. hæref. lib. I. c. 31.

ex ejusdem Epiphanii indicio didicimus. Alii insuper flante & infestante ambitionis vento de bonæ mentis statu, veræque felicitatis fastigio ita sunt deturbati, ut per sycophanticas imposturas ad episcopatum tendere cogitarint. *Quemadmodum Timotheus quidam Ælurus* (teste Theodoro lectore) *immodica honoris atq; dignitatis siti tantoperè laboravit, ut inauditis etiam præstigiis atque machinationibus episcopalem thronum occupare tentarit, cellas nimirum Monachorum noctu circumiens, singulosq; nominatim appellans, cumq; is qui nominatus erat, respondisset, ipse unum ex Angelis se esse dicebat, ad hoc missum, ut singulis denunciaret, ne alium præter Timotheum Ælurum eligerent Episcopum, semetipsum hâc ratione cunctis designare non dubitans.* Æque pudenda sycophantia [Nicephoro tradente] FLAVITAS quidam sedem Constantinopolitanā post Acacii Patriarchæ obitum invasit ; Post Acacium (*en ipsa Historici verba* !) Flavitas Constantinopolitanum suscepit Episcopatum : Vir, qui quidem presbyter esse visus sit, sed usque adeò ad audaciam & improbitatem summam pervenerit, ut id quod dicturus sum facinus, satis qualis

Theod Lector Lib. I. Hist. Ecclef. fol. 553. edit. Valesiana 1673. Niceph. Lib. XVI. cap. 18.

lis fuerit indicare poſſit. Zeno chartam puram in ſacro repoſuit altari, DEOque per ſcriptum ſupplicans, ut angeli manu quæ in hominum conſpectum non veniret, nomen ejus adſcriberet, quem cœleſti calculo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ epiſcopum vellet præfectum, indicto ob eam rem quadraginta dierum jejunio. Hæc ubi Flavitas cognovit, auro multo templi cuſtodem corrupit, ut nomine ſuo chartæ inſcripto, eam Imperatoris rurſus obſignaret ſigillo, quo tandem derepente Flavitas velut à DEO deſignatus Epiſcopus, ſaltu magnifico in Patriarchæ thronum conſcendit. Non diu tamen piaculum tantum omnipotens providentia latere paſſa, ſcenicam illam illuſionem quamprimum in apertum produxit. Infelix enim ille cum non totos quatuor menſes in ſede ea transegiſſet, morte ſublatus eſt repentina, prius quam ne dimidiam quidem ejus pecuniæ partem, qua epiſcopalem dignitatem redemerat, corradere potuiſſet. Aſt cum argentarii pecuniam nuper admodum mutuò datam ab hæredibus exigerent, nec illi eſſent

ſolvendo, commiſſa fraus omnibus, ipſique Zenoni Imp. fuit patefacta, qui obſtupeſcens, non à Chriſto ſed Chryſo Flavitæ nomen chartæ mandatum fuiſſe deprehendit. Nec prætermittendum cenſeo id, quod Magnus Gregorius alicubi memoravit Ambitionis horrendum documentum: Cum Archidiaconus quidam Canuſinus inſano adipiſcendi Epiſcopatus deſiderio eſſet accenſus, Sabinum Epiſcopum veneno extingvere molitus eſt, cumque vinifuſoris animum corrupiſſet, ut mixtum vino venenum ei præberet, Sabinus quidem ſine vitæ diſpendio id ipſum hauſit, ſed Archidiaconus eâ ipſa hora miſerè periit, quaſi per os Epiſcopi ad viſcera ejus venenum tranſiiſſet; *Sic illi* [notanter addit Gregorius] *ad inferendam Epiſcopo mortem, venenum corporale defuit, ſed ſeipſum in conſpectu judicis, malitiæ ſuæ veneno occidit.* Taceo alios infeliciſſimos exitus eorum, qui per ambitionem ad dignitates eccleſiaſticas adſpirare non dubitarunt.

Greg. M. lib. III. Dial. c. 5.

VII. Taceo item magis horrendas elatorum quorundam Clericorum tragœdias, invaſiones ſedium plusquam tyrannicas, innumeras de primatu contentiones, internecina odia litesque, quæ bellis nonnunquam longè graviſſimis anſam dedêre & occaſionem. Optimè Bernardus Ambitionem [Clericorum cumprimis]

Bernard. Serm. 6. ſuper Pſ. Quis habitat &c

mis]

primis] grande malum vocavit, secretum virus, pestem occultam, doli artificem, livoris parentem, tineam sanctitatis, vitiorumque omnium originem: Ut enim honores ac dignitates majores quidam (etiam sacro addicti ordini) obtineant, nihil non relinquunt intentatum, omnibus sese subjicientes, omnibus se affabiles præbentes, ipsum (si dicere fas est,) adorare audentes diabolum. Semper (observante Innocentio) Ambitiosi, sive Clerici sint sive seculares, sunt pavidi, semper attenti, ne dicant aliquid quod displiceat, humilitatem simulant, honestatem mentiuntur, affabilitatem exhibent, applaudunt & adulantur omnibus, statim verò ut ad honorem promoti sunt, extolluntur in superbiam, jactantiâ effrœnantur, prodesse non curant, sed gloriantur præesse, præsumunt se meliores, quia cernunt se superiores, veteres dedignantur amicos, vultum avertunt, cervicem erigunt, grandia loquntur, sublimia meditantur, molesti, infesti, graves & importuni omnibus. Oleum, cum semel super alium adscenderit liquorem, nunquam nisi violenter & ad momentum duntaxat demergitur, operam quasi navans, ne liquor cui accessit in sublime feratur, sic & ambitiosi, (etiam Clerici) semel è loco humili emergentes, toti in deprimendis aliis, licet doctioribus & melioribus sunt occupati, miris etiam fraudibus, technis calumniisque impedientes,

Innoc. de vilitate humana condit.

altiora conscendere (scil. per ambitum) *quid aliud agit, nisi ut crescendo decrescat, & adscendendo exterius, interius ad profunda descendat.* Crescit quidem aquâ infusâ vinum in dolio, ast crescendo decrescit, cum hoc modo virtutem perdat & vigorem; sic & ambitiosus eodem Gregorio notante, crescendo decrescit, omnem generosi animi amittens vigorem, magnus in speciem evadens, reapse fit minimus, & hîc & alibi supremâ felicitate destituendus, sempiternoque puniendus exitio. Quis igitur literatorum non horrescat vel ad solum AMBITIONIS nomen? Quis cœca adeò cupiditate ad fallaces illas dignitates curreret, tanquam sine angore onereque victurus, cum potius ad honores fugaces, ad labores veraces sit perventurus? Cane pejus & angve, DEO Musisque sacrati fugiant pestem illam execrabilem, ne & ipsi miserè tandem aliquando pereant, contemnant honorem *tam vilem* (ut sapiens ait) *dum efflorescit, tam lubricum dum splendescit, tam inconstantem dum evanescit.* Nec minus sibi eruditorum singuli persvadeant, in nullam rem oleum futilius impendi & operam, quam HONORIS & DIGNITATIS conquisitionem, siquidem id periculosæ adeò aleæ plenum sit opus, ut ubicunque fastigium, illic finitimũ quoque sit præcipitium, nemo altius cadat, quam qui adscenderit altiꝰ, cum culmina ut plurimum fulminibus tangantur, illosq; primùm

mùm fortuna dejiciat, quos ut primos extulerit. Hoc cum abundè perspectum sit & exploratum, quid est cur eruditi optare tantum, ne dicam sollicitè captare velint fluxi honoris auram, cur ullatenus turbari vel ablato, vel non delato isto coloris tam citò evanescentis pigmento? Si mentis illuminatæ oculos aperirent, facilè perspicerent, id, quod homines HONOREM vocant & dignitatem, purum putum nihil esse, quod qui sectetur, velut umbra delectetur, prætermisso corpore, atque inani imagine capiatur. Ostensuri Veteres, quantum AMBITIO malum sit, fabulas atque apologos advocarunt, ingenioseq; nonnunquam sunt mentiti. Quidni enim horribilis Phaëthōtis casus adaptari posset cuivis LITERATO AMBITIOSO, per suam & aliorum ruinam ad honores grasanti, qui tamen fulgori dignitatum propius accedens, decussis temeritatis suæ alis, utplurimum gravissimo summeque miserabili corruit lapsu. Nec minus ABIETEM, proceram suam staturam & pulchritudinem intemperantius jactantem, rubumque præ se contemnentem in eos convenire sunt arbitrati, qui res arduas, suprema honorum sedilia, aliaque supra vires posita negotia aggrediuntur, cum extremo quidem suo & aliorum etiam exitio, ita enim Rubus Abieti:

- - Nunc læta quidem, bona sola fateris,
Et frueris nostris imperiosa malis.

Sed

Sed cum pulchra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas.

Non fictis autem sed factis evidentioribus alii summam ex Ambitione miseriam adumbraturi, LUCTATORES attulêre in medium, qui eodem tempore, quo æmulum colluctatorem in sublime elevent, nullo id alio fine agant, quam ut ipsum tanto vehementius terræ allidant. *Tolluntur scil. in altum, ut lapsu graviore ruant.* Quanto amplius nubes supra nos cœlum versus elevantur, tanto citius à radiis Solaribus dissipantur & evanescunt: *Nubes quippe* [appositè ait Gregorius] *in alto eminet, sed hanc ad cursum flatus impellit: sic sunt temporalia iniquorum bona,* (fluxæque dignitates) *veluti in alto quidem per honoris celsitudinem degere videntur, sed ad cursum vitæ quotidie velutì quibusdam mortalitatis suæ FLATIBUS impelluntur; Salus (HONOR) ergò ut nubes transit, quia perversorum gloria, quæ alta est, FIXA non est.* Hinc FUMO etiam subitò adscendenti, mox verò deficienti & prorsus evanescenti, Ambitiosorum conatus respondere idem Gregorius notavit: *Fumus quippe adscendendo deficit, & sese dilatando evanescit, sic videlicet fit, cum peccatoris* (ambitiosi) *vitam præsens felicitas comitatur, quia ostenditur ut*

Confer Hugo Cardin. in Psal. 72.

Gregor. M. lib. XX. mor. cap. 10.

Idem lib. 1. Regim. epist. 5.

ut ALTUS sit, inde agitur UT NON sit. Nec ſolum ut non ſit, verum etiam ut æternum ipſi MALE ſit, cum Petro Bleſenſe eleganter dicente, MULTORUM DOMINATIO, EORUM SEMPITERNA SIT DAMNATIO, eosque cum Dignitatibus ſuis tandem infernus miſerrimè abſorbeat.

VIII. Potiſſima autem ratio ob quam Doctori chriſtiano honores & dignitates fugiendæ, imò formidandæ & contemnendæ penitus, PRÆCEPTORIS SUI AMOR eſt, atque IMITATIO EJUS, qui non ſolum nullos honores appetivit efflagitavitque, verum etiam ſibi conſtitutos & delatos omninò recuſavit. Quid igitur vero Chriſti diſcipulo, ſinceræque humilitatis in Rectoris tanti Academiâ ſtudioſo, quid inquam illi cum Mundi diabolique pompâ, cum dignitatibus, cum pudendo hominum faſtu? procul ab eo ſit LUCERE velle, qui LUGERE potius deberet, procul mundani honoris appetitus, qui Chriſti profitetur imitationem. Quid monſtro ſimilius, quam Mundi appetere gloriam, & vitam in Chriſto abſconditam elegiſſe? Quamvis tepidis & elatis quibuſdam abſurdum adeò non videatur, imò rationi maximè conſonum putetur inſitum nobis adſcendendi deſiderium, tanto magis tamen piè literati infernalem illum ſerpentem horruerunt, quanto frequentius huc uſque in Orbe chriſtiano

ſtiano is ſuam deſpumavit fœditatem. Nec ſolum optimi quique Chriſti imitatores blanda illa ſeculi delinimenta tanquam venena rejecerunt, verum ad Magiſtri communis humiliationem cæteros ſtudio ſingulari ſunt exhortati. Aurea profectò ſunt, omnemque humanam ſapientiam tranſcendunt illa Magni Gregorii verba: *Diligenter* (inquit) *animadvertant oportet, quantoperè juvet, ac conferat ad vitæ ſpiritualis profectum omninò abhorrere ab omnibus quæ Mundus amat, & concupiſcere totis viribus quicquid CHRISTUS Dominus noſter amavit & amplexus eſt. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi ſunt ſequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores ſcilicet, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut mundus eos edocet; ſic qui procedunt in ſpiritu, & ſerio CHRISTUM Dominum noſtrum ſequuntur, amant & ardenter optant, quæ ijs omninò contraria ſunt, indui nimirum eâdem veſte, ac inſignibus Domini ſui pro ipſius amore ac reverentia, -- quandoquidem illa ipſa propter majorem noſtrum profectum induit, nobiſque exemplum dedit, ut in omnibus quoad ejus fieri poterit, divina gratia*

Gregor. M. lib. V. Mor.

tia aspirante eum imitari & sequi, cum vera sit via quæ ducit homines ad vitam, velimus. Nihil profectò aut nervosius, aut fervidius ad Honorum, ipsiusque contemptûs humani contemptum, ardentemque humiliationis amorem imprimendum dici potuisset, vix significantioribus verbis Cœlestis sapientia circumscribi; quæ tametsi Mundanis absona, absurda imò delira videantur, eo ipso tamen acrius cunctos doctrinæ & vitæ Christianæ Professores ad Mundi & quæ in eo sunt dignitatū despectionē excitare deberent. Pudeat imitari contemnentes parviq; pendentes illustre hoc sapientiæ genus, quod stultam reddidit universam hujus mundi scientiam. Hanc unam PHILOSOPHIAM toto amplectantur animo eruditi, quotquot ipso etiam cognomine Christi nomen profitentur. Sint licet proniores ad in anem illum honorem doctrinæ & vitæ profanæ cultores, cum damno & periculo suo maximo; Nos tamen tot modis initiati, tot Sacramentis CHRISTO adacti, fœdum ac turpe putemus illius nescire dogmata, vel contemnere præcepta quæ certissimam omnibus præstant felicitatem. *Si quid* (ita scitè Erasmus) *à Chaldæis aut Ægyptiis adfertur, id ob hoc ipsum acrius avemus cognoscere, quod è peregrino sit Orbe deportatum, & pretii pars est è longinquo venisse.*

Des. Erasmus in Adhort. ad Christ. philos. stud. Tom. V. opp. fol. 117.

At

- - *At qui fit, ut hujusmodi cupiditas non item Christianos titillet animos, quibus persuasum est, id quod res est, hanc doctrinam non ex Ægypto Syriave, sed ex ipso venisse Cælo? cur non ita nobiscum cogitamus omnes? Novum & admirabile Philosophiæ genus sit oportet, quod ut traderet mortalibus, is qui DEUS erat, factus est homo; qui immortalis, factus est mortalis, qui in corde Patris erat, sese dimisit in terras. Magnum quiddam & haudquaquam triviale sit oportet, quidquid illud est, quod ille tam ADMIRANDUS AUTHOR, post tot excellentium Philosophorum familias, post tot insignes Prophetas docturus advenerit.* Quodnam illud? Est quidem arduum, ast valdè eximium sinceræ HUMILITATIS genus, quod suo non minus exemplo, quam ore sanctissimo supremus ille Doctor toties commendavit. Hoc Daducho incitati, hoc spiritu impulsi, proniores longè ad fluxarum dignitatum contemptum, atque continuum humilitatis exercitium simus, quam profani illi turgidique literiones ad honoris inanis captationem. Sit licet molesta admodum carni despectio Honoris, potentissimus tamen est amor tanti Præceptoris JESU,

Matth. XI. Discite à me quia mihi sum & HUMILIS CORDE.

SU, ſatiſque efficax, ut cuncta acerba condiat atque ſvavefaciat. In nulla re verus amator Salvatoris majus gaudium majoremque inveniet voluptatem, niſi imitatione ejus, qui omnia ſeculi delinimenta veluti venena nocentiſſima repudiavit. Hinc tantoperè in laboribus, ignominiis, infirmitatibus omnique humiliatione gloriatus eſt Apoſtolus, ut mundo ſeſe crucifixum & ſibi Mundum enunciarit, cum ea quæ Mundus æſtimet veluti inanes pompas, ambitioſas ceremonias, primos accubitus, magnificoſque inceſſus omninò ſit deteſtatus, ſicq; ex animo ſe ipſum deſpiciens, nullam adverſariorum curarit ignominiam, quin potius ſvavi & jucunda perpeſſione omnem injuriam exceperit. Et ante Apoſtolos eodem ſpiritu afflatus ipſe Domini præcurſor, non ſolum cunctos HONORES fugit, omnia ſibi negans, ſummæque authoritatis nomina, Prophetæ ſc. & Eliæ reſpuens, (cum pluſquam Propheta, & ob divinæ gloriæ zelum in Scriptura Elias vocatus eſſet) ſed de humiliatione ſui ſummoperè eſt lætatus: *Hoc gaudium meum* (ajebat) *impletum eſt, illum oportet creſcere, me autem MINUI.*

IX. Idem planè Chriſti Spiritus nefandæ elationis Ambitioniſque ſpiritui oppoſitus, optimorum priſcæ Eccleſiæ Doctorum pectora ita occupavit inhabitavitque, ut cunctos *honores*

nores ipſasque Eccleſiaſticas dignitates viriliter rejecerint, ſaltim non niſi inviti coacti atq; cum ſummo ſuſceperint horrore. Sic Taumaturgus ille Gregorius (teſte Nyſſeno,) omnibus ſeſe abſcondebat modis, ne Eccleſiæ Neocæſarienſi præficeretur. Licet Cyprianus divino non minus nutu, quam univerſæ Eccleſiæ Carthaginenſis ſuffragio electus eſſet in Epiſcopum, attamen tantum honorem ſubterfugit initio, eo ſe ipſum planè indignum reputans, tandem non niſi invitus acceptavit. Quemadmodum de Cornelio Epiſc. Rom. idem Cyprianus teſtatus eſt, cum nec poſtulaſſe epiſcopatum, nec voluiſſe, nec vi ut cæteri (quos arrogantiæ ſuæ tumor inflet) invaſiſſe, neque laboraſſe ut Epiſcopus fieret, ſed vim paſſum fuiſſe, ut Epiſcopatum coactus acciperet. Idem animus inſedit tum ſancto Nicolao, contra voluntatem ſuam Myrenſi Eccleſiæ præfecto, tum Magno illi Baſilio, fugienti primum, dein gravem infirmitatem ſimulanti, cum poſt Euſebii mortem ad Cæſarienſis Eccleſiæ gubernationem eſſet evectus. Quanta cum induſtria quibuſve artibus Nazianzenus Epiſcopale jugum à ſe excuſſerit, ipſemet pluribus epiſtolis indicavit. In carmine ejus de vita propria hæc notatu digniſſima verba leguntur:

Gregor. Nyſſ. in vita Gregor. Thaumat.

Pontius in vita Cypriani.

Cyprian. lib. IV. epiſt. II.

Gregor. Naz. in ſivit. Basil. M.

--- Sacris me collocant hi in ſedibus
flentem gementem.

Et de Magno Baſilio diſertè ſcribit, *quod epi-*

scopalem potestatem neutiquam sit furatus, neque eâ per vim potitus, neque honorem persecutus, sed quod ab HONORE ipse quæsitus fuerit. Quamprimum devotissimus ille EPHRÆM SYRUS intellexit, quosdam sibi ad supremam in Ecclesia dignitatem esse suffragatos, omni studio eorum sese opposuit conatibus, pariter ut insignis Ecclesiæ Mediolanensis Præsul D. AMBROSIUS, Cleri plebisque erga se favore deprehenso, delatum modis omnibus recusavit honorem, præter morem, severum durumque sese ostentans omnibus, Tribunalque conscendens, reis adhiberi tormenta jubens, quasi Vir sanguinis esset, Sacro planè indignus ministerio. Sic & Johannes Chrysostomus, & ipse Augustinus multis diversisque modis impedire studuerunt, ne onus episcopale eorum humeris imponeretur, amplius autem resistere non valentes, multis obortis lacrymis, ac tremebundi acceptaverunt, etiam atque etiam deplorantes, quod CHRISTI Sponsa, Ecclesia, sibi omnium indignissimis fuerit commissa. Quibus accedat memorabile GREGORII MAGNI exemplum, is Episcopo Pelagio peste sublato, omnium consensu successor electus, alieno vestitu aliquandiu in quadam spelunca delituit, extractus verò rituque veteri consecratus, tantum intus sese perdidisse cum dolore pro-

Gregor. Naz. epist. xxxi xxxii. & XLII. Conf. Orat. ejus de non affectata cathedra Constantinop. It. carmen de vit. prop. Paulinus in vita Ambros.

pronunciavit, quantum foris in speciem sit consecutus, ægerrimè etiam ferens, *quod* (ut ipse dicebat) *sub episcopatus colore ad seculum reductus, tantisque terræ curis denuò sit involutus.* Quid multis? Omnes genuini supremi Doctoris discipuli, inque Veteri ejus Academia sinceræ humilitatis professores, non solum cunctos formidarunt honores, sed in ipsa etiam abjectione contemptuq; sui maximoperè sunt lætati, probè perpendentes, quantus honor apud DEUM sit CONTEMNI A MUNDO, quantaque gloriæ usura hanc gloriosam ignominiá sit exceptura. Porrò cum DEUM solum honore dignum reputarint felices illæ animæ, de divino tantum honore promovendo (sui prorsus immemores) etiam atque etiam fuêre solliciti, ideoq; ad ipsam honoris vocem exhorrescentes, & grande scelus ingensque delirium esse putantes, si de exaltatione sui cogitatio fortè animum subiisset. Cæterum, & illa fugiendi honoris contemtusque appetendi causa accesserat, ne scil. in hâc vitâ mercedem suam recipientes, in altera illa cœlesti favore æternaque felicitate prorsus destituerentur, quâ ipsa ratione Basilius unicè propemodum est usus, cum hominibus DEO sacratis fluxi Honoris fugam summoperè commendasset: *Prorsus* (ait egregiè) *ab omni AMBITIONE alienum habere animum* (DEO sc. devotus) *debet. Nam si in hâc vitâ laboribus, ac rectè* Basil. in constitut. cap. 25.

factis suis esse præmium velit, misera profectò illius mercedis conditio est, qui pro æternarum rerum jactura caducas paciscatur, si verò secum decrevit, velle se in hâc vita agonum perferre labores, non modo honores ultrò ipse consectari non debet, sed ne oblatos quidem admittere, potiusq; recusare, atque rejicere, ne consequentis vitæ gloriam præsentis honor imminuat, quandoquidem præsens vita universa laborum est, atque certaminum; contraque futura in præmiis compensationibusque est posita. - - Proinde si habes in animo in futurum regnare, hic noli otium, NOLI HONOREM consectari.

Gregor. lib. III. Mor. c. 22. Similiter Gregorius ad formidinem honorum in servis DEI generandam sanctè philosophatus est, pulchrè insuper ostendens quanta pericula honoribus & dignitatibus immineant, siquidem eædem optimorum etiam mentem si non elevent, maximoperè tamen perturbent. *Idem lib. V. c. 22.* Quid vulgatissima ista sententia verius, quid etiam horribilius: HONORES MUTARE MORES? cum & ista vitæ hujus prosperitas periculosum adeò habeat virus, ut bonis plerumque moribus apprimè sit infesta, neque solum certissimum superbiendi periculum, verum etiam omnium virtutum reliquarum miserum discrimen illud excipiat. Et cum in inqui-

inquisitione & appetitu honoris inordinato gravius periculum lateat, quam in minus voluntaria possessione, hinc illæ terq; quaterq; felices pièliteratorum animæ, sollicitè & istud fugerunt pietatis veræ detrimentum, quod ipsum considerans laudatus modò Basilius, sapientissi *Basil. M.* mè pronunciavit, *omnes à propudioso Honoris* *l.c.* *desiderio captivos, invidos esse, contentiosos, insimulatores*, impudentes, calumniatores, assentatores, veteratores, humiles ubi non conveniat, illiberales, gloriosos, sexcentis denique aliis hujusmodi turbis vitiisque refertos; exactiusque miserum illud umbraticæ gloriolæ mancipium delineaturus; *Quinimò* (ait) *sæpenumero idoneorum etiam interitum exoptabit, quò videlicet, sublatis de medio qui tales sunt in deferendis muneribus, necessario suffragia ad ipsum deveniant, proin & iis penes quos deferendi honores potestas residet adulabitur, plurimaque illiberaliter aget atque serviliter, adversus inferiores verò superbè se atque præfidenter geret, dolos varios consuens, suspiciones sibi perturbationesque innumerabiles accersens, omnem tandem à se animi fugans tranquillitatem.* Quamvis denique tuta omnia & extra salutis æternæ periculum essent tendentibus ad altiora, illud saltem maximorū Virorum animis ob-

versabatur damnum, quod per splendida munia ad honoris sedilia evecti & sublimati, neutiquam sibi feliciter adeò vivere, proprioque vacare profectui queant, sed in mille curas utplurimum abrepti, suaviora amœnioraque studia omninò negligere cogantur. Quam ipsam ob causam eloquentissimus ille Philosophorum Christianorum Synesius, à Ptolemaidensibus ad episcopale munus postulatus, id nequaquam sibi recipiendum judicavit, *quoniam scil. sacrum illud officium* (uti ipse fratri suo Evoptio scripsit) *penitus à philosophiæ studio & rerum consideratione hominem avocet, animum curis negotiisque immergat, adeòque divinæ auræ particulam obruat & quasi extinguat, maximeq́ impediat, quo minus secundum solam mentem tanto onere pressus possit operari*, vel ut significantius verba Synesii juxta authenticum textum sonant: *Necesse quidem est ipsum* (Episcopum sc.) *tam multa unum negotia sustinere, quam multa cæteri simul omnes. Unus enim quæ omnium sunt* EFFICERE *debet, aut criminationibus omnibus obnoxius sit oportet. Quomodo igitur non ingentis cujusdam & maximi animi erit, tantam sollicitudinum molem,* pon-

Synes. Epist. CV. ad Evopt.

Conf. opera Synes. à Dion. Petavio Gr. & lat. edita Paris. 1631. *p.* 248.

pendusque sustinere, neque iis mentem obruere, nec in animo restinctam divinam particulam intueri, cum tanta illum studiorum varietas distraxerit? Nec me præterit, fieri istud à nonnullis posse, atque istiusmodi felicem indolem prædico, ac reipsa divinos illos viros esse censeo, quos assidua rerum humanarum tractatio nihil à divina consuetudine amoveat. Sed ego me ipsum intelligo, & ad urbem descendere, & ab urbe adscendere solitum, iisque rebus implicari, quæ ad terrena & infima detrahant, & quantis nemo dixerit sordibus inquinari. Sed cum excellentissimæ virtutis natura & indoles sit, ut splendidissimæ lucis instar, quæ præcelsa in specula refulget, omnium animos ad se convertat, omniumq; favorem blando quodam & occulto illicio sibi conciliet, hinc accidit, ut prælustre illud omnigenæ eruditionis lumen, invitũ plane ac reluctans Cyrenensis Ecclesiæ candelabro fuerit impositum, id quod disertis verbis ipse Synesius ad Ecclesiæ suæ Presbyteros scribens est contestatus; *Se nimirum Episcopi onus, totis viribus & omnibus machinis declinasse: Equidem non unam mortem pro ea functione* (pergit) *subiissem. Neq; enim satis mihi accomodatam rei dignitatem arbi-* *Synes. Epist. XI. ad Eccles. suæ Presbyter.*

trabar, sed quoniam mihi DEUS non quid cuperem, sed quod ipse vellet imposuit, eundem illum precor, qui vitæ gubernator extitit, ejus esse quod in gubernaculo dedit, moderatorem. Qui enim in philosophiæ otio, ac minimè negotiosa rerum contemplatione ætatem contrivit, tantumque vitæ curis ac molestiis tribuit, quantum ad eam quæ in hoc corpore degitur, vitam, ac civile in rebus publicis officium satis esset; qui continuis illis curis possum sufficere? aut qui me ipsum negotiorum turbis implicans in eas mentis pulchritudines animum possum defigere, quibus frui beati est otii, sine quibus mihi ac mei similibus vita universa vitalis esse non potest, equidem assequi minimè possum, DEO verò omnia ut ajunt possibilia, &c. ita Synesius.

X. Sed juvat paulò recentius consimilis generositatis exemplum sistere, dareque documentum. Cum Sixtus IV. JOHANNEM WESSELUM, Groningensem, Virum ætate sua literatissimum ob singulares animi dotes ad se traxisset, atque in hunc compellasset modum: *Fili pete a nobis quod vis, nihil Tibi negabimus, quod & nostram æstimationem, & tuam conditionem decebit*: Sanctissime Pater, (respon-

Vid. vita Joh. Wess. edit. cum vitis Prof. Groning. 1654. p. 18.

(respondit ille) Patrone clementissime, non est quod Sanctitatem tuam multum gravem, res magnas ut scis, nunquam quæsivi, rogo tantum ut concedas mihi ex Bibliotheca Vaticana Græca & Hebræa Biblia: Ea reposuit Sixtus, tibi dabunrur; *Sed Tu stulte, quare non petis Episcopatum aliquem, aut simile quidpiam?* Respondit Wesselus, quia iis non indigeo, sapientissimè scil. cum Ivone Carnotense judicans, *Episcopatum nil esse nisi cruciatum, omnem in Orbe sublimitatem, valdè naufragosam esse tempestatem*; quapropter & ipse modicis contentus, inter inferiora versari maluit, quam cum aquilis arduo volatu verberare nubes, & inter eas tandem vanescere. Ecquis verò hinc non videt, quam imprudentes, ne dicam excordes illi sint, quos vel ipsa Sacri muneris difficultas non terreat, quos item pudenda Ambitio potius, & carnalis aviditas, quam sincera DEI & proximi charitas ad sacra trahat pulpita? *Colligant hinc* (ita notanter & apposite Magnus Gregorius) *quiq; præcipites, cum quanta culpa cæteris præferri non metuant, si sancti adeò viri,* (DEOque verè sacrati literati,) *Ducatum suscipere DEO etiam jubente timuerunt.* Moyses suadente Domino trepidat, & infirmusquisque ut HONORIS onus suscipiat, anhelat, & qui ad casum valdè urgetur ex propriis, humerum libenter opprimen- Gregor. M. Pastoral. lib. I. cap. 7.
 dum

Greg. M. l. c. cap. 5. dum ponderibus ſubmittit alienis. At verò Sacrum illud officium, non ſolum non diligit omninò, verum etiam neſcit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis cæterorum ſubjectione paſcitur, laude propria lætatur, ad HONOREM cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. *NB.* Mundi ergo lucrum quæritur ſub ejus honoris ſpecie, quo Mundi deſtrui lucra debuerant. *Unde verò hæc ſitis* (ita quondam illacrymans exclamavit Cyprianus,) *pectoribus aſſidet miſeris, & AMBITIONIS ſalſugo bibulam animam occupat, ut PER FAS ET NEFAS ad loca ſuperiora, etiam de latebris eremi nonnulli ſe ingerant, & de omni gradu, ubi aliquis aditus patet, anheli prodeant, diſcurrant ad Judices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, ut ſedeant cum Principibus.* *Cypriano de Cardinal. Chriſti opp. in prol.* Quod ſi verò ipſo Cypriani ævo illa peſtis Clericorum animos tantoperè invaſit, quid mirum quod ſuperior locus, excelſiorque cathedra hodienum à multis ſollicitè adeò deſideretur, quæratur, ematur, & abſque timore obtineatur, cum quale ſit onus prorſus ignoretur. *Laur. Juſtinian. Libro de diſcipl. mon. c. 9.* Attendunt hujuſmodi [dicente non nemine,] præſentia, futura neutiquam proſpiciunt, magni æſtimant ſi præ-

præponantur cæteris, si aliis imperent, si honoribus extollantur; gaudent juxta Domini sententiam ab hominibus vocari Rabbi, & à subditis Patres nuncupari. ATTENDUNT QUID ÆSTIMENTUR, NON QUID SINT, nec considerant ipsi elatione tumidi, mente cœcati, intentione corrupti, & moribus perditi, quam sit breve ipsorum gaudium, quam formidabilis status, quam fugitivi honores. Nam tanquam somnium de strato surgentium est vita hæc, & instar puncti omnis ipsius delectatio, labitur enim cum tenetur, amittitur cum possidetur, nihil in ea stabile, nihil mundum, nihil securum, nihilque æstimatione dignum. Quo dulcius honor tenetur, eo durius ac laboriosius relinquitur, & quanto quis sublimior fuerit, tanto majora ab eo exigentur, teste namq; Scripturâ judicium durissimum his qui præsunt fiet. *Ast NON OMNES CAPIUNT VERBUM HOC* (ita satis apposité inquit Magnus Bernardus) *multi alioquin non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum.* Cæterum (scribit porrò) curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine, & doctis pariter ac indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque *Bernardus Epist. XLII.*
victu-

victurus ſit, cum ad curas pervenerit. Nec mirum id de his, qui nec dum in ſemetipſis experti ſunt; videntes quippè illos, qui jam proprios humeros cupitæ ſarcinæ ſubmiſerunt, non ſolum non gemere quaſi ſub onere, ſed etiam APPETERE PLUS ONERARI, non deterrentur periculis, qui cupiditate cœcati non vident, ſed favoribus amplius, quos illis invident, provocantur: O INFINITA SEMPER AMBITIO! Cum primos honorum gradus meruerint in Eccleſia, meruerint autem vel vitæ merito vel PECUNIÆ, ſive etiam CARNIS ET SANGVINIS, quæ Regnum DEI non poſſidebunt, prærogativâ; non ideò corda quieſcunt, duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo utique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celſiora ſublimentur, verbi gratia, cum factus quis fuerit in quâcunque Eccleſia Decanus, Præpoſitus, Archidiaconus, aut aliquid hujusmodi; non contentus uno in una, plures ſibi, imò quotquot valet conquirere honores ſatagit, tam in una quam in pluribus. Quibus tamen omnibus ſi locus evenerit, libenter unius præferret Epiſcopi dignitatem. Sed nunquid ſic ſatiabitur? Factus Epiſcopus, Archiepiſcopus eſſe deſiderat, quo forte adepto, rurſum neſcio quid altius ſomnians; laborioſis itineribus & ſumptuoſis familiaritatibus ROMANUM ſtatuit frequentare palatium, quæſtuoſas ſibi quaſdam exinde com-

comparans amicitias, &c. Ita Bernardus, qui non verbis ſolum ſcriptisque, verum ipſo vitæ modeſtiæque incomparabilis exemplo, ævi ſui Ambitionem retundere laboravit, nullas unquam ad Epiſcopatum (licet ſplendidas ſatis) vocationes admittens. *Quot Eccleſiæ deſtitutæ paſtoribus* (ita diſertè de eo vitæ ſcriptor) *eum ſibi in Epiſcopum elegerunt? Elegit eum domeſtica Lingonenſis Eccleſia, elegit Catalaunenſis, intra Italiam Civitas Januenſis, & Mediolanum Metropolis Ligurum hunc optaverunt Paſtorem & Magiſtrum, Remi nobiliſſima Franciæ civitas, ſecundæ Belgicæ provinciæ caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus poſtpoſitis, non ſollicitavit animam ejus honor oblatus, nec motus eſt pes ejus ut inclinaret ſe ad gloriam, nec magis eum delectabat tiara & annulus, quam raſtrum & ſarculus. - - Nec aliqua ſeculi hujus ambitione pulſabatur, qui ſolis cæleſtibus inhiabat.* Sic ipſum quoque Auguſtinum tantoperè reformidaſſe Epiſcopale onus conſtat, ut ingredi eas noluerit civitates, quibus noſſet vacare cathedram, ne fortè invitus ei præficeretur, curaque gravaretur animarum. *Usque adeò* (ita de ſeipſo alicubi) *timebam Epiſcopa-*

Serm. 49. ad divers. c. 1. conf. Epistol. August. 148.

ſcopatum, ut quoniam cœperat eſſe alicujus jam momenti inter DEI ſervos fama mea, in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, ne illo accederem, cavebam, & hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer.

Gregor. Naz. Orat. XX. in laud. Baſil.

XI. O quam præclarè, dicimus cum Nazianzeno, nobiſcum ageretur, ſi idem rerum noſtrarum ſtatus eſſet! Nunc autem (eheu!) periculum eſt, ne ordo omnium ſanctiſſimus, omnium maximè ſit ridiculus. Non enim virtute magis quam maleficio & ſcelere ſacerdotium paratur; nec digniorum ſed potentiorum throni [epiſcopales] ſunt. Antiſtes facilè invenitur non elaboratus, ſed recens, quantum ad dignitatem ſimul ſatus & editus, quemadmodum Poëtæ Gigantes finxerunt, uno die Sanctos fingimus, eosque ſapientes & eruditos eſſe jubemus, qui nihil didiceruut, nec ad ſacerdotium, quicquam prius contulerunt præter VELLE. Utinam hæc ſtudiosè conſiderarent, quicunque ardentius quam par eſt ad officia Eccleſiaſtica obtinenda feruntur! Utinam in illa quæ à DEO ipſis conceſſa eſt honoris ſorte acquieſcerent, nec ad altiores dignitatum gradus feſtinabundi adeò properarent, verum majorem in declinandis honoribus, dicam an oneribus, gravioribus, adhiberent prudentiam! Ex vetuſto Eccleſiæ ritu quisquis in Epiſco-

Episcopum olim consecrabatur, inter ipsa solennia rogatus à consecrante: NUM VELIT EPISCOPARI? semel iterum, tertio respondit: NOLO; invitum sese ordinatum fuisse subindicans, quippe qui tanto oneri sustinendo se imparem, tanto muneri exercendo inidoneum, tanto honore indignum esse, neque ambitione quapiam incitatum, verum Ecclesiæ necessitate adactum profiteatur. Tantum quippe [juxta Imperialem quandam sanctionem Corpori Juris Cæsarei insertam] ab AMBITU sepositus esse debet Antistes, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Ast parum observatæ sanctiores ejusmodi leges ab eo sunt tempore, quo enormes circa officiorum ecclesiasticorum collationem abusus in christianam Ecclesiam irrepsêre, sanctaque ministeria non hominibus ad ea idoneis demandata, sed pro superiorum favore & arbitrio, veluti præmia quædam sunt distributa. *Sicuti* (ita notanter scribit author Histor. Tr. Conc.) *primis Ecclesiæ temporibus personæ quæ Ecclesiæ necessitati inservirent, eligebantur, sic decursu* temporis, gradus dignitatis sive emolumentum, personæ qualitati fuêre adaptata. Res etiam eò rediit, *quod in dignitate personæ, unus ducenta, al-*

Leg. II. c. de Episc. & Cler.

ter trecenta beneficia tenuerit. Quo de enormi abusu etiam præter Gersonem Nicol. Clemangis gravissimis verbis est conquestus. Accessit frequens Graduum Ecclesiasticorum multiplicatio, nec non quæ iis annexa fuêre privilegia, immunitates, reditus & amplissimi principatus, quibus plurimorum Ambitio tantoperè fuit accensa, ut dies noctesque in illud unum incubuerint, quâ ratione & ipsi ad summæ dignitatis culmen pervenire queant, falsè eapropter à Bernardo haudque immeritò exagitati: *Festina* (ait) *multiplicare præbendas, inde ad Archidiaconatum evola, demum adspira ad Episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus, quia SIC ITUR AD ASTRA. Quo progrederis miser? quamdiu enim Ecclesiæ ministeria suam primævam retinuêre simplicitatem, spreta à Magnatibus jacuêre, non ea obierunt, nisi qui zelo DEI in animarum salute curanda ducebantur; postquam verò splendidis palatiis, patrimonio admodum opimo, pompa mundana quasi coruscabant, quisq; ea prensabat, non tam ut gregem curaret, quam ut haberet unde luxuriaretur, unde ditesceret.* Nec minus graviter Joh. Sarisberiensis conqueritur ætate sua non inventum nisi per rarum, qui accinctus

Gerson in tract. de defectibus Eccles. *Nicol. Clemangis in tract. de corrupt. Eccles. statu.* *Bernard. Serm. ad verba:* Ecce reliquim⁹ omnia.

Joh. Sarisber. lib. VII. policrat. c. 18.

cinctus fuerit super femur suum gladio ad præsumptionem hujusce ambitionis reprimendam. *Illa namq;* [addit notanter] *machinas multiplices erigit, ut expugnet nemine defendente.* Alius enim de NOBILITATE confisus, aut viribus potestatum, violenter in Sancta irruit, & si forte pulsat ad ostium, parietem aut limina effodere non veretur; nam & seditionem concitabit in Moysem, & alienum ignem in Templum inferet, & vasa Sanctuarii contaminabit. Alius sperans in multitudine DIVITIARUM, SIMONE DUCENTE ingreditur, non inveniens ibi, qui eum & pecuniam suam jubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clanculo tamen per impluvium auri, ac si per tegulas Jupiter elabatur in gremium Danaes, sic in sinum Ecclesiæ PROCUS DESCENDIT INCESTUS. Alius OBSEQUIO, quasi muneris ignarus, adest, ac si obsequia non cedant in muneris rationem; sed profectò nullum majus est munus, quam cum homo se ipsū devovet hominis servituti. Alium collusione quâdam liberalitas prævenit vocantis, sed postmodum collatam gratiam suo Giezi plenius compensabit. Alius agit ne ipsum pulsare oporteat, sed ad ingrediendum compellatur invitus, & quasi obnubilans lucernam DEI, ut eum impunè fraudulentius irrideat. Nec injucundum ex eodem Saresberiense discere

quam ſolerter olim perverſi quidam honorum eccleſiaſticorũ aucupatores eluere ſuas conati ſint maculas, omneſq; elidere objectiões. Subdit ergo l.c. ſequentia: *Plures incontinenter ambiunt, & impudenter, fruſtra enim ut quenquam eorum repellas, aliquem oppones titulum, quia clamore conductitio prævalente delebitur; concurrentibus* (ſcil.) *exemplis & ſanctionibus Patrum: IGNOBILIS eſt, ſed nec Petrus Patricius extitit, aut alicubi de claritate ſanguinis gloriatur. MINOR eſt? Hieremiam & Præcurſorem Domini habet authores. PUER eſt? monſtrat Seniores à Daniele puero condemnatos. ILLITERATUS eſt? Sed nec Scholas leguntur frequentaſſe Aopoſtoli. - - ELINGUIS eſt? Sed Aaron vices Moyſi qui erat impeditioris linguæ & ſacerdotium legitur miniſtraſſe. SCORTA SECTATUS eſt?* Sed Oſeas *mandante Domino amplexibus meretricis adhæſit. INSIPIENS eſt? Sed per inſipientiam Mundi decrevit DEUS ſalvare credentes - - - VINOLENTUS eſt & deditus gulæ? Sed Dominus ipſe dictus eſt, potator vini, vorator carnium. NON ACQUIESCIT MAIORIBUS? Sed & Paulus* in

Idem Saresb. c. 18. ibidem.

in faciem restitit Petro. CONTENTIOSUS *est*? Sed inter discipulos JESU facta contentio memoratur. MUTUS est? *Sed hoc Zachariam à Sacerdotio non exclusit.* ELECTIO *deest? Sed & Apostoli non petentibus populis missi sunt.* NON VACAT SEDES, *in quam possit intrudi; Accedat præsidenti; nam & Augustinus Valerio* Hipponensi *non tam successisse, quam accessisse describitur.* AVARUS *est? Dispersa poterit congregare, & inutiliter non distrahet congregata. Ut paucis universa complectar,* AD OMNIA INEPTUS EST? *Sed Samson mandibula Asini Philistæos expugnavit, potens est & nunc* DEUS *de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Ad hæc dubium esse non debet, quin cathedra Episcopalis sanctos recipiat, aut sanctos faciat, nam & cum Saul inunctus esset in Regem, insiliit in eum Spiritus Domini, prophetavitque & mutatus est in Virum alium; Caiphas quoque licet sacrilegus, ut qui cum Judæis conspiraverit in necem Salvatoris, cum esset Pontifex anni illius prophetavit, ut constet ipsum ex officio prophetiæ gratiam quam de-*

 me-

meruerat accepisse. Hactenus Saresberiensis. Æquè solerter ac studiosè quidam ævi recentioris Clerici annisi sunt amovere obstacula, quibus sæpè retardati sunt, quo minus cursu pleno ad concupitos honorum officiorumque gradus (præsentissimo sæpè animarum periculo sociatos) pervenire potuerint. *Video enim* (ait nonnemo) *rem eo loci devenisse, ut qui maximarum artium studiis dant operam, diligentius vulgo profiteantur, sese doctrinæ laude ecclesiasticam aliquam aucupari dignitatem; quo scil. Christo Domino & Ecclesiæ operam suam navent. Sed profectò miseri falluntur, quippe qui studia illa ad privatam magis referunt, quam publicam utilitatem, & quoniam verentur, ne DEUS ipsorum cupiditati non obsequatur, nolunt totã rem divinæ permittere voluntati.* Quid multis? Rarissima in Orbe Ecclesiastico avis est Pastor vel Episcopus diu reluctans & invitus muneri appositus. Avis inquam, non ex iis quæ agminatim cum multis incitato alarum remigio per aeris aperta spatia circumferuntur, sed tam rara & singularis, ut admirationi sit & cum plausu celebretur, ubi & quandocunque sui faciat copiam. Gloriatur in Novella quâdam Imperator Valentinianus & Marcianus, se venalem ambitum radicitus amputasse, & ad

ad res privatas vel publicas sincerissimè gubernandas traxisse INVITOS, adduntque, felicem fore Rempublicam, si à nolentibus & actus publicos repulsantibus regatur. Hoc ipso nomine honorificum in perpetui honoris TEMPLO locum ætate nostra obtinuit MATTHIAS HAFENREFFERUS, nimirum quod semper invito & reluctanti sacra commissa fuerint munera. Ita enim ex Eningâ præter expectationem suam tractus est ad Ecclesiastæ Aulici, & Sacri Consistorii provinciam; ex Aula ad professionem Academicam, & Ducalis Collegii ephoriâ, quantumvis precibus intercederet, nolens volens ductus est, demum ei etiam Cancellariatus Academiæ est concreditus, sed reluctanti, factumque inde, ut cuncti ejus labores, studia & actiones, felicissimum habuerint successum. Utinam Ecclesiæ semper & ubique hæc contigisset felicitas! utinam non multis in locis corruptionum sordes, & privatæ prævaluissent gratiæ, neque indignissimis, intercedentibus nummis, primariæ etiam dignitates Ecclesiasticæ collatæ fuissent! Ast quam severè Ambrosius ad eos qui olim dicebant: *Aurum dedi & Episcopatum comparavi;* Lepram (inquit) cum Giezi à sancto suscepisse se credant Helisæo, qui gradum Sacerdotalem pecuniis comparare æstimant.

Confer Templ. Hon. an. 1673. edit. p. 54.

Ambros. de dignit. Sacerd. cap. 5.

XII. Audiant hæc qui modis mediisque illicitis ad altiora dignitatum loca viam sibi muni-

munire, ac turpi ambitionis œſtro perciti, per fas & nefas ad ſuprema honorum faſtigia tendere non dubitant, neque DEI gloriam, neque populi profectum, ſed proprium duntaxat commodum atque emolumentum privatum, reſpicientes, & quæ ſua ipſorum ſunt, non quæ JESU CHRISTI quærentes unicè, Bileamo haud diſſimiles, qui Balaki promiſſis pellectus, populum Iſraëlis, niſi DEUS illum inhibuiſſet, exilio devoverat: *Valde cumulabo Te* (dicens) *honore, & quicquid edixeris mihi efficiam.* Quis lernam malorum quæ in Eccleſiam inde defluxêre, poteſt recognoſcere? quis tot coruſcantes ſtellas, quæ urgente hoc Satanæ angelo de cœlo cecidêre, animo valet revolvere, & non execrari abominandam illam philotimiam, quæ tot miſerias, tot calamitates, Eccleſiã ubiq; infeſtantes, plenis velis introduxit. Cur in mente auribusq; Doctoris Eccleſiaſtici vox aurea Magni cujusdam Oratoris non perſonet: *Ecce quomodo DEUS omnipotens in æternum ejiciat eum, qui in hominum gratia ſpem reponens, non admodum de bona vita & juſtis operibus ſollicitus eſt, modo ſibi benevolentiam conciliet. Ad rugiendum cum Eſau ille ſe comparet, qui putat perventurum ſe ad PRIMOS HONORES, natalium, non laborum meritis, nec virtutum* exer-

Phil. II. ℣. 21.

exercitio, sed VILI OBSEQUIO, & adulandi studio erga eos à quibus possit promoveri. Minime igitur spe adscendendi de favore gratiaque humana sibi concilianda DEO sacratus homo sit sollicitus, omniq; caveat studio, ne in fœdam adeò, & christiano homine nomineque prorsus indignam incidat idololatriam. Quod fretum tantos habet fluctus & commutationes? quem Euripum huic Euripo quis compararet? quæ Charybdis tam vorax, quod Mare tam fallax, infestum & scopulosum? Ecquis sine summa trepidatione tantis sese committere ausit fluctibus, quis ardenti quopiam desiderio erga tantam ferri tempestatem? Ingentia quorundam damna nos edoceant, haud grandiorem sumptum excogitari posse, quam quo hominum gratia comparetur, cum gemini, & quovis pretio majoris thesauri, FAMÆ scil. ANIMÆQ; perditio sæpè haud sufficiat ad Magnatum benevolentiam redimendam, aut dignitatem optatam consequendam, imò sæpius divina providentia factum sit, ut oculi ab infinitæ Bonitatis cœlestis throno aversi, inque hominum potentiam atque authoritatem conjecti, pro speratis eventibus prosperis, calamitates gravissimas & fulminantes miserias aspexerint. Quis denique à veritatis tramite aberrare diceret eum, qui pudendam illam mundani FAVORIS pariter ac HONORIS captationem, infrunitam-

que quorundam Ecclesiasticorum AMBITIONEM omnigenæ corruptionis nuncuparet seminarium? Siquidem omnium ætatũ historia testetur, illud hominum genus [quod spiritus divinus CURRENTIUM titulo designavit] aut enormes quosq; in Ecclesiã invexisse errores, aut satis frigide fidei & pietatis negotium egisse, imò frequenter gregem universum miserè decepisse & perdidisse. Quod si tales justo cœlestis gloriæ promovendæ fervore & studio, sanctoq; adeò flagrarent igne, ut pro SS. Numinis gloria atque Ecclesiæ emolumento maximos subire labores velint, sibi dictum putarent, quod Davidis olim filia, se furenter invadenti dixit Amnoni: *Loquere ad Regem, & me Tibi non denegabit*; cum Rege inquam COELESTI potius quam TERRESTRI loquerentur, tantoque feliciores in sacro officio haberent successus, quanto longius ab omni ambitu, CORDE HUMILES, abfuerunt.

Jerem. XXIII

II. Sam. XIII.

XIII. Neque verò hæc ita accipienda, quasi illicitum, prorsusque damnabile sit omne pro consequendâ vocatione ecclesiastica studium, aut culpanda sacra illa orexis, ipsius Apostoli calculo comprobata, sed quod DEO sacratum hominem minimè deceat immodicus honorum appetitus, neque conveniat sine legitima vocatione irruere in DEI domum Sacrique Honoris templum, cum nemo id ipsum in privati cujuspiam audeat ædibus, neque legatio-

I. Tim. III. ℣. 1.

tionis onera ſine Regis vel Principis nutu à privato quopiam (licet donis ſingularibus ad ea inſtructo) gerantur vel ſuſcipiantur. Idem de ſe quilibet ſupremò Regi devotus ſentiat, quod ſenſit olim Jeremias, qui cum à DEO ad rudes & ignaros populos ablegaretur, ſuam inſcitiam expoſuit, infantiam excuſavit, utq; onus illud effugeret, pueriliter balbutivit, ſicuti & anteà memorati priſcæ Eccleſiæ Doctores, ſacro quodam correpti horrore, latebras ad evitandum honorem quæſiverunt, divina tandem vi ad munera ſacra obeunda pertracti. Quos enim æterna DEI ſapientia ad ejusmodi gradus olim deſtinavit, eos tempore oportuno, quamvis refugientes, è latebris ſuis ac profugiis in lucem & Solem novit educere, atque ad Eccleſiæ ſuæ gubernacula miris admovere modis. Via nimirum hæc eſt ad primos HONORES Regia, admodum tuta, ſed parum trita, quo fit ut nō pauci ad altiora conſcendere cupientes, juſto DEI judicio deſcendere jubeantur, atque ſe ipſos exaltantes [juxta Salvatoris effatum] & hîc & alibi humilientur. Probè id ipſum conſiderans Baſilius; CAVEAT ſonorâ exclamavit voce, *omni ratione pietatis cultor,* [caveat dicimus cum ipſo, Clericorum & literatorum hominum quilibet,] *ne HONORES conſectetur, cæterisve ſe præponi velit; omnis enim qui ſeipſum exaltat, humiliabitur,* *Baſil. M. cap. 25.*

 &

& qui se humiliat exaltabitur. Si semetipsum pietatis cultor in altum extulerit, habet qui graviter ac potenter illum affligat, & ad inferos usq; possit deprimere; sin contra se ipsum humiliaverit, splendidissimè magnificentissimeq; extolletur, cum DEUS (qua ipsius potentia est,) humiliantem sese in altum extollat. Expectato igitur rectè extollentem, neq; ad res vitæ hujus cogitationem velis adjicere. Exemplum habemus angeli illius superbientis, qui dum exaltari voluit, humiliatus est ad inferos.

Isiod. Pelus. Lib. V Epist. 6 opp. p. 555. Nec minus graviter Pelusiota quendam, Episcopatum ambientem, compellavit ad hunc modum: *Si neq; Episcopalis dignitas, neq; dignum quid illâ à Te confectum, ac ne Apostolica quidem vox, Episcopi describens officium, neq; DEI incorruptum tribunal, quo certa definitaq; feretur sententia, nec deniq; aliud quid ab hâc Te amentia revocat, quid inepto, & à ratione omni abhorrente desiderio dignitatem mercaturum te speras? saltim externi seu pagani hominis exemplo pudore suffundaris. Ferunt enim Pittacum, accepta à Mitylenæis imperandi potestate, cum Phryonem Rhegiensibus præfe-*

Laertius in Pittaco.

ctum

ctum singulari jam certamine vicisset, Magistratu se abdicasse. Id factum cum Mitylenæi recusarent, vi eos compulit; quod privatus degere quam imperare mallet. Proprio itaq; periculo & sangvine imperium adeptus, sponte deposuit, pro quo acquirendo periculum adierat, principatum deposuit, etsi rationibus reddendis minimè obnoxium: Tu verò qui neq; dignus es, vel inter subditos numerari, magistratum mille rationibus reddendis obnoxium, & supra dignitatem omnem humanam, quem neq; sponte concessum suscipere debebas, eum continuo somnians, mercari non modo non erubescis, sed & extolleris. Ecquis igitur hanc tuam satis accuset audaciam?
Quodsi insuper tales Dignitatum sacrarum aucupes ad animum sibi revocarent, quod Honores semper prævia prærequirant merita, indignique ad eos evecti, majorem potius ignominiam quam laudem sibi adsciscant; quod item reverentia dignitati potius quam personis, perperam ad altiora evectis, veniat attribuenda, si pœnas denique, quibus DEUS in ambitiosos animadvertit assiduè cogitarent, minimè immodico adeò honorum atque dignitatum laborarent appetitu, nec ad celsiora loca

loca ſemper adſpirantes, perpetua tandem exitia incurrerent. Quid, quod in ipsâ muneris ſui adminiſtratione omnes illegitimè ſublimati, infelicem plerumque ſortiantur eventum, omnibusq; fiant ludibrio? Et ſicuti ingens honor gloriaque eos comitatur, qui ſublimioris officii candelabro meritis virtutibuſque ſuis id ipſum expoſcentibus imponuntur; ita præter meritum dignitati admotis, maxima ignominia atque dedecoris infamia accreſcet.

Nazian. orat. 1. DIGNITATIS SPLENDORE (ut ſcitè Nazianzenus de quibuſdam ſine merito ad Epiſcopatum evectis ſcribit) ERUNT INFELICES, eorumque MALITIAM (juxta Philonis effatum) *gloria reddet illuſtriorem.* *Eo deformiores* (dicente Bernardo) *erunt, quo SUBLIMIORES, imò quanto plus promoventur* (addit Dionyſius Carthuſianus) *ac ſublimantur, tantò magis eorum ſtoliditas oſtendetur;* tanto clarius ſimiarum ejuſmodi turpitudo apparebit, quanto altius adſcendent. Digniſſima obſervatu ſimilitudo Plutarchi eſt: *Si ſtatuam* (ait) *ruditer elaboratam & defectuoſam ſuper baſim quandam eminentius collocaveris, efficies, ut ejus in ſublimi poſita defectus facilius animadvertantur, quam ſi humi ſemper jacuiſſet. ad eundem quoq; modum multorum defectus non obſervantur aut notantur, quamdiu privatim vivunt, cum tamen mox ut exaltati, omniumque oculis expoſiti fuerint, defectus eorum omnibus manifeſti evadant.*

Philo de plantat. Noë. Bernard. lib. 2. de conſid. cap. 7. Dion. Carthuſ. in cap. I.I. Prov. ℣. 35. Conſ. Lyr. in eund. loc.

Quem-

Quemadmodum maculæ in ſordida quadam veſte minimè ita ſe produnt, nec tanti æſtimantur, ſicut in byſſo aut regia qnâdam purpura; ſic animi labes aut maculæ non adeo obſcuras infimaſq; deformant perſonas, quam illas quæ in clariori honorum ac dignitatum luce ſunt conſtitutæ. *Claras enim* (ait ad rē præſentem aptiſſimè Aureli9 Caſſiodor9, ille quondā à Regibus tantis in delitiis habitus Senator) *ſuas maculas reddunt, ſi illi, ad quos multi reſpiciunt, aliqua reprehenſione ſordeſcunt; alioqnin expedit non videri, quam cunctorum reprehenſione ſignari*; ita præclarè Caſſiodorus, cujus etiam cedro digna ſententia ſingularem meretur obſervationem: *Faſces accipimus, ut graves eſſe debeamus; Tribunalia conſcendimus, ut MORUM GRADIBUS EVEHAMUR: nil vile, nil cupidum Judicés* (omneſque adeò viros honoratos) *decet*, alias juxta ſapientiſſimi Regis ſententiam) EXALTATIONEM eorum maxima IGNOMINIA excipiet. Quid Habacuc turgido prædixit Chaldæorum Regi? *Replet9 es ignominia pro gloria; circumdabit te calix dextræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Pariter ambitioſi omnes, ordinario divinæ juſtitiæ conſilio, in omnium venient contemptum, cum talia ſæpè pro futilis honoris acquiſitione, tamque indigna & pudenda ſuſcipiant

Aurel. Caſſiod. lib. XII. epiſt. 2.

Prov. III. v. 35.

piant, ut omnium risui & contemptui exponantur. Quis autem venerabilior, quis honoratior vero honorum contemptore? Hunc mirantur homines, hunc amant: mirantur, videntes ea illum negligere, quæ ipsi adorant, amant autem, nullum ab eo ambitionis suæ adimplendæ metuentes impedimentum.

XIV. In tantæ igitur Virtutis christianæ palæstra, præter viros Ecclesiasticos, LITERATORUM etiam singuli sese strenuè exerceant, atque Maximorum illorum Doctorũ, ipsiusque Salvatoris vestigiis insistant, si ad supremi honoris culmen, VERÆQUE FELICITATIS LITERARIÆ fastigium pervenire velint, neque solum laudatissimis humilium exemplis, verum tristissimis horrendisque ambitiosorum turgidorumque Doctorum casibus edocti, sed & divinæ gratiæ radiis collustrati, omnem adscendendi libidinem protinus à se expellant, sitimq; honorum extinguant insatiabilem, ne cum miseris istis ad altiores dignitatum gradus adscendere cupientes, ipsi quidem, hîc ad ignominiam, alibi ad cruciatum sempiternum descendant. Atque ut tantò facilius & felicius intestinum illum flatum, animiq; perniciosum tumorem reprimant & retundant quilibet sinceræ humilitatis in Academia Christiana cultores & professores, etiam atque etiam ad mentem sibi curas molestiasque gravissimas revocent, quæ nullis non flu-

xi

xi honoris mancipiis sunt subeundæ: Nemo ambigit, quin longè sit facilius vallem perambulare, quam conscendere montem, paucissimi sunt, qui plus appetant laborem, quam quietem, bellum magis ament, quam pacem, damnationem præferant saluti; Quî obsecro LITERATUS obfuscatum adeò rationis habeat oculum, ut perspecto immenso Honorum onere non totus horreat & contremiscat? Quam multi summo conatu sese opponunt ambientibus officia, ne ea obtineant? Quantis odii spiculis, nefandæque maledicentiæ jaculis undique petuntur spirantes altiora? Sæpissimè amicum amicus, & patrem filius, Collega Collegam, urgente ambitione impugnavit, omnique virium nisu alter alterius retardavit adscensionem. Quid à pacatâ, sibique semper constante hominis eruditi mente magis alienũ, quam pudenda ejusmodi de re vanissimâ concertatio? Cur sibi umbraticæ dignitatis spe eripi patiatur pretiosissimum illum thesaurum, imperturbatam animi tranquillitatem? Gravissimorum Virorum judicio, vix dulciora erudito homini suppetunt solatia, quam si à curis molestiisque gravioribus liberatus, SIBI Musisq; optatius vivere queat, sicuti singularem hanc felicitatem, & quicquid inde boni nascitur Plinius Minutio suo Fundano hunc in modum commendavit: *Nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor,*

mecum

Plinius epist. ad Minut. Fund.

mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam sinceramque vitam! ô dulce otium! honestumque ac pene omni negotio pulchrius! O mare! ô litus, verum secretumque museum - - proinde Tu quoque strepitum istum inanemque discursum & multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio relinque. Ita Plinius, ad sapientissimi quidem Socratis exemplum, qui ab omni ambitu maximè alienus, tantumque animi tranquillitatem optans, inter libros suos chartasque sedebat, cum nil præter Alcibiadem Athenienses loquerentur, quemadmodum etiam duabus rebus, quæ languorem afferant cæteris, acui consvevisse animum Scipionis Africani Senioris M. Tullius tradidit: OTIO nimirum & SOLITUDINE *sic enim* (ait) *requiescens à Reip. muneribus otium sibi sumebat aliquando, & à cætu hominum ac frequentia in solitudinem sese tanquam in portum recipere solebat.* Nunquam sanè LITERATUS, felicis hujus tranquillitatis, & tranquillæ felicitatis metã attinget, ni inanẽ Honoris onerosi imaginem ex animo suo prorsus abjiciat, atq; potiorem prosperitatis literariæ partẽ in fluxæ dignitatis fugâ neglectuque collocet. *Egone* (dicens cum famigeratissimo quodam ævi hujus Philologo,) *aurum, aut HONORES avidè respiciam, qui quocunq; me convertam, nihil*

Cicer. lib. III. de offic. c. 1.

præter

præter animorum monumenta, magnis Viris superesse videam, corporis verò notas ne extare quidem usquam, cæterorum autem vix memoriam, aut nomen ad posteritatem pervenire. Me profectò ne movere quidem illa possunt, qui cum in TRANQUILLITATIS HOC ASYLUM me subduxi, quicquid reliqui sperare possunt, avidè obliviscor. Si quis quærat, cur tam pauci ita se exerceant, breviter id dicam: PAUCIS VACAT. Alii in aulis quippe vivunt; alii in foro, in corrupta Republica alii, ubi sensus animum, animus mentem involvit, ne intenta esse bono suo possit. Quod si Rhetorem in castris, Dialecticum in foro, Mathematicum in via meditari posse existimamus, credam eos quoque intentos esse posse, qui sic vivunt. Illa verò pars divina cum à corpore abire non possit, quantum potest ab hominibus recedit; & cum sola secum ipsa vivit, nulli quicquam invidere potest, cum placere sibi cœpit, omnes voluptates (honores) *præ se sprevit, veram enim solidamque invenit. Quod si institutum nostrum & hanc vitam quidam semiliterati aut in foro aut alibi comtemnunt, qui aut PREHENSANDO, aut CURSANDO, aut facundiam locando diem consumunt, sic profectò pares jam sumus, quippe nisi hosce vicissim contemsissem, nunquam ab eorum instituto recedendum mihi putassem.* Daniel Heinsius in orat. ad Curat. Leidenses.

XV. Neque verò solus ille Polyhistor insigne hoc felicitatis literariæ arcanum calluit, verum etiam quotquot tumultuosum vitæ a-

ctivæ genium, curarum multiplicium procel-
las, horrendos animorum ambitiosorum mo-
tus, tristem denique ac verè luctuosam inanis
gloriæ splendidæque miseriæ faciem sunt intu-
iti; hi inquam optatæ tranquillitatis litera-
riæ mysterium probè intelligentes, illam di-
scriminum palæstram, fallaciarum scenam, fe-
rarumque spelæum, AMBITIOSÆ nimirum
VANITATIS SCHOLAM toto pectore sunt
aversati, in quâ scil. cuncta visu audituque
percepta, speciem quidem habent elegantem &
jucundè ridentem, at verò in pleno lumine ve-
ritatis confusum quid, & valdè maculosum,
proptereaque perspicacibus oculis horrendum
ac generosis animis aspernabile contineant. In
qua porrò magna hominum pars declivi natu-
ræ impetu in lutum Honoris prona, spiritum
trahit inglorium & anxium, ac licet subinde
doctrina melior admoneat officii, ne tamen au-
res commodet, strepitus forenses ac populari-
um favorum fragores maximè impediant, mul-
ti ambitionis œstro perciti, quid agant nesci-
ant, nihil pacatum sapiant & modestum, cum
æmulis minimè conveniant, parumque curent
insigne illud felicitatis literariæ, tranquillita-
tis imperturbatæ, salutisque perpetuæ nego-
tium. Secedentes igitur à turbulentorum
consortio sapientissimi literatorum, atque
ingens (juxta Senecæ monitum) *inter se*
&

& cæteros facientes intervallum, horrendos ex Ambitione lapſus feliciter evitarunt, atque profligato peſſimo illo pacis turbone, exoptatam obtinuerunt tranquillitatem. Felix eo nomine, terque felix Proavorum noſtrorum ætate fuit prælustre illud Literatorum decus ac ſingulare ornamentum, FRANCISCUS PETRARCHA, qui ad evitandam illam diſcriminum palæſtram, propè Sorgam fluvium caſam ſtatuit, quam ſibi ab omnium perturbationum caſtris exauctorato, tanquam militi veterano tranquilli ocii ſedem faceret, ubi multis annis parvo prædio, quod ſibi emerat, contentus, vitam non frugalem tantum, ſed & beatam egit. Audiendus nobis Bocacius, probè meritus de præceptore tanto diſcipulus in hæc verba: *Franciſus Petrarcha cæleſtis homo, & noſtro ævo Poeta clariſſimus, nonne ſpreta Pont. Maximi benevolentia, quam omnes ferè Chriſtiani ſummoperè cupiunt, & procurant, & pileatorum Orbis Cardinum aliorumque Principum, in Vallem cluſam abiit, inſignem Galliæ ſolitudinem, locum ubi Sorga fontium Rex oritur, & ibidem omnem ferè floridam juventutem ſuam Villici unius contentus obſequio, meditando atq; componendo conſumſit.* Quod ipſum vitæ genus adamarunt magniſq; ſemper conatib⁹ amplexati ſunt

mortalium etiam doctissimi, hunc tranquillitatis portum, honorum onerosorum fluctibus jactati optarunt unicè, in quo tandem aliquando pacatum ævum, placidas noctes, & secura agere convivia; DEO denique Musisque vacare, & benè actam vitæ fabulam pulchro fine concludere queant. Invitati ad primariæ dignationis munera, nec non pro connato nobis adscendendi desiderio ad sublimiora incitati, diligenter expenderunt levitatem, inconstantiam, vanitatem earum rerum, ad quas plerique velis remisque contendere solent, utque sæpius plures dolendi quam lætandi causas afferant, quantis invidiæ & æmulationis subjaceant stimulis, quibus ambitiosi omnes sese fatigent vigiliis, quæ tædia devorent & fastidia, quas patiantur molestias, quam tumultuosa vita illorum, qui quotidiè cum maximis rerum difficultatibus inquieto animo & inter turbas turbulento colluctantur, hæc inquam probè perpendentes, omne honoris fastigium sacro quodam & honesto quasi supercilio despexêre, istumque & peccatorum & malorum ferè omnium portum feliciter deseruêre. At hæc cogitantes, quam arduum in lubrico stantem non cadere, quam capitalis ex alto ruina, quam severum judicium animis ex dignitate elatis sit expectandum, quo impetu sæpè ab adversariis ad casum concussi sint etiam honoratissimi, toti exhorruêre, & salutari timore perculsi, temporalem & æternam evitavêre confusionem.

XVI. Non

XVI. Non paucos Eruditorum, ſingulare Honorum & dignitatum faſtidium odiumque ex eo concepiſſe accepimus, quod eædem aſellis ſæpè, ſive mortalium omnium ineptiſſimis & imperitiſſimis tribuantur, multique nullo doctrinæ aut vitæ merito conſpicui, ſummi honoris culmen attingant, ſicuti Nævio dicente, FATO OLIM METELLI CONSULES FACTI, hoc eſt, ſine ſuo merito ad tantam aſſumpti dignitatem. *Videas ſæpè* (ita de cauſis corruptarum artium Vives) *pueros jam Magiſtros, qui pædagogio adhuc indigeant, magiſtri nominantur earum artium, quarum vix prima rudimenta poſuerunt. - - Ut quemadmodum de philoſophis ſui temporis ait Socrates in Apologia Platonis, melius multò de rebus judicaret vulgus hominum, quam illi totius ſapientiæ conſulti, &c.* Quid igitur nobis [ita doctiores illi melioresque] cum vili adeò abjectoque aſellorum, fatuorumque hominum diademate? quid cum arundineo iſto ſceptro vel baculo, quo virtute doctrinâque omni deſtituti utplurimum ſuſtentantur? Ventis vehementius olim in frugum perniciem flantibus, Empedocles Agrigentinus [Laertio teſte,] ſuper montium & collium faſtigia utres collocari fecit, ex aſininis pellibus confectos, ſicque ventorum impetum optimè repreſſit; Haud ſecus aſini, (ſive imperiti

L. Vives lib. I. de cauſ. corr. art. p. 356.

Diog. Laert. lib. 8. de vit. Philoſ. ex Plat. Tim.

periti, ad ſuprema tamen dignitatum faſtigia exaltati,) ſæpè effecerunt, quo minus mortalium doctiſſimi & peritiſſimi ambitionis flatu fuerint de ſupremæ felicitatis ſuæ ſede dejecti atque deturbati, ſed quieſcere potius (Seneca monente) maluerint, & ſecum morari, quam cum aſinis, imò utribus aſinorum, vento elationis ſuperbiæque inflatis, in altum elevari. At verò graviores longè & excellentiores ſpreti contemptique honoris cauſas ac rationes ii habent, qui vitam literatorum privatam tanquam jucundiſſimum ſpeculum intuiti, ſecum habitare, & ſollicitam animi conſcientiæque curam in felici quodam ſeductu gerere malunt, quam periculoſæ adeò aleæ geminum illum pretioſiſſimumque exponere theſaurum, & cum ſuos Circulos (ad Archimedis exemplum) ſibi turbari, ſive optatiſſimam auferri nolint quietem, ideò ab omni ambitu tantoperè ſunt alieni, ut vel ipſis promotoribus ad honorem ſe vocantibus ſilentium indicere non dubitent, hoc ipſo non tantum curas vitantes, acerbasque aliorum cenſuras, ſed ipſam quoque motuum affectuumque ſuorum internam diſcordiam, toti in illud bonum intenti, quod quia verum eſt, tanto magis adamatur, quanto diuturniore familiaritate magis innoteſcit, & quia ſummum ſimplexque eſt, animum eruditi hominis ita implet, ut nullum prorſus cupiditatibus aliis locum relinquat. Ille quidem, qui arca-

arcanum hoc sublimeque bonum adhuc non tam tenet possidetque, quam cupit & efflagitat, donec exactiori ejus cognitione judicium magis stabiliatur, quandoque ad vulgaria ista inferioraque respicit bona, aciem illi nonnunquam præstringunt splendentes honorum atque divitiarum apparatus, ita ut *difficilius adversus ea* (quemadmodum de se Seneca affirmat) *oculos quam animum teneat, neq; pejor inde recedat; sed mæstior*; ex adverso autem Viri solidiori virtute conspicui, quia certam jam benè pacateque vivendi normam elegerunt, quam instar legis servent, firmiores sunt & constantiores, quam ut vehementissimo violentissimoque cedant AMBITIONIS impetui, ac licet interdum dubitatio, tacitusque morsus, & quodpiam adscendendi desiderium animos eorum subeat, profectûs tamen, & instituti sui laudatissimi ita sunt tenaces, ut surrepente etiam humiliationis tædio neutiquá ab instituto illi possint ab alienari. Quemadmodum ii, qui relicta tellure patriâ in vasto mari jactantur, nondum desideratis loci destinati vestigiis sese offerentibus; sic qui à curâ cultuque fluxarum rerum aversi, ad vera illa arcanaque tendunt bona, tamdiu anguntur, donec optatum illum veræ tranquillitatis portum respiciant, in quem delati, jucundissimâ amœnitate post anteactos labores molestiasque superatas perpetuò recreantur. *Mihi* inquit ille

Seneca lib. I. de Tranquill. cap. I.

Marius apud Salust. in Jugur. ille, *qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex consvetudine in naturam verti.* Quidni christiano pieque Literato secum q..iescenti & ad veram animi tranquillitatem tendenti, fluxorum honorum contemptus, suique humiliatio assidua in naturam veluti ita transire deberet, ut delatas etiam ultrò dignitates, velut Circes incantamenta, aut Sirenum insidiosissimam Musicam sibi declinandam, neque pluris ducendam statuat, quam flatum auræ tenuis, *nihil habendo amplius humani, quo suum divino amore flagrantem animum relaxare possit*, ardensque cum intimæ pietatis sensu iterando suspirium: AMOREM solum Domine tuum mihi dones, & HONORATUS sum satis, imò FELIX sum satis atque beatus. Quippe probè intelligens, nimis esse elatum superbumque eum, cui DEUS ipse non sufficiat, & qui summo hoc dignitatis apice conscenso, læto pectore non exultet. Si aliis ex ambitione turgescant animi, ipse tantò fervidius diligentiusque christianæ demissionis studio incumbet, inque nihili sui voraginem profundius descendens atque se ipsum tum potentiorum, tum ambitiosorum conspectui magis subducens, hujusmodi secum instituet sermones: Quid quereris Tibi honorem vel non deferri, vel auferri, qui quocunque Te aspicias honore omni indignum cognosces? Nihil es nisi

nisi peccatum & umbra. Quis honoret nihil, quam ipsum nihil: Ad nihil itaque jam vales, nisi ut conculceris ab omnibus, cur velis eorum laudibus honorari, quorum pedibus dignus es conculcari? Quam ridiculus esset opilio, qui stomacharetur se non esse electum in Imperatorem? quam stolidus latro, qui dignus vel puniri gladio, vel suspendi laqueo, corona vel sceptro donari postularet. Quanta eorum est insania, qui rudes, tardi, stolidi, nec digni sunt, qui lictores aut carnifices audiant, ambiunt tamen esse Senatores. Par Tua insania, quantus quantus es, non es nisi vanitas, imò ipsa vilitas, ne dicam perversitas, qua tamen non obstante te omni honore dignum existimas, ac si ipsa esses summæ virtuti sociata dignitas. Pavo sit licet totus formosus, ob oculatam floridæ caudæ pompam, ob unicum tamen pedum defectum totus confunditur. Quanta est tua vilitas, tam quoque vilis est honor ipse. Ut eum consequaris non pendet à Te, nec à tua industria, sed ab aliis aliorumq; nutu, quam arduum igitur est, illud velle consequi, quod necesse est ut dent alii, ut dent multi? Quid æstimas bonum, quod dare malus potius valet, quam bonus, quid bonum inquam censes, quod pendet à malis, quid tuum, quod ab arbitrio alieno? Si omnibus esset integrum, impunè Tibi tuas tollere fortunas, quis Te foret infortunatior? Ista licentia in HONORE EST, po-

 ten-

tentioribus arbitrarium, illum vel tollere, vel multum imminuere. Quæ major miſeria quam precaria felicitas, quæ in omnium ſit manu præterquam in tua? Eritne ſecura tua ſecuritas, quæ pendet etiam ab hoſte, quæ tot habet pericula, quot poſſunt fieri judicia? Iſta conditio Tua eſt, cum ambis honores. Ah ſi ſapis, noli eos mutuari à mutabili homine, ne & Tu varius & mutabilis evadas. Hujus verò hoſtis (eleganter ait Auguſtinus) vires non ſentit, niſi qui ei bellum indixerit: quia etſi cuiquam facile eſt honore carere dum denegatur, difficile eſt eo non delectari cum offertur. Non longè ab his diverſus abit D. Bernardus, præclare explicans, quomodo gradatim quaſi ad veram perveniatur demiſſionem: *Deſcendamus* (inquit) *per viam humilitatis, ponaturque in nobis primus ejus gradus, id eſt primus profectus,* NOLLE DOMINARI: *Secundus* VELLE SUBJICI: *tertius, in ipſa ſubjectione quaslibet contumelias & injurias illatas æquanimiter pati.* His inhæſere veſtigiis, imò hunc ipſum animum induerunt, quotquot inter SS. Patres veræ humilitatis laude quondam conſpicui fuêre. Licet D. Ambroſius Mediolanenſis, in ſummâ dignitatis arce fuerit conſtitutus, tanta tamen præditus fuit Humilitate, ut non tantum Epiſcopatu ſe prorſus indignum, & epiſcoporum omnium mini-

Auguſtinus Ep. 64.

Bernardus Serm. XVIII.

minimum vocaverit, sed scripta etiam sua alieno judicio subjicere non erubuerit, imò pro maximo duxerit beneficio, si quando aliquid esset admonitus, uti in LXIII. ad Sabin. epistola disertè testatur. Admirabilis quoque fuit D. Hieronymi Humilitas, quâ cunctis peccatorum sordibus se dixit inquinatum, quâ imperitiam suam confiteri, quam parum de proposito argumento dicere maluit, quâ, *nihil ita* (quæ ejus verba sunt) *à pueritia conatus est vitare, quam tumentem animum, & cervicem erectam, DEI contra se odium provocantem*; quâ denique, omnes fortiter toleravit injurias, cuncta opprobria & calumnias vultu ad modestam hilaritatem composito excepit. Quandoquidem verò sine cœlestis gratiæ præsidio ne minimam quidem Ambitionis tentationem vincere, nec ullum demissionis sinceræ documentum Homo literatus dare possit, inque corde ejus defixa Ambitio, venenum sit tam pervicax & tenax, ut haustum vix ullis remediis & antidotis exhauriri queat evomique; hinc incomparabile demissionis sinceræ charisma quilibet humilitatis sinceræ studiosus precibus assiduis ab eo efflagitet, qui Spiritum Sanctum, spiritum supremæ sapientiæ se daturum promisit precantibus. Non deerit inquam gratiæ suæ favonio benignissimus ille bonorum omnium largitor, strenuè certanti

Ambros. lib. II. de venit. c. 78.

Hieron. epist. 32.

pariter

pariter ac oranti literato, quin potius votis ejus flacalidis assurgens, perniciosum ambitionis flatum, sitim honorum insatiabilem, omnemque dominandi libidinem auferet protinusque expellet, denique efficiet, ut palabundus eruditi hominis animus, latè pridem evagatus, ad se ipsum tandem accedere propius, secum habitare optatius, res curasque hominum è longinquo, ac velut in PIO quodam SECESSU intueri tutius, denique in solo Christo optatissimam quietem & refectionem invenire verius possit.



COM-



COMMENTATIO IIX.

DE LITERATORUM HOMINUM AVARITIA.

I.

MOnstrosum quendam Vulcani filium, ac famosum pariter latronem, naribus & ore ignem fumumque furoris sui evomentem, ab Arcadibus CACUM inde appellatum fuisse Poëtæ veteres finxerunt, quod MALA infinita vicinis inferre quasi genitus fuerit, & furtis incendiisque crudeliter omnia devastaverit. Quâ ipsa imagine dum typum AVARITIÆ (mali literatis quibusdam perquam familiaris) designare intendimus, ab accuratæ æquiparationis scopo haud sumus aberraturi. Etenim ut AVARITIA nomen ac definitionem

ex

ex parte cum illo Vulcani filio CACO habet communem, cum ab ipso Apostolo MALORUM omnium RADIX sit appellata; ita etiam re ipsa in multis conveniunt: CACUS enim iste ut furtis & damnis innumeris, nec non homicidiis famam apud omnes & nomen comparaverat, ita insatiabilis habendi cupido, sive avaritia, ob consimiles ausus pudendosque effectus in ore ferè hæret omnium, cum iis quos occupavit, omne propemodum naturæ robur surripiat, vigoremque viscerum rapidis assiduisque caloribus depopuletur, innumeris adhæc malis lancinando, tandem ad marcorem extremum & interitum perducat. Quum itaque hic ipse CACUS in Orbe etiam Literato (eheu) sit quotidianus, & latè diffusis rapinis, in corpora pariter ac animos summorum etiam LITERATORUM ferociat, ad almam Pietatis virtutisque sinceræ medicinam, tanquam Herculeanam clavam non immeritò confugientes, pessimum hocce vitium tanquam alterum CACUM pro virili edomare, ac profligare tentabimus. Priusquam verò id ipsum, divinâ opitulante gratiâ, demus effectui, monstrosam Caci illius feritatem, ore & calamo Magni Chrysostomi graphicè delineatam, contemplabimur: *Fingite* (ait illle post præmissam AVARI cum dæmoniaco comparationem) *videre tetrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero*

Johan. Chrys. hom. 29. in Math.

humero dracones pro manibus dependeant, cujus os cavernæ instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat, venter omni fornace sit ardentior, cuncta quæ immittuntur subitò consumens; pedes alati ventis quoque ipsis velociores, facies, canis ac lupi simul faciem ostendat, nec hominis vocem emittat, sed insuave quiddam atque terribile mugiat; Is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat. Mira hæc forsan vobis videntur, sed nondum dignè ipsum descripsimus, sequi etiam debent horum instrumentorum effectus, itaque imaginemur eum obviam factos jugulare, carnes eorum lacerare ac devorare; Sed quid facio? Nam & hoc descripto, multò truculentior AVARUS, in omnes ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis hominum hostis, quippe qui vellet res omnium sibi arrogare, nec finem hic faciat, verum cum undique cupiditate cuncta collegerit, ipsius etiam terræ substantiam in aurum commutari vellet, fontes ac fluvios argento fluere optaret. Quid horrifica hujusmodi specie truculentius? Neque verè ad sermonis

dua-

duntaxat pompam spectasse eam CACI nefarii, h. e. Avari hominis expressionem, idem orator verbis proximè sequentibus innuit; *Verum ut videatis, nondum nos insaniam illius oratione assecutos, fingamus à nemine ipsum accusari, nullum sibi terrorem imminere, non à judiciis, non à consvetudine hominum, non à legibus; Et tunc videbis ipsum arrepto ense omnes interimere, nulli parcere, non amico, non cognato, non ipsis parentibus, sed quid plura? Interrogate Avarum, si hæc secum quotidie versat, si omnes cogitatione invadat amicos, cognatos, parentes, at nec interrogare quidem ipsos opus est. Scitis enim quod qui hoc morbo premuntur; & vitam parentum senum graviter ferunt, & dulce illud & natura suavissimum liberorum donum aspernantur. Unde factum est, ut multi sterilitatem uxorum herbis excogitaverint, ac naturam orbam effecerint, qui etsi filios non interfecerunt, attamen ne omnino nascerentur effecerunt. Quare nolite mirari, si sic avaros descripsimus, cum videatis non potuisse nos pravitatem eorum oratione assequi, sed considerate quomodo poterint ab hoc acer-*

acerbissimo dæmone iberari. Quod si verò mitius paulò de pestifera ista malorum omnium radice, cunctorumque vitiorum (uti Democritus quondam ajebat) Metropoli sentire & loqui velimus, avaritiam haud abs re gravem ejusmodi perturbationem atque commotionem nuncupabimus, quâ infestante, animi etiam eruditi status à rectæ rationis præscriptione turpiter sæpè deficiat, nullaque ratione frænari, aut contineri possit. Cuicunque literato vitium illud detestabile inhæserit, illi videtur DEUS id quod satis sit, dedisse nemini, potissimum verò sibi, semper ad ea quæ non habet anxiè hianti. Ideò gravem haud immeritò bonorum omnium censuram illi Doctores, sive Ecclesiastici sive Academici Scholasticiq; sint incurrunt, qui studia non secus ac opificia tractantes, solum respicere lucrum suamque vendere scientiam neutiquam verentur. Audiamus de hâc literatorum quorundam dementia Johannem Franciscum Picum, Mirandulæ Dominum, libro secundo de studio divinæ & humanæ philosophiæ piè non minus quam scitè differentem ad hunc modum: *Magis exorbitant qui literis quasi mercatura utuntur, ut pecunias congregent, & studium sapientiæ faciant mercenarium, dirigunt enim ordine præpostero internum bonum nobile ad externum ignobilius: Ho-*

Jo. Frā. Picus l. 2. de stud. divin. & human. Phil. cap. 9.

rum hominum genere adeò infectum est præsens seculum, ut sint nonnulli, quibus persuaderi non potest quenquam esse, qui ob aliud studiis literarum incumbat, quam ob lucri cupiditatem. Malè adeò instituti animo, ut non solum non sint boni, sed nec alios bonos credere possint. Duos enim novi qui philosophi vocantur, quos audivi hanc turpitudinem fassos, hocque dedecus non erubuisse evomere; ut quam haberet scientiam, mille aureorum numûm precio si non deesset emptor, libenter venderet; & alterum qui etiam se equum esse mallet, dummodo copiosa suppeteret alimonia, quam eo victu vivere, quo degebat, & nihilominus non egebat, si metiri indigentiam secundum communem existimationem voluisset, non secundum insatiabilem suam & inexhaustam auri cupiditatem. Non igitur Avaritia literatorum imbecillæ duntaxat mentis levicula (uti quidam existimant) est labes, sed morbus propemodum incurabilis, & infinita quædam sitis, quâ perpetuò miseri isti enecantur. Voracem dixerimus Charybdim, vas pertusum & fluxum, sive dolium Danaidum, cui ingesta circumfluunt & superfluunt omnia.

Confer Paschal. Characteres cap. 75.

II. Eccur summæ stoliditatis stigmate literatos

ava-

avaros notare dubitaremus, cum insatiabiliter ea semper quærant, quorum ipsi usum omnibus modis reformidant: *Nihil est eis dulce* (notanter scribit Johann. Ludov. Vives) *nisi quod præsentem affert mercedem, in quam solam inconniventes habent oculos, quippe non secus philosophia & labor studiis impensus gravis istis molestusq; est, atq; agricolæ fossio vel aratio, veredario cursus, sutori suere, textori texere. Servile est enim mercenarium quodcunq;, angitq; animum properantem ad præmium, & sicuti Horatius inquit, spe finis dura ferentem.* Ut proin meritò præcipuam corruptarum artium ac disciplinarum culpam insatiabili Doctorum quorundam avaritiæ atque philargiriæ idem Vives duxerit tribuendam; *Quoniam scilicet quosdam mercede docentes pretii cupiditas ita exocularit, ut sine delectu ullo receperint ad se discipulos, & frequentius ad se traxerint auditorium &c.* Quæstum nimirum solum in literis rimati sunt illi pseudo-doctores, & Mercurio (ut scitè quidam ait) usi sunt velut ARGENTO VIVO aurifices, ut scil. extracto & adjuncto sibi aliorum auro potiantur, non ut veræ sapientiæ AURO discentium pectora repleant. Si cunctis olim damnosi habiti sunt suis duntaxat invigilantes commodis, quale obsecro de literatis ad rem suam unicè attentis ferendum est judicium? Midæ potius auro inhiantis ideam, quam verorum Doctorum imagines illi referre videntur.

Vives de causis corrupt. art. lib. I. opp. To. I. p. 349.

Idem l. c. fol. 330.

tur. Ferunt Poëtæ, antiquos quosdam philosophos in diversas transformatos fuisse figuras, Socratem in gruem, quoniam PEDE IN UNO solidum exegerit super uno argumento diem; Anaxagoram verò in Aquilam, Solem intuentem; in canem Diogenem, in porcum Epicurum, in saxum sensu omni cassum Xenocratem, Zenonem in caudicem affectus cujuslibet expertem, in desperabundum Heraclitum semper lugentem, in stultum semper ridentem Democritum: Non alium equidem literatus avarus quam ASINI INAURATI vultum repræsentare videtur, pari horrore spectandum, quo pictoris Orgagnæ suorum temporum principis Medusæ tabulam (deformitatum, quascunque nancisci poterat diligentissimè collectarum apographum) olim spectatam fuisse historiarum monumenta testantur. BOS, ASINUS, ESTO, SIM MUTUS, AURUM ME FACITE, ET DEUS ERO. Hæc pudenda multorum est philosophia, cujus placita etiamnum (ni fallimur) vigent, & post nostra etiam tempora vigebunt. Haud abs re equidem illi gratulabimur Ordini, illi Collegio, illi Civitati ac Facultati, quæ ejusmodi hominum pseudo-literatorum monstris sit destituta, iisq; solùm Doctoribus gaudeat, qui de profectu auditorum potius, quam privato suo commodo & emolumento fuerint solliciti. *Quæro* (ajebat olim Themistocles) *Viros qui indigeant*

pecunia,

pecunia, non pecuniam qua indigeat Viro; Verum quærendi potius cæterisque omnibus anteponendi illi essent Doctores, qui licet pecunia indigeant, perditè tamen illam non ament aut consectentur, ac verè-miserorum infeliciumque illorum literatorum albo neutiquam sint inserti, qui immodico erga fluxas opes laborant affectu, eò plus egentes, quo plura possident, semperque in eo occupati, ut augeant anteparta, aliisque subinde atque aliis inhient thesauris. Quo plus illi conflant rei, quo frequentius opes conduplicant, hoc sævius ab indomiti census desiderio, & perpetua quærendi cupiditate agitantur. Inter aliena & circumstantia gaudia ipsi semper aspiciuntur mœsti & atroces, inter opes mendici, in media ubertate aridi, etsi circumfusi aquâ intercuti, tamen perpetua siti arentes, inter epulas famelici, futura semper prospectantes, & carentes præsentibus. Tantum desiderant, quantum quærunt, tantum quærunt quantum delirant, tamdiu delirant quandiu vivunt. Mònstret eos multitudo ut divites, semetipsos tamen inopes credunt, eaque propter verè infelices, quippe quorum famem nulla abundantia explere possit. Et cum Avaris hujusmodi, cupidisque Doctoribus nihil unquam satis sit, quicquid etiam tribuatur, tantam sæpè incurrunt mentis caliginem, ut longè majorem sacræ illius FAMIS sedandæ, quam FAMÆ tuendæ

endæ curandæque rationem habentes, nihil etiam non turpe committere inducant in animum, imò fluxam illam opum quærentes felicitatem, culpa sua fiant infelicissimi, ac fortunæ melioris desiderio se ipsos reddant miserrimos, adeò ut semper desiderantes nunquam gaudeant, semperque concupiscentes nunquam conquiescant, tristique suo exemplo doceant, divitias maximum infelicitatis instrumentum, summèque anxia esse opum vota, nec avarum tantum cum extrema miseria habere commercium, sed contubernium potius perpetuum. *Auri custos* (ait ille) *possessor argenti, quid habet nisi pervigiles noctes, anxios dies, sollicita tempora, trepida gaudia, inquieta desideria, semper in æstu, nunquam in portu, utpote qui metum semper secum portat ut domesticum.* Hinc avarorum insipientiam atque defæcatissimam stultitiam, & plusquam infantile judicium egregiè descripturus Isidorus Pelusiota; Quandoquidem (*scribit*) ii quoq; qui tenera admodum aut puerili ætate sunt, ea quæ verè horrenda & pertimescenda sunt, nihil curant, imò etiam manus persæpè in ignem conjiciunt, inanes autem larvas ac spectra conspicientes, metu percelluntur & contremiscunt. His porrò non dissimiles esse viden-

Isid. Pelus. lib. II Epist. 257.

videntur homines pecuniæ ac rapacitatis ſtudioſi, ut qui paupertatem quidem, quæ non modo nihil habet quod metuendum ſit, verum etiam ſecuritatis omnis ac modeſtiæ materia eſt, pertimeſcant, iniquas autem divitias plurimi ducant, quæ tamen quovis igne magis timendæ ſunt, ſiquidem Dominorum ſuorum & animos, & ſpes exurunt, atque in cinerem redigunt. Conſimilis prorſus inſipientiæ avaros convicit Syneſius, de nimium quæſtui intendentibus diſſerens ad hunc modum: Sæpè numero unamquamque animi perturbationem mecum ipſe reputans, qualeſnam ſibi deditos homines efficiat, quæſtuariam illam nationem mihi videor præ cæteris ignobilem ac improbam, planeque illiberalem eſſe - - Hæc enim corpus animæ obſequio ſubjecit, externa ad corporis uſum revocavit, poſteriori verò ſecundas partes dedit, ideò formicis ignobiliorem atque inſipientiorem pronunciare non erubeſcam. Illæ enim vitæ neceſſitate quæſtum metiuntur, hi vitam quæſtu, lucrique neceſſitate cenſent eſſe metiendam. In quam ipſam ſententiam cum variis locis perquam eleganter D. Chryſoſto-

Syneſius orat. de Regno

mus disseruisset, teterrimam illam servitutem, quâ diabolo avari sese mancipare solent, homiliâ peculiari declaravit, summamque avari in se ipsum sævitiam & horrenda tormenta, quæ ipsemet sibi carnifex infert, iis coloribus repræsentavit, ut nihil expressius desiderari queat. Avaritia (*ait inter alia*) suos amatores quam qui metalla effodiunt, nulla meliori conditione esse permittit. Ut enim illi perpetuò in in tenebris inclusi & ligati, maximis exercentur laboribus, ita & hi in avaritiæ speluncis defossi, nulla necessitate & vi, sponte sua supplicium subeunt, & se ipsos insolubilibus vinculis alligant. At rei illi, vesperi saltem, laboribus relaxantur. Hi autem die noctuque hujusmodi mala metalla effodiunt. Et illis quidem mensura definita est laboris: hi verò nullam mensuram norunt, sed quanto magis effodiunt, tanto magis miseriam illam desiderant. Quod si illi inviti operantur, hi sponte; difficultatem mihi morbi enarras, à quo minimè liberari possunt, siquidem non odio habent, quod malo afficiantur, sed tanquam sus in cœno, ita hi in avaritiæ sordibus involuti lætantur, graviora quam rei illi patientes.

Chrysost. hom 23. in I. Ep. ad Corinthios.

III. Du-

III. Dubium igitur nullum est, quin eruditi, si malum hoc eos invaserit, pejus habeant quam damnati ad metalla, siquidem ex Ethnicorum etiam sapientum mente; *Nulla avaritia sine pœna est, quamvis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lacrymarum, ô quantum laborum exigit? quam misera desideratis, quam misera partis est! Adjice quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quemq; discruciant. Majore tormento pecunia possidetur, quam quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt, & majora videntur, deniq; ut nihil illis fortuna detrahat, quicquid non acquiritur damnum est.* Dio item Chrysostomus, cum omnium omninò communem hostem denuntiasset Avarum, maximè suimetipsius adversarium esse præclarè ostendit, quoniam scil. multi vitam quoque omnibus amabilissimam propter avaritiam periculo exponant, aut etiam perdant, vel si vitam retineant, innumeris eam langvoribus & sollicitudinibus miseram & ærumnosam efficiant, id quod ille satis suspicere non potest, in tanta præsertim vitæ nostræ brevitate, cui tam pauca plusquam sufficiant. Locus est illustris, cujus extremam duntaxat adscribo partem: *Vehementer equidem admiror, quidnam fecissemus, si non minutissimi temporis mensuram essemus à Diis consecuti, quum nunc quasi ad perpetuam vitam procreati, alius alio plus habere contendamus. Quemad-*

Seneca epistol. 115.

Dio Chrysost. Orat. 17.

 modum

modum igitur si quis sciat, se tantum duorum aut trium dierum habiturum navigationem, annuum tamen victum imponat, fatuus videbitur; eodem etiam modo si cui constat, quod ultra septuaginta annos non sit victurus, in annos mille victum comparet fortassis, nonne similiter esset insanus? Nonnulli etiam tanta apparaverunt, ut si illis esset navigandum, statim submergeretur navis. Et hoc hercle contingit plurimis - - Vestem quidem nemo corpore majorem habere vult, ut ad usum inhabilem, facultates verò prorsus necessitate majores concupiscunt habere omnes, ignorantes quod quod hoc illo difficilius inhabiliusq; sit. Videtur autem mihi Crœsus ille Lydus, rectè, quum hominum inexplebilitatem vellet redarguere, quibusdam inductis ad thesauros, tantum auri permisisse efferre, quantum quisque corpore posset. Multosq; non solum implevisse sinum ferunt, sed etiam in capite ramenta extulisse, & ore, ut vix ingredi possent, valdè ridiculos & intortos. Sic ergò & circa victum quosdam ingredi videas, indecorè se gerentes ob avaritiam, valdeq; ridiculè. Quem obsecro latet quam inde-

indecorè hactenus eruditorum hominum plurimi, quamque ridiculè sese hâc in parte gesserint, quam tristem atque miserandam servierint servitutem, quam indigna veris philosophis, nedum christianis Doctoribus urgente avaritia commiserint, & quod magis in tanta cœcitate mirari nos jussit Seneca, quam multa naturæ etiam humanæ contraria sint meditati: *Nam nos integros* (ait ille) *ac liberos natura genuit, nihil quidem quod avaritiam nostram irritaret posuit in aperto, pedibus aurum & argentum subjecit, calcandumq; ac premendum dedit, & quicquid est propter quod calcamur ac premimur. Illa vultus nostros erexit in cœlum, & quicquid magnificum mirumq; fecerat, videri à suspicientibus voluit - - Aurum quidem & argentum, & propter ista, nunquam pacem agens ferrum, quasi malè nobis committerentur abscondit. Nos in lucem, propter quæ pugnaremus extulimus. Nos & causas periculorum nostrorum, & instrumenta, disjecto terrarum pondere eruimus. Nos fortunæ mala nostra tradidimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerunt ima terrarum. Vis scire quam falsus oculos tuos deceperit fulgor? Nihil est in istis, quamdiu mersa & involuta cœno suo jacent, fœdius, nihil obscurius*

Seneca epist. 94. confer Plutarch: opusc. de cupidit.

ſcurius. Nihil eſt illis dum fiunt, & à fæce ſua ſeparantur, informius. Deniq; ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile terræ genus, & informe perpurgatur: Videbis quanta fuligine oblinantur. At qui iſtæ magis inquinant animos quàm corpora, & in poſſeſſore eorum, quam in artifice plus eſt ſordium.

IV. Ut verò magis appareat, quantoperè falſus ille fulgor literatorum quorundam oculos deceperit, atque eorundem animos pudenda avaritia inquinarit fuligo, apprimè duo AVARORUM notandi veniunt ORDINES, quorum Ariſtoteles Princeps Peripateticorum, de extremis liberalitatis differens, ſingularem fecit mentionem; Primo Ordini parcos omnes, tenaces atq; in dando deficientes duxit inſerendos; *Qui hiis* (ait) *nominibus præditi ſunt, ut dicantur parci tenaces, retracti, & reſtricti, omnes in dando deficiunt. Non appetunt autem aliena, neque accipere volunt, alii ob probitatem quandam, turpiumque rerum evitationem, videntur enim aliqui, vel certè dicunt propterea conſervare, ne aliquando agere turpe aliquid cogantur — Alij ob timorem ab alienis abſtinent, propterea quod facilè minimè eſt, ut ſi aliquis aliena*

Ariſtoteles 4. Ethic. ad Nic. cap. 1. ſub fin.

diens acceperit, alii ab eo quicquam non accipiant, atque idcircò neque accipere, neque dare ipsis his placet. Superbiat primus hic avarorum ordo, ex tenacibus Euclionibus conflatus, honestatis cujusdam virtutisque titulo, non minus tamen in damnum miserorum illorum vergit, quam in maximam injuriam aliorum. Est quippe atræ hujus loliginis succo tinctus literatus rebus suis veluti appositus quidam custos, ne quis eas, ac ne ipse quidem contingat, & cum arca ejus velut armarium quodpiam inexorabilibus pessulis sit oppilatum, hinc nulla erga pauperes etiam afflictissimos tangitur commiseratione, nec quemquam vel unico nummo sublevare laborat. Totus est inutili & superfluâ cura macer, & quas semper quærit, semper quoque consectatur miserias suas. Vivum quoddam dixeris sepulchrum, in quo opes inutiles & emortuæ sunt reconditæ. Ad hunc primum avarorum ordinem retulerim cum alios complures literatos, quorum alicubi Jovianus Pontanus meminit, tum nominatim SIMONIDEM, quem ipse Aristoteles haud obscurè tenacitatis damnavit, damnantque cum eo plerique veterum, cumprimis Plato, Plutarchus, Ælianus & Nazianzenus, quicquid pro Simonide quidam proferant, satis abunde ex tantorum virorum indicio constat, illum pecuniæ avidissimum & tenacissimum fuisse, par-

Jovian. Pont. lib. de liberal. c. 6.
Plato in Hipparcho.
Plut. l. an seni sit administr. Resp.
Ælian. l. 9. vari hist.
Nazianz. Orat. 3. num. 37.
constr Bill. in notis.

citatem

citatem tamen ea ſpecie texiſſe, quod diceret malle ſe mortuum inimicis benefacere, multis poſt ſe bonis relictis, quam vivum egere amicis, nimirum ut Ulyſſes dixit de Alcinoo, ne unam quidem micam ſalis cuiquam de ſuo ſuperſtes dare voluit, opeſque boni ævi curis praviſſimis (ut ſcitè quidam ait) duxit contegendas. Non minus Patrum noſtrorum, quam eo quo etiamnum vivimus ævo non pauci extitêre literatorum, qui primo avarorum ordini adſcripti, immenſoque tenacitatis pondere ita fuêre prægravati, ut nullâ ratione ad beneficentiam potuerint levari, in medio opum ſplendore ſordidi, in abundantia ſua anxii, nulla acceſſione facti auctiores. JOANNES CORICIUS cur non inter literatos ejusmodi tenaces reponatur? qui licet ob ſingulares animi dotes, eruditorum variorum carminibus fuerit celebratus, juſtam tamen bonorum omnium incurrit reprehenſionem, quod aurum defoſſum ſive occultatum ipsâ vitâ charius habuerit. Captâ enim à Germanis Româ, aureorum quandam vim ſub inferioris aulæ limine defoderat, fabro uno tantum conſcio, qui cæmento locum obturaverat. Accidit autem, ut idem faber captivus factus pro ſe redimendo xxv. aureos à Coricio peteret mutuos, ille ne ſecretum proderet, quippe qui aliunde non habebat, unde eos expromeret, niſi ex defoſſo, perbellè negavit. Indignatus

Pierius de literatorum infelic. lib. II. pag. 171.

gnatus faber, rem Hispano ductori à quo in vinculis habebatur, prodit, ille in ædes Coricii transmigrat, dumque hominem comparandis necessariis ablegavit, aurum ipse domi de latebra eruit, quâ re patefacta in gravissimam Coricius incidit ægritudinem, & perditarum rerum desiderio exulceratus, miserè tandem occubuit. Magis lugubre consimilis tenacitatis documentum Pater ille dedit, qui eodem Pierio perhibente, optimæ spei filium ex immodico auri amore à studiis avocatum extremæ dedit internecioni. Nostis omnes (scribit ille) Johannem Baptistam Roboreum Bartholomei Grossi filium, dignum quidem, patriis qui lætior esset imperiis, & cui pater haud Mezentius esset. Is quidem incompabilis ingenii & probitatis adolescens, tantum profecerat, ut & eleganter & acriter declamaret, & versus non illepidos faceret. Ad philosophiam mox & Mathematicas disciplinas studium omne suum contulerat, cum pater inexplebilis avaritiæ gurges, invitum ad ephemeridas impulerat, cum tamen ille clam & bonarum artium studiis incumberet, & invito patre proficeret -- summa verò patris duritia offensus, omniq; spe proficiendi abjecta, in militiam ad Venetos est profectus, sicque ex otiosa vitâ in laboriosissimam repentina morte transgressus, tam ob insolitas exercitationes, quam edacissimas curas in lethalem incidit

Pierius lib. II. p. 179.

cidit morbum. Neque ſic motus pater, ut in extrema inopia probatiſſimo filio ſubveniret, fruſtra ſupplicantibus amicis, illum pro ſtupenda tenacitate ſua prorſus deſtituit, abjecit, miſereque perdidit. Nonne clariſſimè hinc apparet, pudendam illam inhumanitatem neutiquam in externos tantum graſſari, ſed eos etiam ferire, queis homo proximo & ſanguinis & naturæ vinculo nectitur, quemadmodum etiam Gregorius Nyſſenus avarum memoravit plusquam credi poſſet tenacem, aſt juſto DEI judicio cum plurimum aurum defodiſſet, ſubitò mortuum, cum nemini theſaurorum ſuorum latebras indicaſſet, filios, familiamque univerſam pauperrimam reliquiſſe, ſtultitiam patris quotidiè deteſtantem, qui aſperitatem in ſuos dum viveret, ſumma egeſtate moriens cumulaſſet. Tradit Petrarcha, Parentem quendam filio tenaci arenam pro auro in ſacculis repoſuiſſe, parumque referre credidiſſe, aurone an arena avari ſacculus eſſet refertus. Aſpicit quippe opes ſuas ille ut neſcius, trepidat ut defraudator, atque propria conſcientia oppreſſus proſternitur, quicquid habet aureo malo eſt ſimile, quod oculis tantum uſurpatur, neutiquam verò comeditur. Agmen hoc primum Literatorum ſordidorum claudat DICHÆUS ille DICHÆANUS, cujus extremam avaritiam, lepidè non minus quam prolixè in Pinacotheca ſua Janus Nicius Erythræus commemora-

Gregor. Nyſs. homil. in uſurarios ſub fin.

Fr. Petrarcha, lib. II. de remed. dial. 13.

Jan. Nic Erythræ9 Pinacoth. 1. num. XXII. pag. 218. ſeqq.

moravit, ſummopereque eſt deteſtatus ad hunc modum: DICHÆUS DICHÆANUS puer è Græcia â parente perductus eſt Romam, ac ſicut cæteros æquales impotentia atque elatione animi vicit, ita etiam multos mortales VITÆ PARSIMONIA anteceſſit, nam fuit cerebroſorum cerebroſiſſimus, & parcorum parciſſimus. Adoleſcens ſtudiis humanitatis, ac juri civili inprimis operam dedit, de quo nonnulla, ab eo doctè eleganterque ſcripta narrantur, ſed ea nondum quod ſciam typis impreſſa apparuerunt. Verum de incredibili hominis parſimonia, cujus gratia in illius memoriam incurrimus, ſexcenta poſſunt ènumerari; ſed paucis contenti erimus, unde appareat, voluiſſe eum duas res inter ſe maxime diverſas copulare atque connectere, ſummam videlicet in omni victu tenuitatem, & admirabilem vitæ cultum atque ſplendorem. Erat illi elegans ſuppellex, à parente relicta, ſerica veſtis ſtragula, plura peripetaſmata, multum argentum, tum cælatum, tum purum, conopei, lecti, ſellæ, menſæ cum ſcriniis, ex ebore atque hebeno ſcite eleganterque contextis, atque alia ejuſmodi non parum multa regalis propemodum opulentiæ ornamenta: itaque jubebat ſibi quotidie exornari amplè magnificeque prandium ac cœnam, videlicet exponi ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vaſa argentea, quivis ut cum aſpexiſſet, non ſe paratum homini

privato prandium, ſed inſtructum Regi maximo convivium, videre arbitraretur, ac pro certo exiſtimaret, deferendum in illud eſſe, quidquid eo die apud omnes lanios, apud omnes aucupes, denique quidquid omentorum fuisſet in foro: procedebant famuli, utraque ferentes manu patinas, alias aliis impoſitas, atque invicem tectas, quaſi depellendi ab epulis, quas continebant, frigoris vel ſordium cauſa; ſed intus nihil habebant, ſed plenæ erant inaniis; paucæ verò, vel pultem, vel fruſtulum agninæ, vel ſuillæ, vel bubulæ, pro temporum varietate, claudebant; veſpere vero cœnabat olus, ovum, vel paucas oleas, cum fruſtulo panis, quod ſibi reliquum fecerat in prandio, & ad vappæ heminam ſitim extinguebat: in prandiis vel cœnis ſummam dabat operam, ne qua panis, quem edebat, mica ſibi in barba adhæreſceret, vel in ſinum, atque inde ad pedes, delaberetur; & ſi quæ forte decidiſſet, magno clamore, tollendam eam reponendamque una cum aliis in menſa, imperabat: itaque nulla unquam neque catella, neque pullus gallinaceus, neque formica, facta eſt ex earum aliqua pinguior. Poſtquam è menſa ſurrexerat, jubebat placide accurateque inde mappam amoliri, omneſque panis micas, quanta maxima poterat diligentia, in unum contrahi, colligi, aſſervarique, in proximum diem dominicum, ut ex eis, ex jure coctis, puls ſibi conficeretur.

Coco

Coco quotidie ligna ad exiguam mensuræ rationem præbebat, simulque hanc illi edictionem habebat, ne vicino cuiquam ignem petenti daret, vel cultrum, vel pistillum, vel mortarium, vel quidquam ejusmodi utendum traderet; quod si edicta non servasset sua, diario ejus diei eum multabat. Neque cæteris in rebus minus erat parcus, minusque in speciem magnificus, sed quotidie antequam advesperasceret, candelabra sex argentea disponebat in mensa, quæ erat in cubiculo, ubi ad se venientes excipiebat, ut qui adirent, se esse copiose ornatum, atq; ad ejusdem cultus rationem reliquam suam esse vitam arbitrarentur: sed prodebat ipse sese; nam cum terras nox opacaverat, si erat qui conveniendi aditum posceret, unam ex candelis, candelabris illis affixis, sua manu inflammabat; tum in ambulatione cum illo veniebat, sed octo vel decem spaciis factis, candelam alteram, illi proximam, accendebat, & primam extinguebat; deinde, aliis decem spaciis confectis, tertiæ eodem modo lumen admovebat, ac secundæ adimebat; quem deinceps ordinem, in aliis accendendis extinguendisq; servabat; quare assequebatur, ut omnes simul ad eandem mensuræ rationem decrescerent: sed ubi ad sextam candelam redacta res erat, continuo missos faciebat omnes, neque cuiquam se adeundi potestatem dabat, sed candela sua luce orbata, abdebat se in cubiculum,

ibique, ad tenue lucernæ unius lumen, quod reliquum erat temporis, antequam cœnatum vel cubitum iret, legendo vel aliquid aliud agendo conterebat: at mos hic tam illiberalis ac sordidus, irrisioni jocisque facetorum hominum patuit. Nam cum venisset ad eum nocte quadam vir in primis nobilis, & ad joçandum aptissimus, atque solenne & antiquum illud suum de candelis, ut diximus, obtinentem eum aspexisset, irrisit stultam hominis sordidè parci sedulitatem, qui & sibi voluptatem, & aliis, qui essent illud audituri, risum quærens, ad sextam candelam accessit, cui cæteris jam suo functis munere, cubiculi illuminandi partes incumbebant, ac micantem in ea flammam spiritu oris impellens extinxit; atque illico consecutæ sunt tenebræ; qua re ille vehementer commotus; Cur hoc, ait, tibi venit in mentem conari? Quia, inquit, volui te hunc laborem lucrifacere, & quia duxi, pro nostra vetere amicitia, unam saltem candelam, domi tuæ, lucis expertem efficere mihi licere, quod tibi in aliis quinque facere libuisset; quod si tantoperè candelam unam extinctam quereris, in quo nihil est damni, sed lucri potius aliquid inest, quos clamores ederes, si illi Vulcanum admovissem, si ardere coëgissem? Neque in tota domo repertum est aliquod vel lucernæ vel candelæ lumen lucere, quod illud inferretur, sed necesse fuit, mutuum illud foris accipere. Aurigæ, ac circum-

compedibus, vestes consimiles dabat, quibus induti sequerentur ipsum, quando incedebat per vias; sed simul ac se domum receperat, jubebat illos eas deponere, ac proprias accipere, ne videlicet, ab se datæ, frequenti usu attererentur, ac sordescerent, sed semper integræ ac recentes venirent ad oculos; & quia semel rhedarius complicatum sibi pallium pro pulvino subjecerat, simul atque animadvertit, illico prope ad insaniam redactus, voces in cælum tollere, DEI atque hominum fidem implorare, suam rem perdi seque eradicari clamare; ac parum abfuit, quin eum collo abreptum, atque è curru dejectum, ad terram affligeret, pedibusq; protereret. Quoties illi exeundum erat domo, quo honestius comitatus incederet, eo die duos quosdam serica talari veste indutos, qui se comites sequerentur, mercede conductos habebat, quos deinde reveniens, ab ostio missos faciebat. Hybernis vero mensibus nefas erat grande apud eum, si uspiam, præterquam in culina, conspectus esset ignis lucere; & quoniam interdum famuli, pene frigore obrigebant, auctor illis erat, ut inambularent in Sole, vel, si cælum esset nubilum, ut currentes se invicem peterent, ac suis palliis verberarent, vel aquam è summo puteo ad domesticos usus haurirent: ita enim fore, ut brachia, manus, pedes, latera sine ulla ignis ope concalefierent; sibi vero in interiori cubiculo igniculum ex tigillis

comparabat, quem excitabat ex pagellis, quibus reliquias sordiũ, sedi hærentes, abstergebat: non enim earum aliquam perire patiebatur, sed singulas arculæ cuidam commendabat, unde eas postea, cum esset opus, depromeret. Postremo insitum sibi à natura, rei per vitæ sordes augendæ studium, multo magis in morte ostendit. Nam cum testamentum facturus deliberaret, quem nam potissimum ex iis, qui bolo illi, tanquam esurientes lupi inhiabant, omnium bonorum suorum hæredem institueret, redditæ sunt ei literæ à gentili quodam suo, in dimidio chartæ unius, ut vocant, folio scriptæ; cumq; debuisset homini irasci, quod ejus, ad quem scribebat, dignitatis rationem non habuisset, multo inde alacrior ad hæreditatem illam illi mandandam est factus, quod tuto eam in loco se collocaturum existimaret; non enim esse metuendum, ne à se atque à majoribus suis benè parta, malè disperirent, si tam parce parco juveni committerentur. Itaque regalis ejus majestas, sordidæ atque inexplicabili cupiditati, rei suæ etiam post mortem tuendæ augendæque, fastigium fasceſq; summisit. Hactenus de Dichæano Erythræus.

V. Verum ad alterum AVARORUM LITERATORUM pergimus ordinem, eum scil. qui cuncta metitur emolumento, atque de opibus undecunq; corradendis coacervandisq; est sollicitus. *Nonnulli* [inquit] *in accipiendo excedunt,*

Aristotel. l. c.

dunt, dum & undecunque, & quodcunque accipere non verentur -- Qui quidem omnes neque unde debent, neque quantum debent accipiunt. Hoc illiberalitatis forditieiq; morbo qui laborant literati, omnem despiciunt doctrinam atq; eruditionem, ni inde aliquam lucri & emolumenti privati spem concipere queant; sordidum lucellum, ubicunq; latet, captant, nullo honesti respectu, neque expectato ob summam auiditatem debito tempore atque opportunitate. Hujusmodi Doctores more veterum Sophistarum disciplinas venum exponere non dubitant, beneficii magnitudinem pretio corrumpentes, Musas prostituentes, mercedem ac tributa à discipulis fœdissima pactione corrogantes. Ipsos Peripateticos huic avarorum ordini olim fuisse adscriptos, ex Justini Martyris indicio cognoscimus: Is enim cum pro insigni suo quærendi discendique desiderio sectarum omnium placita indagare, cunctasque disceptationum argutias haurire ante suam ad fidem christianam conversionem esset conatus, Peripateticum etiam hominem adiit, à quo cum primis diebus benevolè admissus exceptusque esset, brevi post est interrogatus: *Ecquam ipse Magistro mercedem statueret?* Quippe non arridebat peripatetico sui consuetudinem absque pecuniario quæstu commodare, quod animadvertens Justinus, cum statim

Justin. Mart. in Dial. cum Tryphon. Jud.

missum fecit, arbitratus scil. nihil à dignitate philosophiæ magis alienum, quam avaritiæ sordes, & vilis lucri cupidinem, ac ne illum quidem prorsus videri, nec esse philosophum, qui sic contrahendis pecuniis inhiaret. Utrum hâc labe omnino illi hodienum careant, qui placitorum peripateticorum singulari tenentur amore, & annon pariter lucro & emolumento proprio metiantur omnia, ipsi viderint. Nullum equidem rixarum & contentionum fœtorem quidam pseudo-philosophi aversantur, dummodo in medio fœtore aliquis inveniatur quæsticulus, linguam cum calamo illi habent venalem, atque errores & circumforaneos lucri spe agere, suaque per ultimas etiam sordes promovere non dubitant, qualiscunque odor pecuniæ, qualecunq; lutum, perinde est, dummodo id lutum lucro non destituatur. Meritò Protagoras Abderites vel Tejus, primus ille Sophista bonorum incurrit odium, quod ἐριστικοὺς λόγους h. e. contentiosas orationes invenerit, certamenque verborum instituerit, & centum propterea minas exegerit à discipulis. Neque Speusippus Eurymedontis filius, Platonicæ philosophiæ Professor vituperio caruit, quod solius mercedis amore captus docuerit, inque ipsam cucurrerit Macedoniam, ut in Cassandri nuptiis, spe præmii epithalamium recitaret, quod versibus (ut Philostratus in Apollonio tradidit) ineptis & rigidis confecerat. Eodem

Cæl. Rhodig. lib. 13. Ant. lect. c. 7. Confer. Suid. in Protag.

lucri

lucri pudendi amore quondam captus Chrysippus, in caput ter saltare, talenti præmio non dubitavit. Imò Sapientem quemvis Regum contubernia quæstus gratia sectari, ludumque mercede institui voluit, nullum scilicet (ut antea diximus) fœtorem aversatus, dummodo fœtor lucro non destituatur. Appositè autem Aristoteles, cum finem de utroque Avatorum ordine differendi fecisset; *Communis* (ait) *his omnibus* (artium illiberalium Magistris) *turpis quæstus videtur. Causâ enim lucri opprobria subeunt. Nam qui magna unde non oportet, & quæ non oportet accipiunt, non illiberales, sed impios potius improbos, & injustos appellare consuevimus. At aleator & fur, seu spoliator & latro ex illiberalibus etiam ipsi sunt, cum turpi lucro sint dediti. Utrique enim lucri causa negotiantur, & opprobria sustinent, & hi quidem pericula maxima acceptionis causa subeunt. Illi ab amicis quibus dare deberent, lucrantur. Utrique igitur, cum unde non oportet, velint lucrum comparare, turpi lucro dediti sunt.* Non est Philosophi mens, ut omnes mercedis acceptiones in avaritiæ classe sint collocandæ, sed cum sæpè avaritiam veluti fontem habeant, jure meritoque de eo obstruendo, immodicâque nummorum cupiditate reprimendâ fuit sollicitus.

Philostratus in Appolonio

Conf. L. Vivis comm. in l. 8. August. de C. DEI, c. 12.

Plutarch. *in Stoicor. pugnis.*

VI. Ast longè feliciori successu saluberrimum hocce negotium egerunt veteres christianæ scholæ Magistri, atque pietatis sinceræ professores, non damna solum horrendaq; pericula, quæ nummorum cupidi sponte sua incurrunt studiosè enumerantes, verum efficacissima etiam suggerentes remedia, quibus morbus iste divinâ opitulante gratia pellatur, animoque æger pristinæ restituatur integritati. Et quidem ad damna & pericula quæ avari omnes, cumprimis literati incurrunt, quod attinet, scitè non minus quam exquisitè ea ob oculos è veteribus posuit Johannes Cassianus, perniciosum philargyriæ morbum describens ad h. m. *Hic verò morbus posterius superveniens, & extrinsecus accedens animæ, quanto facilius caveri potest ac respui, tanto neglectus & intromissus semel cordi, fit perniciosior cunctis, difficilimque propellitur; malorum namque omnium efficitur radix, multiplices fructificans fomites vitiorum.* Et cum inter plurima mala, in quæ cultores suos avaritia præcipitat, Apostolus tentationem etiam recenseat, laqueum diaboli, desideria multa nociva, denique interitum & perditionem, dubium non est, quin cuncta hæc calamitatum genera literati illi incurrant, qui immodica pecuniarum cupiditate sese abripi patiuntur. Ingeniosa est illa Ambrosii ex antiquis Poëtarum fabulis observatio, quod Dites simul Dea fuerit divitiarum, & dominium pariter

Joh. Cassian. Instit. lib. VII. c. 2. p. m. 165.

Ambrosius l. de Nab. c. 6.

riter in infernum obtinuerit, quaſi vel ipſorum Gentilium Poëtarum judicio divitiæ propterea ſint contemnendæ, quod pondus in ſe habeant, quo animæ mortalium in perditionis barathrum deturbentur. Hinc etiam Poëta christianus in pſychomachia ſua quondam de avaritia eleganter cecinit:

Omne hominum rapit illa genus; mortalia cuncta
Occupat interitu: neque enim eſt violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnetq́; gehennæ.

Prudentius in Pſychom. cap. 5.

Similiter Auguſtinus avarum barathro perditionis ſimilem eſſe judicavit, eo quod ad inferni ipſius exemplum, quantacunque devoraverit, nunquam dicat ſatis eſt, nec undique confluentibus theſauris ullatenus ſatietur. Et B. Bernardus medium ſe inter divitem avarum in pœnis hærentem & Abrahamum conſtituens, interrogat: *Haccine cruciatuum cauſa tota quod in hoc ſeculo bona receperis? Ita planè.* Laqueis nimirum illis infernalibus tantoperè irretitus fuerat miſer homuncio, ut omni ſpe evadendi früſtratus, æternæ datus ſit internecioni, tantamque in miſeriam deductus, ut guttam aquæ in inferno peteret, neque tamen acciperet. Et

Auguſtinus lib. de ſal. doc. cap. 30.

Bernard. in declā. Ecce nos reliquimus omnia.

rectè

Augustinus Serm. 24. de Verb. Dom.

Idem Serm. 25.

rectè quidem; *Postulabat enim* [scitè inquit Augustinus] *dives ille in vita avarus aquæ guttam, sicut Lazarus postulaverat micam, sed pauper ille non perveniebat ad micam, nec dives in inferno propterea perveniebat ad guttam.* Et in eundem sensum alibi tam culpæ [ut scholæ loquuntur] quam pœnæ mala avaritiam excipientia commemorans Augustinus; *Quæ* [ait] *est ista concupiscentiæ aviditas, cum ipsæ belluæ habeant modum! Tunc enim rapiunt quando esuriunt, parcunt verò prædæ cum senserint satietatem. Inexplebilis est sola avaritia divitum, semper rapit, & nunquam satiatur, nec DEUM timet, nec hominem reveretur, non patri parcit, nec matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat, viduam opprimit, pupilli rem invadit, liberos in servitutem revocat, testamentum falsum profert. Quæ est ista, rogo, animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum? pensantur pro divitiis pœnæ, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, ut salva sit æquitas stateræ, & non mentitur modus ille mensurâ, in quâ inquit mensi fueritis mensurâ, ita metietur vobis. Ideò negatur in pœnis misericordia diviti,*

quia

quia ipse dum viveret noluit misereri. Ideò rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.

VII. Neque verò spiritualia ſolum & ſempiterna avaritiæ damna veteres ſollicitè poſuêre ob oculos, verum temporalia etiam pericula, h. e. ærumnas & cruciatus varios dedêre expendendos, qui ſcil. cunctos terreſtrium bonorum inſanos amatores in vita præſenti exercere ſoleant. *Quocunq; enim* (rurſus præclarè inquit Auguſtinus) *cor ſe converterit, in terrenis rebus, amaritudinem invenit, undeq; dulceſcat non habet.* Et Mediolanenſis Ambroſius de ſeculi hujus divitibus diſſerens; *Illud miraris* inquit, *quod abundant auro, argento, pecunia? quantis abundant vides, quantis egeant non vides, &c.* *Conſidera* (addit Bernardus D. Ambroſium explicans,) *naturam divitiarum, in eis reperies laborem, timorem & dolorem, laborem in acquirendo, timorem in poſſidendo, & dolorem in relinquendo.* Et in eundem ſenſum haud malè alius; *Chriſtus* (ait) *divitias ſpinas vocavit, quoniam varias curas amaras, timores, ſuſpiciones & inquietudines animam inſtar ſpinarum penetrantes producunt.* Multus quoque B. Chryſoſtomo olim de cruciatibus & ærumnis divitum & avarorum fuit ſermo, nihil opibus fallacius

August. in Psal. 8.

Ambroſ. lib. 6. Examen. cap. 8.

Johan. Chrysost. homil. 2. ad pop. Antioch. cius esse demonstrans, quæ hodiè nobiscum sint, cras contra nos, invidorum oculos arment, undique hostes sint contubernales, atque domestici inimici. Et cum omnia illa bona, quæ nos speciosa putamus, cum summo labore possideantur, cum invidia conspiciantur, nunquam vel rarò justè teneantur, quidni spinæ nobis videantur & scopuli, quibus (vel ipso *Seneca consol. ad Polyb.* Seneca monente) *pendemus & fluctuamus, alter in alterum illidimur, & aliquando facimus naufragium.* Nec malè laudatus Chrysostomus *Chrysost. hom. 40. super Matth.* Avaros comparavit Israëlitis, qui cogebantur à Pharaone quærere paleas ad conficiendos lateres; *Nullum enim* inquit inter auri sollicitos collectores & cœni atque laterum operarios, quique ad paleas colligendas flagellis adigebantur, discrimen omninò est. Nam ut tunc Pharao atrocissimus ille tyrannus flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos, sic etiam nunc diabolus ad officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud aurum est, quam cænum? & argentum quid aliud quam palea? sicut ergo palea ignem, sic pecuniæ cupiditas avaritiæ flammam incendit, & quasi cœnum aurum ipsum inquinat possidentes, eosque quos cepit in tantam (more *Chrysost. hom. 64 super Johan.* sævissimi tyranni) servitutem vindicat, ut inter flagella & supplicia illi esse malint, quam ab iis directi optatis frui deliciis. Imò verò *gravior pœna avaris* (uti Pelusiota rectè judicavit) *infertur*

tur, quam fuit eorum, qui olim ad metalla sunt damnati, cum illis confecto opere, somno & quiete frui licuerit, avaritia autem noctu quoque severa & inhumana proponat edicta. *Isid. Pelus. lib. II. epist. 233.*

IIX. Sed cum præ cæteris mortalibus eruditi nonnulli graves sæpè divitiarum inanium spe devorarint molestias, exemplis quibusdam & documentis singularibus nunc ostendendum erit, quam spinosa, quam plena curarum, periculorum & dolorum, etiam temporalium, sit vita literatorum Avarorum, qui nonnunquam cum maximis rerum difficultatibus inquieto animo & inter turbas turbulento sunt colluctati. Prodeat Vir in Orbe erudito non incelebris Theodorus Gaza, casumque suum satis miserabilem, quem urgente nummorum cupiditate noxia subiit, Jo. Pierio interprete commemoret: Tantæ [ait ille] eruditionis Vir, quantæ multis ab hinc annis nemo Græcorum, dicere ausim & Latinorum fuit, cum divinas propemodum elucubrationes in Aristotelis animalia, quam historiam latinè legendam repræsentarat, Xisto Quarto Pont. Max. nuncupâsset, sperans scilicet Principis ejus beneficentia quæsitum per tot labores vitæ subsidium non deparcum se consecuturum: neque tamen plures quam aureos quinquaginta, quasi magnum ab eo, à quo se totum inauratum iri speraverat, retulisset; studiis indignatus, quod tam parca sibi laborum & vigiliarum suarum *Jo Pier. Valer. lib. II. de literat. infel. p. 159.*

rum

rum merces tributa esset, nummos eos primum in Tyberim abjecit, mox ipse hujus indignitate rei exulceratus, insolabili ægritudine contabuit. Magis verò calamitosa GABRIELIS ZERBI Veronensis Doctoris avarissimi mors, quâ [eodem Pierio teste] nulla multis abhinc annis neque immanior, neque crudelior accidit. Fuit is in Patavino Gymnasio Professor valdè celebris, cujus promptissimum ingenium, & intrepida ob doctrinam confidentia plurimis innotuit. Accidit autem, ut Scander, Turcarum Regis primipilaris Vir, gravissima disenteria laboraret, quæsieritque per cognitissimum sibi hominem Andream Gritteum, ut Medicus ex Italia ad se quamprimum mitteretur, ingentia itineris, laborum & curæ præmia reportaturus. Suscepit hanc provinciam Zerbus, & immensum auri pondus spe vorans, ad Scanderem proficiscitur, secumque filium adhuc impubem adducit. Curat principem Zerbus diligenter, & pristinæ reddit incolumitatī, donatur mox auro multo, vestibus & gemmis, & argenteis pateris, aliaque supellectili locupletatur, ut si domum ea omnia asportare licuisset, unum quemque Europæ Regem instrumento fuerit provocaturus. Jumentis itaque oneratis, ad finitum quoddam Turcarum castellum, unde in Dalmatiam diverteret, se recipit; pauculosque ibi moratur dies, dum præsidium itineris ex Christiani nominis hominibus accersi-

Idem. lib. I. p. 74.

cerſitur, quæ omnia pacatiſſimè & fide utrinque data acceptâque tranſigebantur. Accidit autem ut Scander in graviorem ex incontinentia recideret ægrotationem, quâ breviſſimo temporis ſpatiolo conſumtus interiit. Filii, ut in pretioſa illa munera, quæ Pater Zerbo dederat, invaderent, temporarium venenum à Medico Patri datum calumniantes, percuſſores expeditiſſimos immiſerunt, qui fugientem ut ajebant è fuga retraherent. Illi captum Zerbum, & una filium adoleſcentem indictâ cauſa eo ſupplicii genere affecerunt, ut primum imeritiſſimum filium ante patris oculos, inter duas ex ligno tabulas incluſum, ſerrâ medium diſſecarent, mox ipſum quoque tormento eodem atrociſſimo trucidarent. Nec minus ex nimio amore nummorum, eorundemque jacturâ offenſus periit Trypho Dalmata, Vir [ut idem Pierius habet] cui noſtra ætas rariſſimos habuit, quos Latinarum, Græcarumque literarum cognitione conferre poſſet. At verò aliquot annis quâdam maniæ ſpecie ita laborabat, ut humanum omne genus evitaret, nulliusque contubernium ultra biduum aut triduum ferre poſſet, non quidem alia de cauſa, quam quod quingentos nummos aureos toraci inſuerit, metuque perculſus ne diriperentur, mortales omnes ſtudioſiſſimè declinarit. Ac ubi (re divulgata) de torace ſuo mentionem fieri animadvertiſſet, ſarrepto ſtatim itinere

Pierius l.c. lib. II. pag. 161.

tinere in alias urbes commigrare constituit. Tandem cum aurum ex torace surriperetur, adeò efferatus, & à se penitus fuit alienatus, ut dolore tandem & ægritudine oppressus miserabiliter interierit. Infelicissimi hujus Tryphonis casus, in mentem nobis revocat anonymi illius avari historiam, qui cum insignem quendam auri cumulū in rupis cujusdam recondito & secreto loco reposuisset, post aliquot verò dies aurum omne sublatum, & thesauri loco laqueum invenisset, in tantam mentis vesaniam incidit, ut repertum depositi loco laqueum collo injecerit, seque sine mora ibidem suspendio suffocarit. QUO NON MORTALIUM PECTORA COGIS, AURI SACRA FAMES! Quâ etiam ex literatorum ordine Avorum nostrorum memoria quidam Dominicus SARRATONIUS Venet⁹(qui Pierio memorante, non contemnendam in disciplinis omnibus eruditionis facultatem erat assecutus, atque philosophiæ non indiligentem dederat operam,) tantoperè fuerat correptus, ut animi quoque abalienaretur, deque nummis, quos in manticam conjectos lacerto suspenderat, loculo in interiorem tunicam immisso, delirio nescio quæ fabularetur, nullisque medicorum opibus adjuvari potuerit, tandem multorum mœrore interierit. Quis tragicis hisce literatorum casibus perceptis, summæ crudelitatis matrem non diceret Avaritiam? quis tanto morta-

Pier. l. c. p. 163.

mortalium (cupiditate correptorum) ſtupore conſiderato, negaret, providè admodum ethnicos fictitium divitiarum DEUM cœcum finxiſſe, eò quod opibus, & nimio ad eas affectu homo [etiam eruditus] ſæpè occœcetur. *Quod ſi enim* (inquit Clemens Alexandrinus) *cæcæ ſunt opes, ut revera cæcæ ſunt, quomodo non cæci ſunt, qui eas ſtupent, & admirantur & in eas ſunt affecti.* Eandemque hominum cœcitatem alibi pereleganter redarguens; *Quæ ſunt* ait *neceſſaria, ſicut aquam & aerem, DEUS apertè omnibus ſuppeditat, quæcunq; autem non ſunt neceſſaria, ut aurum abſcondit. Et ideò aurum formicæ fodiunt, aurum Gryphes cuſtodiunt, à Mari teguntur margaritæ. Vos autem curam ſupervacaneam ponitis in iis quæ non oportet.* Vehementius verò Chryſoſtomus avaritiam malorum omnium cauſam conteſtatus, in verba ſequentia erupit: *Quoniq; inſatiabili iſta cupiditate non ſatiamur? Quid boni habet aurum? planè attonitus hâc in re factus ſum. Incantatio quædam eſt, & præſtigium, quod aurum & argentum tantoperè à nobis honorantur. Animarum itaque noſtrarum nulla nobis eſt ratio. In animatarum verò imaginum plurimus cultus.*

Clemens Alex. 3. Pæd. c. 2.

Idem, 2. pæd. c. 12.

Chryſ. ſt. hom 10. in 1. ep. ad Theſſ.

Unde hic morbus Orbem (literatum) *subingressus est? quisnam illum exterminare poterit? quisnam sermo sævam hanc bestiam exscindere, & funditus perdere valebit?* Neque verò alia ratione id fieri posse, quam generoso auri contemptu ac vilipendio, non christianæ solum, verum gentilis etiam philosophiæ professores docuêre, ex opum despicientiâ ad summam animi tranquillitatem & quietem olim provecti. Hinc Apuleus malevolorum criminationibus (quod pauper esset) responsurus, ipsam pauperiem suam vehebat ad sidera: *Paupertas philosophiæ vernacula, parvo potens, æmula laudis, habitu secura, cultu simplex, consilio benè svada, neminem superbia inflat, neminem impotentia depravat, neminem tyrannide efferat. Prisca apud secula omnium civitatum conditrix, OMNIUM ARTIUM REPERTRIX, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica. Apud Græcos in Aristide justa, in Socrate sapiens, in Homero diserta, etiam Romanis à primordio fundavit Imperium.* Hinc objurgavit amicum suum alicubi Seneca protrahentem STUDIA LITERARUM, donec securus in reliquam vitam esset à paupertate; Nulla (ajebat ille) securitas sine pauperie, etiam cum classicum canit,

securа

ſecura eſt, & ſcit ſe non peti. Cupiditati nihil tutum, tranquillum nihil, paupertati omne. Pauperi naviganti non perſtrepunt portus, non inquieta ſunt litora, non eſt infenſa turba ſervorum, ſine ſarcina, ſine velo, ſine remigum tranſtris præſidiaria nave inanitatis ſuæ æquora tranat, æthera ſine plumis permeat, neque pennis ventum ſubornat. Quid paupere felicius, cui non vehiculis, non navibus, non ſplendididis opus eſt domiciliis, cui non decoctoris perfidia, non raptoris injuria, non temporum iniquitas eſt metuenda. Nulla cenſoria pauper veretur ſupercilia, ubique conſidet lætus, ubique hilaris agit, quæcunque libuerint, majori quam Reges & Principes libertate. Duris temporibus, & ingruentibus rerum diſcriminibus mœſti & muti tabeſcunt divites, pauper ſolus cantabit & ſaltabit. Malo regnante Principe alii diffugient, errabuntque exilio, pauper ſolus arcem tyranni libenter inviſet, & veluti tyrannidis profligator in tyrannum ipſum inſoleſcet. Hunc ſcil. in modum ipſi gentilium Magiſtri divitiarum contemptum parare, commendareque cæteris laborarunt, multò magis literatos Chriſtianos decet nobili illi αὐταρκείας ſtudio ſtrenuam navare operam, atque horrificum iſtud monſtrum [avaritiam ſcil.] ſpecie ſua tam multos, tamque ſapientes mortales dementans, jure meritoque habere exoſiſſimum. *Ecquis enim* (dicimus

cum Isidoro Pelusiota) *acerrimo hujusmodi & inexplebili furore atque innumera peccata, & maledicta & dedecora & intemperantias, ac petulantias nobis conflante capiatur? Ecquis in animum inducat tum in hâc vita tam miserè vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem ullam aut somnum sentiat, & in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere.*

IX. Quemadmodum verò immodicus opum fluxarum amor, pecuniæque cœca cupiditas omnibus omninò literatis maximo est nocumento, impeditq; quo minus ad optatæ felicitatis metam illi pertingere possint; ita tum maximè suos illa expedit dolos, ubi ipsa ECCLESIARUM invaserit SANCTUARIA, CHRISTI infecerit discipulos, Pastores corruperit, DEOque sacratos homines Principis tenebrarum subjecerit potestati. Ubi semel illorum mentes AVARITIÆ pernicies pestilenti sua caligine occupavit, vix sui amplius compotes, verum ad miserrimi infelicissimique Ischariotis exemplum arctissimis vinculis religati videntur. Quamprimum Christiani Sacerdotes turpi lucro inhiare incipiunt, Templum Dominicum (horrendâ metamorphosi) in latronum infernalium speluncam transmutatur.

Corru-

Corruerunt ut plurimum in pessima omnes Gehasi & Judæ proditoris sectatores, nec in temporalis solum, verum sempiterni exitii barathrum fuêre præcipitati. Non solus RHEGINETUS Misnensis Episcopus horribiles adeò avaritiæ suæ pœnas dedit, ut miseranda morte absumtus, suisque thesauris (quorum nimius amator erat, & quos nullo conscio terræ infoderat,) miserrimè fuerit immortuus; verum plurimi etiam è Simonis Magi ordine detestabili illo avaritiæ morbo occœcati, extremæ perditionis subiêre aleam. Ecquid deterius quam videre sacris ornatum muneribus virum pudenda illa labe contaminatum? *Quidve tam asperum, tamque perniciosum* (ait Ambrosius) *quam si Ecclesiasticus seculi hujus divitiis studeat*? Quid tristius atque miserabilius, quam si irradiantium illorum luminum splendorem, pudendæ istius cupiditatis tenebræ opprimant, plenaque dedecorum caligine fulgentissima cœli christiani sidera obtegantur? Sicuti de Theophilo Alexandrino Episc. refert Nicephorus, *quod vitam per avaritiam secutus sit quæstuosam, omnemq; adeò lapidem moverit ut auri odore perfrueretur.* Eapropter Magnus gentium Apostolus horrida illa (quæ ab AVARITIA Ecclesiasticorum hominum emanant) mala considerans, non Timotheum solum suum esse ἀφιλάργυρον, verum pestem tantam ex omni-

Bzovius Histor. Ecclesiast. lib. XI. ad an. 1066 num. IV.

Niceph. lib. XIII. cap. 10. confer Palladium in dial. de vità Chrysostomi.

omnium DEO sacratorum Virorum cordibus
I. Tim. voluit eradicatam; *quoniam scil.* (Chryso-
III. logo interprete) *illa malorum omnium*
Chrysol. *radix cupiditas sævus adeò sit hostis, ut i-*
Sermone *psorum etiam DEI ministrorum fidem fran-*
29. *gat, violet affectum, vulneret charitatem, turbet quietem, adimat innocentiam, sua-deat fraudes, & alta mentium semper in terrena demergat.* Nec minus laudabilem in pestiferâ illa malorum omnium radice [Avaritia scil. Clericorum] exterminanda Johannes Chrysostomus operam posuit, eosque potissimum Sacerdotes gravissimè duxit increpandos, qui ex Bonis Ecclesiæ ditescere, Deoque sacratas opes in privatos convertere usus neutiquam dubitarunt. Hos apud se nec tolerabat, neque Ecclesiasticorum titulo dignos judicabat. Si hæc (en verba notatu dignissima!) idololatria omnibus christianis severè adeò est interdicta, an non multò execrabilior in iis, qui sacro divinoque officio funguntur, illa videbitur? *Vide igitur* (ait idem) *quanta sit rerum perturbatio: Qui*
Joh. Chrysost. hom. VI. in epist. ad Ephes. *rectè vivendo, rectamq́ aliquo modo fiduciam obtinendo, montium cacumina occuparunt, è medio sublati, & velut ab hostili alienoq́ & minimè domestico corpore avulsi sunt. Corrupti verò, quiq́ innumeris malis*

lis scatent, in Ecclesias irruperunt. VENALES factæ sunt dignitates, mille hinc mala nascuntur, & tamen nemo est qui corrigat, nemo qui reprehendat, sed viam quandam, atque sequelam hæc nacta est merces. Et alio loco idem Chrysostomus; *Non poteritis* (præclarè ait) *de paupertate disserere, vel persuadere ut facultates contemnantur, qui omnia facitis ne quid ex vestris facultatibus vobis decedat, ut opibus opes accrescant, propter vos, & iterum propter illas institores facti. Neque enim ingenua & jucunda sunt vestra officia. Qui jussi estis portare crucem, & sequi Christum, abjecistis crucem, quasi effœminati milites.* Graviter hinc (ita notanter in vitâ Johannis Chrysostomi Palladius scribit) offendebatur. PARS OBSERVANTIUM SACCULOS, atque de exturbando Viro innocentitissimo potius, quam extirpandâ illa malorum omnium radice fuit sollicita. Miratur haud abs re alicubi Magnus ille Pelusiota, quod avaritiæ morbo tantoperè laborent, inque aliena bona (ut ipse loquitur) insano quodam impetu ferantur ipsi divini verbi præcones, Sacrorum librorum incumbentes meditationi; ut nec amor divinus, nec lectio sacrarum literarum (quarum tenore non modo

Id. Homil. XVII. in Math.

Palladi9 in Dial. de vita Jo. Chrysostomi.

Isidor. Pelus. lib. I. Epist. 27.

do aliena non sint concupiscenda, verum propria etiam dispergenda) immodicam illam pecuniarum sitim extingvere valeat, quin imò (ut ad Alypium Episcopum scripsit) usque adeò hoc morbo devincti teneantur, ut ne morbum quidem esse existiment. Cum verò ad animum sibi Isidorus revocasset Satanæ in supplantandis impugnandisque hominibus spiritualibus malitiam & pravitatem, mirari omninò desiit, totusq; in subministrandis optimis saluberrimisque adversus illam Clericorum pestem remediis fuit occupatus. Quantò graviorem curatuque difficiliorem eum morbum Pelusiota esse judicavit, *qui nec exquisitis* [ut ipse loquitur] *atteri pharmacis facilè queat*; eò diligentiorem in illo depellendo, & ad sanam mentem revocandis DEO sacratis hominibus operam adhibuit; mox auri cupiditatem vitii omnis fontem esse disertè ostendens, mox Sacerdotes avaros sub idololatrarum furiosorumq; imagine repræsentans, mox acutissimum adversus eosdem lingvæ calamique mucronem stringens, horrendamque avaritiæ tyrannidem, omnia sursum ac deorsum miscentem acriter perstringens, mox saluberrima adversus voluntarium illum exitialemq; morbum remedia subministrans: *Nimirum ut corradere paulatim desinat, & ad distribuendum largiendo animum applicet, quisquis integram animi valetudinem recuperare velit.*

Idem lib. III. Ep. 234.

Isid. lib. V. epist. 142.

Idem lib. II. epist. 146. ubi de avaritiæ malis noxaq; divitiarũ prolixè disseruit

Id. lib. I. epist. 36.

Id. l. III. ep. 234.

lit. Nunquam [ita ad Heronem Presbyterum notanter scribit] incurabili hoc morbo capietur, qui intra fines utendi, quantum quidem satis est, se ipsum conservet, sed in delectatione erit & gaudio, & ab affectibus expugnari nescius constans perseverabit. Quam verò in Clericis omnibus tantoperè reprehendit avaritiam Isidorus, eam Doctor Mediolanensis potissimum in Episcopis est detestatus; *Nihil deformius* (scribit alicubi, ostensurus turpia lucra eos minimè decere) *quam nullum habere amorem honestatis : & usu quodam degeneris mercaturæ quæstu sollicitari nobili, avaro æstuare corde, diebus ac noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonii, non elevare animum ad honestatis nitorem, non considerare veram pulchritudinem; Hinc nascuntur aucupia quæsitæ hæreditatis, continentiæ atque GRAVITATIS SIMULATIONE captatæ, quod abhorret à proposito christiani Viri.* Nec alios hisce verbis Ambrosius notavit quam Episcopos hæredipetas, quos bellè alicubi depinxit Hieronymus, & quorum cupiditatem infrunitam Synodus Constantinopolitana Septima sanctione peculiari duxit reprimendam. *Præco veritatis Paulus divinus Apostolus quendam veluti canonem Ephesiorum presbyteris imponens, vel universæ potius*

Id lib. V. ep. 67. & 142.
Id. lib V. epist 67.
Ambros. de offic. lib. III. cap. 9.
Hieron. epist. ad Nepotian. de vitâ Cler.
Synod. Constantinop. VII, c. 4.

potius sacerdotali multitudini, sic liberè dixit: Argentum vel aurum, vel vestem nullius concupivi, omnia vobis ostendi, quod oportet sic laborantes, infirmos suscipere, dare beatum existimantes. Quo circa nos ab eo edocti, statuimus, ne turpis lucri gratia Episcopus excogitet & quærat excusationes in peccatis, ut aurum vel argentum, vel ullam aliam speciem ab iis qui sibi subsunt episcopis, vel clericis vel monach[illegible] exigat. &c. Verum surdis auribus hæc excipiunt insano auri amore flagrantes Clerici, pecuniarum (ad Simonis Magi exemplum) potius conquisitioni, quam Paulinæ imitationi studentes, nec ab ipsis irreligiosis negotiationib9, pudendisq; dignitatum ecclesiasticarum nundinationibus abstinentes. *Decetne verò Pastorem* (ait D. Bernardus) *more pecorum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis* (quæ omnia facit captator munerum) *& non potius erectum stare ut hominem, cælum mente suspicere, quæ sursum sunt & quærere & sapere, non quæ super terram?* Decetne Episcopum in Ecclesiæ suæ sinum (ut Joh. Sarisber. loquitur) per impluvium auri descendere, ac si per tegulas Jupiter in gremium Danaea

Bern. epist. 42.

Joh. Sarisber. l. 7. Polyrat. c. 17.

Danaes elabatur? Non malè dictum à sapiente, dæmonem avaris [cujuscunque illi status ordinisve sint] amatissimas exhibere pillulas, argento vel auro contectas, neque verò eas ad evacuandam, sed sistendam avaritiæ alvum facere, tantosque ut plurimum concitare cruciatus, ut æger vitam agere miserrimam cogatur, tandem omni bonorum suorum fruitione sit destituendus. Hinc livoris crudele tormentum, & cremantis malevolentiæ horribilis cruciatus, hinc sæpè tot noxii humores, tanta non corporum sed animorum discrasia, rixarum videlicet, odiorum, contentionumque etiam inter unius fidei, & professionis ejusdem socios infinita congeries, cum odia intestina pestiferæq; lites & dissensiones apud eruditos primum plerunq; aditum per divitias & frigida illa verba *meum & tuum* invenerint: *Cujus enim* (ait Chrysostomus) *mali causæ non sunt? Nonne harum gratia concupiscimus? nonne rapimus, nonne inimicitias subimus? nonne conserimus rixas? nonne contentiones perpetuas teximus?* Et in eundem sensum Valerianus; *Ex hoc fomite* (scripsit) *avaritia scil. videmus pullulare odiorum causas, hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari.* Nil certius. Tot equidem in Orbe literato (imò ecclesiastico etiam) fraternas Collegarum

Chrysost. hom. 17. in 1. ad Tim.

Valerian. hom. 20. de avarit.

legarum acies turpissimum & abominandum illud cupiditatis monstrum instruxit, ut iis enumerandis justi voluminis mensura vix sufficeret. Quid multis? In tantam malorum, vitiorum, calamitatum & miseriarum farraginem avaritia literatorum sese extendit, ut laudato Valeriano præclarè observante, nihil sit malorum, quod prava illa cupiditas aut non conceperit, aut non partuerierit, aut non nutriverit.

X. Quanto autem vehementiori impetu hæc AVARITIÆ pestis in miseros quosdam & infelices literatos hactenus fuit grassata, tanto diligentiori studio nunc disquirendum, quibus REMEDIIS à præsentissimo exitii periculo (divina opitulante gratia) illi sint liberandi, suæque restituendi integritati. Et cum graves avarorum cruciatus doloresque hactenus exposuerimus, ea nunc quæ ad ægrorum salubritatem facere possunt remedia prosequamur, quum nulla pars magis expeti soleat, aut nihil prius ipsa polliceatur medicina. Magnus Basilius, postquam varia morbi illius symptomata æquâ lance ponderasset, tandem ad ægrotū sive avarum conversus, eum compellavit in hunc modum: *Quibus verbis Te curabo? quomodo loquar? Regnum DEI non curas, gehennam non times, quam animæ Tuæ medicinam idoneam inveniamus? Disputamus cum corde lapideo, ô infelix homo! pecunia naturam ali-*

Basil. M. homil. 7. in divit. avar.

aliquantulum inspice, quid atttonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis argentum. Aptissimum sanè ad curandos levandosque avaros est hoc Basilii remedium, si nimirum illis divitiarum, omniumque bonorum terrenorum proponatur tum vilitas, tum brevitas, utpote quæ meritò hominem, præsertim literatum à pernicioso illo pecuniæ amore abalienare debeant; *Cum opes* Chrysostomo docente *fluvialium undarum naturam imitentur, quæ simul & videantur & labantur, uno eodemque temporis puncto & teneantur & effluant.* Sunt *planè* (pergit) *fugitivæ divitiæ, hodierna die transeuntes ad hunc, cras ad illum; neque fugitivæ sunt tantum, sed alios reddunt etiam fugitivos, dū efficiunt, ut ii quibus custodiendæ commissæ sunt, sæpè fugam arripiant.* Quemadmodum & Hilarius illam fluviorū, sive bonorum temporaliū rapiditatem & fugacitatem considerans; FLENT (scribit) *omnes, qui se captos in Babylone sentiunt, & sedent super flumina, omnia enim seculi currunt, labuntur & transeunt.* Non malè Plinius observavit, quod natura flores illos, qui vel maximè oculos alliciant & rapiant, quam citissimè languescere & deficere faciat, eoque ipso singulare quoddam inconstantiæ atque instabilitatis mundanæ edat documentum.

Chrysost. hom. 1. in Ps. 48.

Id. hom. 2. in Ps. 48.

Hilar. in Ps 136.

Plinius lib. XXI. Hist. nat. cap. 1.

Ut

Ut in rerum (ait) *natura, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt, veluti rosa, lilia, violæ, cum alia durent, ita in hominum vita quæ florentissima sunt, tito vertuntur in diversum.* Vix Sol in humanæ felicitatis meridie splendoris sui diffundere incipit radios, quin subitò ad instabilitatis & mutationum occasum deflectat. Quanto amplius aquæ intumescunt, & eriguntur, tanto copiosiores in iis generantur spumæ, quæ vix apparentes subitò evanescunt & deficiunt. Unde Magnus Gregorius; *Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt, sed eo celerius disruptæ dispereunt, quo inflatæ citius extenduntur, cumque excrescunt ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant.* Et diu ante Gregorium Seneca, qui ipsis Imperatoribus in curia Romana intimus, honore & opibus illustris, volubilitatis tamen illius oculatus fuit testis, fragilem & caducam nuncupavit eam felicitatem, quæ à fortuna blandiente proveniat, siquidem cum vitæ etiam periculo sæpè fluat, & sine ratione destituat. Magis verò christianè; *Præterit præterit*, Theodorus ait Studita, *figura hujus mundi, id est labitur, prætereequitat, nec vel diurnam stabilitatem obtinens,*

Gregor. M. l. 16. Moral. in Job. cap. 5.

Seneca lib. II. Controv. cap. I.

Theod. Stud. catechef. 3.

uens, ſed qui heri nitidus, hodiè ſqualidus, qui heri in re ſplendida, hodiè in miſeria eſt; nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit, hic è paupere fit dives, alius è divite pauper, milleq́; mutationibus & vicibus ærumnoſa noſtra vita eſt ſubjecta. Salutare hoc remedium, ſi literatus cupiditatis immodicæ morbo laborans ſtudioſè adhibuerit, h.e. vanitatem & inconſtantiam opum frequenter ſibi ad animum revocaverit, boniſq; locum conceſſerit conſiliis; dubium nullum eſt, quin priſtinam animi integritatem cœleſti ope ſit recuperaturus, atq; ſempiterni exitii periculum feliciter evitaturus. Sin verò ſaluberrimam hanc conſtanter reſpuere velit medicinam, aurumq; cumulando, noxios adaugere pergat humores, immedicabilem efficiet ſuam ægritudinem, tandemque extremam ſubibit perditionem. *Idem illi* (vel ipſo Chryſoſtomo notante) *continget, quod laborantibus febri, quæ initio quidem non admodum ſiti ægrotantes adurit; cum autem creverit, & flammam excitarit, tunc ſitim efficiet immedicabilem, & ſi quis eis conceſſerit ut potu ſeſe expleant, non ſolum non extingvetur ardor potu, verum magis etiam inflammabitur.* Nihil verò (addit optimè) hanc ſitim ita extingvit, quemadmodum ſi ab hujusmodi deſiderio Te ipſum

Chryſoſt. hom. XI. in epiſt. ad Cor.

ipſum liberum conſtituas, ſicut etiam acuta bilis non potū ſed abſtinentia potius, & evacuatione extingvitur. Aliud non minus ſalubre remedium alicubi ſubminiſtravit Caſſianus h. m. GIEZI *exemplum pertimeſcamus, qui ob philargyriæ culpam æterno ſupplicio lepræ multatur; Nec non etiam Judæ vel meritum vel exitium formidantes, damnationem etiam Ananiæ & Saphiræ memoriter retinentes.* Et quis toto non horreat pectore, ſi graves adeò auri-cupidorum pœnas probè conſideret? Atque ut Giezi & Judam nunc ſuppliciis ſuis relinquamus; *In Anania cumprimis* (D. Ambroſii verba adſcribo) *exemplum avaris omnibus eſt propoſitum, ut qui ejusdem criminis reus fuerit, ejusdem ſupplicii in judicii die ſententia feriatur. Grande igitur malum eſt avaritia, imò malorum omnium origo.* Conſideret inſuper piè-literatus, quam ſit indecorum, animum ad immortalia & cœleſtia procreatum, hiſce terrenis, non bonis, ſed bonorum duntaxat imaginibus adhæreſcere; quam perniciosum etiam ſit, eò delabi, ut quævis monita & præcepta ſalutaria habeantur contemptui, malis verò dæmonis ſuggeſtionibus aures præbeantur patulæ, neque vera amplius à falſis, bona perennantia à fluxis & caducis diſtingvan-

Caſſian. lib. VII. inſtitut. c. 30.

Ambroſ. Serm. 59.

gvantur, neque ipsi instinctus divini revocentur ad animum. Ita siquidem divitiarum amor (dicente D. Hieronymo) excœcat oculos, ut nihil aliud amantem nisi id, quod amat, cogitare permittat; Annon [pergit.] dicenda est ebrietas, cum propter vile scortum & ignominiosam corporis partem, animæ libertas in serviles blanditias inclinatur? cum laborem suum alterius facit esse delitias? cum furto, scelere atq; perjuriis opes futuræ præparat voluptati? Et cum videatur ab omnibus, se existimat non videri, dummodò potiatur eo quod desiderat.

Hieron. Commẽt. in 1. cap. Joel.

XI. Sed & aliud REMEDIUM Literatis Avaritiæ morbo laborantibus suggessit ISIDORUS Pelusiota, omnium quæstuosissimæ artis, (h. e. christianæ in MISEROS & EGENOS LIBERALITATIS atque benignitatis) amorem ac studium comendans: *Ut nimirum*, quæ Isidori verba sunt, *corradere paulatim desinant, & ad DISTRIBUENDUM LARGIENDO VENIANT, si integram recuperare valetudinem velint.* Sanè cum palmarium quendam ea Virtus in cæterarum choro locum habeat, quinimò ex nobili christianæ charitatis RADICE eadem succrescat, dubium non est, quin hoc ipso artificio pessima vitiorum malorumque omnium radix atteri eliminarique optimè possit.

Isid. Pelus. lib. V. ep. CXLII

possit. *Melius est* dicente Chrysostomo *hanc SCIRE artem omnium quæstuosissimam, quam esse Regem, & diademate coronari. Hæc & SOPHISTIS* (addit notanter) *ac Oratoribus Te potiorem facit*; clarissimè innuens, literatum, operibus misericordiæ occupatum, facundissimis & subtilissimis quibusvis Doctoribus esse præferendum; *siquidem ea scientia* (ut statim subjungit Chrysostomus) *doceat DEO similem fieri, quod omnium bonorum est summa*. Gazophylacium Sacra illa liberalitas est, & quidem inexhaustum; ærarium est, purissimo auro undique refertum, locupletiusq; Salomonæo, quod ita evacuatum fuit, ut subditos immodicis tributis ille Regum sapientissimus & ditissimus premere debuerit. Crœsiano etiam ærario est splendidius, quod manu hostili fuit direptum: Opulentius quoq; Palatio Sardanapaliano, quod tandem combustum fuit atque dissipatum: Quis verò effusam in pauperes liberalitatem unquam vidit exhaustam, consumtam, dissipatam? Et quamvis ea quæ indigentibus tribuuntur, dispergi amittique videantur, tantum abest tamen, ut pereant aut distrahantur, ut potius per manum pauperum veluti securam per navim ad felicitatis perpetuæ portum transmittantur. Seminationis cuiusdam rationem larga in egentes benignitas habet, siquidem

Chrysost. homil. XXXIII. ad popul. Antioch.

dem plus semper recipiat misericors, quam ipse pauperibus suppeditaverit, *pro silice* [ut in proverbio est] *torrentes planè aureos.* O utile commercium, quo non solum substantia lucri pretium excedit, sed sortem ipsam incrementum fœnoris superat! Intelligant hinc Literati opulentiores maximum divitiarum suarum fructum facultatem benefaciendi esse. *Placeat ipsis* (ait Petrus Damianus) *consilium quod per Salomonem datur: Mitte panem tuum super aquas transeuntes, quia post multa tempora recipies illum, da partes septem, nec non & octo, quia ignoras quid mali futurum sit super terram. Et iterum: Manè semina semen tuum, & vesperè ne cesset manus tua; sevit Isaac in Gerara, & invenit eo ipso anno centuplum; sed quam felicius seminat, qui dum subsidia indigentibus subministrat, pro avena triticum, pro grano metit acervum*, eademque opera pestiferam illam malorum omnium radicem ex cordis agro exterminat. Sed audio nescio quē objicientem: Nonne pleriq; literati Orbis incolæ duro egestatis premuntur jugo, ut ipsi vix habeant unde vivant, ne dum aliis ære suo subvenire, atq; erogare eleemosynas possint? Probè equidem constat, calamitate ista exagitari etiam doctissimos, adeò, ut post diu multumque navatam litera-

Petrus Damianus lib. de eleemos. c. 2.

riam operam, inopem sæpè traduxerint vitam, unde se alerent non habentes, inque extremâ egestate diem supremum claudentes. * Darent omnibus, darent libentissimè literatorum optimi, sed dandi facultate destituuntur; *Ego misericordiæ* (inquit ad mentem ipsorum OS illud AUREUM) *lubens implerem officia, ego inopes pascerem, egenos foverem, nudos vestirem, ego pauperibus necessaria victus impenderem, si mihi copiæ redundarent. At cum mihi necessaria desint, cur dandi sterilitas imputatur.* SED AUDI [pergit Chrysostomus significantissimè] quisquis hoc loqueris, & excusandi ansas quas obtendis omitte. Nullus miser est, nisi qui misereri noluerit, quia nec quisquam misereri desiderans, poterit non habere quod tribuat. Non enim misericordiæ definita sunt pretia. Vidua Eliam ex modico pascit, & id ipsum quod habuit finiri non potuit. In Evangelio minutum viduæ, divitû opulentias vicit. Pro-

Chrysost. Tom. V. opp. hom. de duab⁹ viduis, p. 790. confer. hom. 2. ad popul. Ant.

* *De Pomponio Læto perhibet Pierius lib. II. de infel. literat. p. 167. quod post navatam per annos plurimos Romanæ cathedræ operam, post tot per universum Orbem discipulos ad eloquentiæ Rom. puritatem dimissos, inopem ad extremum vitam traduxerit, & in Xenodochio extremâ in egestate decesserit, periculumque adierit ut insepultus jaceret, nisi amicorum impensis elatus fuisset.*

Provocaris christiane, (provocaris ô LITERATE) & â vidua in certamen deduceris. Et ne possit quisquam non habendi excusatione purgari, gratuita misericordiæ inducuntur officia [qualia sunt calicem porrigere frigidæ, ægrotos, vel in carceribus constitutos visitare, informare rudes, in viâ revocare errantes,&c.] ut ostendatur, Dominum etiam ipsis pauperibus (literatis) operandi imposuisse obsequia. Nec minus notanter Magnus ille Chrysostomi discipulus, ISIDORUS Pelusiota docuit, non ab ipsa dationis magnitudine vel paritate, sed ex ANIMI PROPOSITO eleemosynam æstimari; *Multi enim* (addit) *reperiuntur, qui de magna copia dent pauca; Et contra multi, de exiguis facultatibus dant multa: Neque enim tam mensura, sive quantitas eorum quæ dantur, quam dantium facultates & ANIMUS attenditur, indeque sumitur judicium. Quæ causa est, cur vidua quoque illa, quæ duo minuta intulit in gazophylacium, omnes etiam qui multa offerebant, longo intervallo post se reliquit, illi namque particulam duntaxat (suorum bonorum) offerebant, ipsa verò omnem substantiam suam dedicavit.* Hæc sibi quoque dicta reputent literati duro egestatis jugo pressi, ut ut liberâ & effusa manu elemosynas erogare

Isid. Pelus. Lib. IV. Epist. CXVIII.

non possint, animo tamen benevolo, commiseratione, solatio, intercessioneque apud alios ditiores, miserabiles ac egenos sublevent, votis calidis facultatum supplentes defectum. Quod si verò divina benignitate gaudeant abundentque opibus Viri literati, non consilio solum, sed re & opere ipso cuivis afflicto subveniant, prompta mente erogent eleemosynas, notosque pariter ac ignotos sublevare pro viribus studeant.

XII. Laudabili exemplo eruditis omnibus quondam præluxit Cæcilius Cyprianus, cujus singulare erga miseros & egenos studium Pontius Diaconus hunc in modum celebravit: *Nulla vidua reversa est sinu vacuo, nullus indigens lumine non illo comite directus est; nullus debilis gressu non illo bajulo est vectus, nullus nudus auxilio de potentioirs manu non illo tutore est protectus; hæc debent facere (dicebat) qui DEO placere desiderant.* Atq; hoc ipso felicissimi Doctoris christiani charactere Basilium Magnum maximoperè conspicuum fuisse, primum fundasse nosocomia, languentiumque hospitia instituisse, in quibus pauperum ægrotorum infirmitates curarentur, Nazianzenus disertis verbis est contestatus. Et quanto nisu ipse Gregorius in benignitatis christianæ officia incubuerit, ex eâ quã de pauperum amore habuit oratione clarissimè colli-

Pontius Diac. in vit. Cypriani.

Gregor. Naz. Orat. XX. in laud. Bas. M.

colligitur, maximum mandatorum omnium esse ostendens alendorum pauperum studium, DEIque ipsius magnificentiâ & benignitate dignissimum; *Absit hoc à me* (ait inter alia) *ut vel opibus abundem, fratribus inopia rerum laborantibus, vel commoda fruar valetudine, nisi horum vulneribus opem feram, vel victum atque amictum satis amplum habeam, ac sub tecto requiescam, nisi & panem egentibus pro facultatum modulo porrigam, vestem impertiam, eosque tecto excipiam.* Tantoque effusius Vir optimus suas erogavit eleemosynas, quanto vehementius illam Clericorum literatorumq; pestem & malorum omnium radicem, AVARITIAM scilicet est detestatus. Amplissimæ Ecclesiæ Præsul institutus, ne unicâ quidem drachmâ suas hinc auxit facultates, cum tamen ingentem auri vim acquirere potuisset. Nec minus illustre, suæ in pauperes, egenos, naufragos, variisque nominibus calamitosos benignitatis documentum olim dedit EPIPHANIUS, siquidem disertè Sozomenus memorat, *Eum & proprias suas, & Ecclesiæ communes facultates in usus pauperum expendisse*, quinimò insigni aliquando miraculo ejus in pauperes charitatem fuisse comprobatam. Cujus etiam pietatis rara ac singularia vestigia in GREGORIO

Gregor. Presb. in vit. Nazianz. n. 30.

Sozom. Trip. Histor. lib. 9. c. 46.

Confer Iob. Diacon. lib. I. cap X. vit. Gregor. & Phot. Bibl. Cod. CCLII. Vid. Leontium in vita Job. Eleemos. ed. cum vitis PP. à Her. Rosvveido, f. 180. Psalm. CXII. ℣. 9. Job. XXXI. Conf. vit. Pauli Vird. Ep. apud. L. Sur. Februar. p. 86.

Magno apparuere, ut & Johanne Alexandrino Episc. qui à contentissimo suo erga pauperes amore cognomen ELEEMOSYNARII est consecutus, cum adeò liberaliter & plena manu dederit, ita se totum in pauperes profuderit, ut non tantum non opibus suis, nec suis vestibus, sed nec sibi ipsi perpecerit. Et cum multivaria semper fuerint PIE LITERATORUM hominum studia, omnes tamen in eo sibi fuêre simillimi, quod ELEEMOSYNIS propensissimè operam dederint, easq; liberâ effusâq; manu erogarint. Dispersérunt & dederunt pauperibus, justitia illorum manet in seculum seculi. Ab infantia eorum cum ipsis crevit miseratio, & ab utero cum illis est egressa, illud & sibi & aliis identidem instillantes: *Qui liberalis erga DEUM est, is erga se DEUM multo liberaliorem experietur.* Illustre etiam ævo suo Literati erga egenos benefici exemplum præbuit PAULUS EPISCOPUS Virdunensis, qui cum post excultas humaniores disciplinas totum se ad res divinas contulisset, OFFICIIS potissimùm charitatis & misericordiæ strenuè incubuit; *Benignè* (ut vitæ scriptor addit) *opem ferens miseris & pressis inopia, adeò, ut facultates suas omnes in egenos, morbidos, nudos, fame sitiq; afflictos, in carcerem conjectos, aliisq; calamitatibus obnoxios contulerit, nihil de crastino sollicitus.* Quantam circa alendos pau-

pauperes miserosque curam adhibuerit ipsa fidelium Mater, nascens ac fervens Ecclesia, Tertullianus illustri quodam loco edocuit : *Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; Neque enim pretio ulla res DEI constat. Etiamsi quod arcæ genus est, non de honoraria summa, quasi redemptæ religionis congregatur, modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi DEPOSITA PIETATIS sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis vel in custodiis duntaxat ex causa DEI sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Nec minus Ambrosii ævo morem illum laudatissimum in Ecclesia christiana viguisse argumento est, quod ipse POSSESSIONEM ECCLESIÆ SUMPTUM EGENORUM ESSE dissertè enunciavit, eodemque propemodum tempore florens ante laudatus Epiphanius, charitatem in pauperes optimis Christianorum mori-

Tertull. Apologetici cap. xxxix.

Ambros. Lib. II. epistol. 12. ad Valentin. Imp.

moribus accensuerit, sic enim ille de Veteris Ecclesiæ curâ pro miseris & pauperibus: *Jam verò hospitalitatis, humanitatis, & in omnes pauperes beneficentiæ fructus, toti Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communis est indictus*, & post alia notanter admodum; *PLERIQUE* scribit *BONA SUA VENDUNT, ET IN PAUPERES DISTRIBUUNT.* Æque honorificum testimonium multò ante beatus Cyprianus Almæ matri Ecclesiæ dederat, optimè [ipso Apostolo prælucente] docens, divitias à piis non tantum contemnendas, sed & summoperè vitandas esse, illic esse RADICEM MALORUM blandientium, & cæcitatem mentis humanæ occultâ deceptione fallentem. Quam si mortalium doctissimi incurrere nolint, neque pestilenti illo AVARITIÆ detestabilis sidere afflari, necesse est, ut ad Veteris Ecclesiæ piorumque ejus Antistitum exemplum, debitam pro miseris & pauperibus curam suscipiant, suasque ad DEUM per pauperum manus præmittant facultates. Cujusmodi benignitatis elogio ætate nostra apprimè conspicuus fuit D. JOHANNES GERHARDUS, qui eum diem sibi periisse putaverat, quo non illustre aliquod misericordiæ & liberalitatis specimen edidisset. Haud metuebat Vir egregius, ne res suæ familiares hâc ratione frangerentur, aut redigerentur

Epiphan. lib. III. contra hæres. To. II. num. 24.

Cyprian. in opere de orat. Domin.

Confer Templũ Honoris p. 127.

rentur ad incitas, cum nihil ſuum eſſe reputaret, quod auferri, quod eripi, quod aliis erogari poſſet. Neminem à facie ſua triſtem diſcedere patiebatur, ſæpeque in familiari colloquio enunciarat, malle ſi vineas, agros hortosque divendere, quam verbo duriore excipere inopem, aut ulli petenti denegare ſtipem. Ita cordi ſuo inſitos habebat pauperes, ut ſæpè de quotidianis ſumptibus non parum demeret, ut ipſis opitularetur. Ad tanti Viri exemplum D. CASPAR ERASMUS BROCHMANDUS ſollicitam adeò pauperum habuerat curam, ut omnes ferè reditus epiſcopales illorum neceſſitatibus ſublevandis conſecraverit, de victu proſpexerit Scholaſticis indigentibus, 7000. Imperiales Noſocomio Vartovienſi, & pauperibus quatuordecim ſenio & valetudine confectis alendis deſtinaverit, ac in omnis generis pauperes innumera contulerit beneficia, inprimis in bonarum artium & Theologiæ ſtudioſos, quorum indolem & ingenium apprimè probarat. Ejusdem virtutis chriſtianæ radiis JOHANNES MICHAEL DILHERRUS tantoperè fuit colluſtratus, ut nullos non egenos, conſilio pariter ac auxilio ſuo ſublevarit, tantúmque ſæpè pecuniæ tacitè iis exolverit, quantum avertendæ inopiæ ſatis fore exiſtimavit. *Tenebras nimirum* [ait nonnemo] *quærebat charitas Dilherriana, luce immortalitatis digniſſimas.* Laudatiſſimis hiſce

Vid. Templū honor. p. 192. 193.

Confer Templ. Honoris p. 297. & D. Chr. Arnoldi orat. fun.

hisce vestigiis inhæreant omnes felicitatis veræ candidati, panem æquè hilariter frangant esurientibus, atque divina adspirante clementia sollicitè caveant, ne ullis unquam cupiditatis perniciosæ laqueis involvantur.

XIII. Si denique pestilentem erga caduca bona affectum LITERATI homines minuere velint, etiam atque etiam sibi ad animum revocent, VITAM præsentem similimam esse PEREGRINATIONI, doctisq; viris cum viatoribus convenire optimè: Sicuti verò Peregrinator haud quaquam multis sarcinarum obrui cupit ponderibus, ut tantò expeditius iter suum conficere queat, ita literatis etiam viatoribus ea deponenda sunt onera, quæ impediunt cursum pietatis, mentemque deorsum trahunt atque inclinant. E tribus potissimum signis hominem peregrinum dignosci posse veteres tradidere; ex *Lingva, Moribus & Affectionibus*: Lingva manifestat an Hispanus, Gallus, Italus vel Germanus sit: ita ex cujusvis sermone facilè constat, an quis bonis hujus vitæ nimium adhærescat, an potius advenæ & peregrinatoris agat personam; num cor suum in opibus & divitiis, an verò in bonis cœlestibus habeat defixum. MORES etiam & AFFECTIONES de vero cœli cive & incolâ clarissimè testantur, quippe cujus CONVERSATIO dicente Apostolo *in cœlis est*, quisquis vitæ hujus luxum parum æstimat &

Phil. III. ℣. 30.

amat,

amat, is genuinum civis cœlestis præ se fert characterem. *Ille est* ait Augustinus *in tabernaculis, qui se esse in mundo intelligit peregrinum, ille se intelligit peregrinum, qui se videt ad cælum suspirantem.* Et cum vita ac peregrinatio nostra innumeris tædiis ac miseriis sit referta, cur arctè adeò eam velimus complecti? ita potius nos comparemus, ut rectà ad alteram illam, plenissimam bonorum omnium proficiscamur. Abjiciamus immodicam terrestrium bonorum cupidinem, atque nostra etiam tanquam aliena negligamus, & aversemur veluti noxia, ne nocitura pro utilibus complectamur. Quid est quamobrem his quæ huc atque illuc volvi jactarique cernimus, sollicitemur aut moveamur tantoperè? quare servire velimus cupiditati, quum futura sint incertissima, & præsentia paucis contenta. Insignem quendam ævi hujus Theologum in TEMPLO HONORIS laudavimus, quod incomparabili bonæ conscientiæ & pietatis quæstu contentus, omnis lucri temporalis osorem egerit, sæpeq; ingenuè fuerit professus: *Non posse se simul & sacrosanctis Bibliis scrutandis, & profanis divitiis coacervandis studia curasque impendere*; ad hæc crebrò commendaverit pulcherrimum Brentii factum, quo centum aureorum honorem, à quodam Principe pro dedicatione commentarii in Epistolam D. Pauli ad Romanos

August. tract. 28. in Johan.

Vid. Templũ Honor. p. 57.

nos

nos oblatum, modestissimè recusaverit, ne se occasione Scriptorum Theologeiorum nummos conquirere, & Theologiam venalem facere velle videretur. Narrant Philippum aliquando à Principe Mauritio interrogatum: *Numquid ipsi sumtuum & rerum necessariarum deesset?* penuriam omnem dissimulasse, jussum deinde ut quod vellet peteret, respondisse: *Habere se suum stipendium, quo sit contentus, neque se ullum ἐπίταγμα expetere.* Insignia hæc αὐταρκείας literariæ exempla seriò nobis revocemus ad animum, neq; committamus, ut maxima vitæ pars (quum sit natura sua fugax & arcta) miseris ob fluxa & caduca bona curis pereat atque perturbationibus, siquidem neutiquam vivamus, quamdiu immodicis opum concutimur desideriis. Hæc sæpè animos maximorum etiam Doctorum tantoperè enervarunt, ut spissæ tenebræ eorum obortæ sint oculis, semperq; queruli existentes, nec DEO nec hominibus nec sibimetipsis unquam placuerint. Quæ cruces cum his comparari possunt, quæ miserorum tormenta? Et quum quævis perturbatio mentis eruditæ judicium obscuret, tum maximè aviditas corda eorum tantoperè rodit atque affligit, ut qui eo tenentur affectu, semper anxii, anheli, truces atque horridi compareant. ARCTUM ANNULUM ex Pythagoræ sententia homo (præsertim literateratus) NE GESTET, hoc est omnem navet

Confer Adam. de Vit. Theol. p. 526.

ope-

operam, ne immodicus rerum terrestrium amor ipsum angat ac cruciet, sed in DEUM potius amandum colendumque sese effundat, illudque memori pectore conservet, quod Hieronymus alicubi commonuit: *Veterem amorem novo mutemus, loco Reginæ Vasthi Hester adamemus, mundum deseramus, & DEUM complectamur, dicamusque illud, quid mihi est in cœlo, & in te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum.* DEI amor juxta Bernardum virgæ Moysis instar, amorem carnalem devoret, atque spurium illum seu meretricium in terrena affectum penitus extingvat. Adolescentem ferunt (ita B. Ambrosius) post amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellatam, putaverit non recognitam, rursus dixerit occurrenti: *Ego sum!* responderit ille; *sed ego non sum ego*, quia videlicet jam turpem amorem exuerat, cui antea erat implicatus. *O felix hominum* (eruditorum) *genus, si vestros animos* [dico cum Boëtio] *amor, quo cœlum regitur, regat!* Cujus sacrosancti AMORIS hic quoque fructus est, [quamvis præcipuum ejus in amicitia cum DEO sit præmium] quod mens cupiditatum compedibus exsoluta in cœlum se erigat, & sublimibus quasi alis rerum naturam peragrans, amœnissimo spectaculo reficiatur.

Hieron. epist. ad Just.

Ambros. lib. II. de pœnit. c. 10.

Boetius in lib. de Consol. Philos.

ciatur. Huc eruditum quoque assidua sui cognitio invitat, cui cum incitatio ad sapientiæ potius, quam pecuniæ studium inesse soleat, optimam illi viam atque rationem ostendit, quomodo hoc vitæ iter tot spinis, laqueis, offensiculis infestum, illæsus, liber, rectus absolvere & ad optatum supremæ felicitatis portum pervenire queat, nimirum si cupiditates curasque & affectus cœcos atque impotentes subduxerit, quæ casui & injuriæ obnoxia, & sperantes sæpè eludunt, semperque angunt, & fidentes sibi atque innixos repentè destituere, atque affligere solent, denique nec adeptos unquam explent, nec fruentes tranquillant. Et cum temporalia bona nostro arbitrio DEUS neutiquam subjecerit, providenda quidem & dirigenda sunt, quà consiliis humanis licet, sed ut aliena, sine affectu, ut commodata, & deposita à DEO; ex quibus non aliud quam fructum dum licet, cupiamus, præ illo æstimantes non tantum opes regendi prudentiam, sed & reddendi fidem, dum reposcentur, & ablata non desiderandi æquitatem. Cui literato non exsurgat animus ad longè ampliorem salubrioremque cupiditatem, si cognoverit, *quam bona conditione nati simus, si eam non deseruerimus, id nimirum egit rerum natura, ut ad benè vivendum non magno apparatu opus esset*; si porrò ista bona sibi ob oculos posuerit, quæ sacra

Epictetus lib. 2. dissert. 5. & lib. 4. diss. 7.

cra

cra sunt & immobilia, in quæ non est manus furtivæ injectio, quibus denique tranquillæ & beatæ vitæ fundamenta innituntur. Horum respectu invictum indemnemque se in calamitate publica & patriæ excidio Stilpo sensit, apertè professus, nihil suum amisisse, neque enim rationem, eruditionem & scientiam quenquam sibi abstulisse, siquidem illa in victoris arbitrium neutiquam ceciderant, non militibus in prædam cesserant, non alium Dominum sortitura, profugum & exulem stipabant, in publica confusione secura, & in captæ urbis strage intemerata: tunc possessori suo jucundissima, cum illis solis vacaret, solis acquiesceret; tunc utilissima pretiosissimaque cum verum potentiæ suæ darent documentum, cultorem sui secum ex captivitate publicâ vindicantia in libertatem; tunc charissima, cum invictam in adversis fidem approbarent. Talis spiritûs fortisq; olim etiam fuit Democritus, prædia sua alienis pecoribus relinquens compascua, suâ paupertate beatus; Diogenes, ejusdem amore velut regni accola dolii, nec non Bias ille, qui patria captâ, in tumultu civium inter asportandum sua, fugiendumque trepidantium, unus omnium minimè districtus, OMNIA SE SUA SECUM PORTARE est contestatus. Cum vita fortunæ implicata sit maximè turbulenta, cœnosa, impervia, violenta, nec diuturna, eam potius sectemur,

quæ homini erudito ex virtute ſolida accedit, felicitatem, utpote quæ pura, plana, facilis, amœna atque perpetua, nunquam cupiditatis aut formidinis fluctibus æſtuans, nec ſordida parſimoniâ contaminata, à luxu etiam aliena & voluptatibus immodicis. Quodſi homini fortunæ auram captanti, in maxima etiam rerum copia non deſit ſitis, ſemperque nauſeet ſtomachus, felix ex αὐταρκείᾳ literatus ſuavi & ſalubri illo liquore recreabitur, imò ſuper ſe ipſum tandem levatus, nullis poſthâc vitæ præſentis curis tangetur atq; ſollicitudinibus, nullis vexabitur immodicæ cupiditatis moleſtiis, omni ſolutus anxietudine, profuſiori cœleſtis gratiæ ſcatebrâ gaudebit, cumque inſigni quodam ævi hujus Doctore, vultu inter adverſa hilaritatem ſpirante, exclamabit: *Nihil caducorum hujus mundi, vel ſi adeſſet in pretio habui, vel ſi abeſſet cupivi, opes quas mundus æſtimat à me contemptas, pro me teſtabitur innocens & læta paupertas. Nihil tamen habenti nihil unquam defuit; imò nihil amplius cupienti, omnia ſuperfuere. Theſaurus planè inexhauſtus ſemperque abundans fuit largiſſima DEI benedictio.*

Vid. Templũ Honor. p. 315.

Denique *una illi* (ut Magni Cypriani verbis concludamus) *placida & fida tranquillitas, una ſolida & firma ac perpetua ſecuri-*

Cyprian. lib. II. Epiſt. 2

curitas, si ab his inquietantis seculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac DEO suo mente jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublimè ac magnum videtur, intra suam conscientiam jacere gloriatur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo major est. Quam stabilis quam inconcussa tutela est, quam perennibus bonis cæleste præsidium, implicantis mundi laqueis solvi, & de terrena face purgari in LUCEM ÆTERNÆ IMMORTALITATIS.

XIV. Antequam verò hinc abeamus, aliud quoddam avaritiæ genus doctis hominibus perquam familiare est considerandum, quod sicuti priore illo longè detestabilius, ita multò etiam nocentius deprehenditur. Est hæc tenacitas spiritualis, quam SCIENTIÆ AVARITIAM non malè quidam nominarunt, quâ laborantes eruditorũ plurimi, scientiæ dona à DEO accepta neutiquam in proximorum erogant utilitatem, sed veluti absconditum quempiam thesaurum diligenti studio collectum sibi servare conantur, nemini mortalium usui futurum. Non minus equi- *Conf. Estius orat. 5. p. 78.*

dem execrabiles hujusmodi habendi ſunt literati tenaces, quam divites vulgaris avaritiæ morbo laborantes; cum præſtantiſſimum eruditionis doctrinæque theſaurum illi avarè ſibi retinere, SIBIQUE SOLIS duntaxat vivere inducant in animum, adeòque jure & meritò graviſſimam bonorum incurrant reprehenſionem, præſertim ſi omnium utiliſſimam & maximè neceſſariam rerum divinarum ſcientiam abſcondere, atque charitatis & facilitatis debitæ ſinum erga fratres famelicos ac pereuntes neutiquam expandere velint, graviſſimam propterea juſto Judici tempore ſuo reddituri rationem, horribileque ſervi illius inutilis ſubituri judicium: *De ore tuo te judico ſerve male & PIGER, quare non dediſti pecuniam meam uſurariis, & ego veniens cum fœnore mea exegiſſem. Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem habet, omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Ejicite ſervum inutilem in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Hoc ſcil. tremendum, aſt juſtiſſimum judicium ſubibunt cuncti tenaces ſcientiæ doctrinæque reconditæ poſſeſſores, optimum illum theſaurum ſibi ſolis reſervantes, neque in publicam eum erogantes utilitatem.

Luc. XIX v. 22. ſqq.

Quid

Quid enim talenti nomine intelligi aptius posset, quam præclarum scientiæ donum, quod operando & negotiando quasi duplicat, quisquis de illo fideliter dispensando distribuendoque apprimè est sollicitus. Terræ verò acceptum doctrinæ talentum infodit, atque in sudario reponit, quisquis ex ordine literatorum laborem fugiens, & inania pericula metuens, imò vanum hujusmodi metum desidiæ suæ prætexens, concreditum sibi donum apud se retinere non dubitat, ipse interim aut terrenis desideriis, atque occupationibus profanis implicatus, aut certè QUIETIS amore [ut quidam loquuntur] propriæque commoditatis ita detentus, ut omnem scientiæ atque pietatis inter fideles multiplicandæ fructum intercidere sinat, notabili propterea sapientissimi etiam Regis sententiâ damnatus: *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore & afflictione animi.* Sic enim quietis prætextu, atque molestiæ & laboris vitandi gratia, profanè doctorum (reapse stultorum & insipidorum) plurimi manus suas complicant, atque à saluberrimo dispensandæ doctrinæ ac pietatis opere abstinent, quasi nulla prorsus juvandi proximi curâ atque sollicitudine tangerentur, neutiquam cogitantes, quod juxta cœleste mandatum scientiam, quam acqui-

Eccles. IV.

ſivere, aliis communicare teneantur, ita ut ſine gravi peccato id ipſum omittere, ac ſine culpâ negligenter ac parcè dona accepta diſpenſare nequeant. Quid obſecro ſibi vellet illa inutilis ſervi projectio in tenebras exteriores, ſi non in gravioribus, ſed levioribus peccatis habenda eſſet illa pudenda ſcientiæ tenacitas? Graphicè admodum execrabile hoc Avaritiæ literariæ genus depinxit, ſumopereq; deteſtatus eſt eruditiſſimus Bartolus, verbis quæ ſingularem obſervationem merentur, ſequentibus: Nullius commodis magis invita laborat natura, nullius rem ægrius procurant homines, quam ejus qui curat neminem, & totus ſuus eſt; in frequentia populorum ſolus; peregrinus in patria, inter homines fera; indignus planè qui ab alio vitam acciperet, qui uni ſibi ita vivit, ut nihil ab eo ullus accipiat. Hujusmodi ſunt absque dubio qui AVARUM INGENIUM, omni literarum refertum copia pertinaciter clauſum tenent, maluntque tot opes ſecum mori, quam ſcriptis liberaliter commiſſas, prodeſſe poſteris - - Nec enim cœlitus ſapientia nobis dono datur, nobiſcum ut pereat; ſed mutuò, ut transferatur in poſteros, quod arbitrariæ non tam eſt liberalitatis, quam rigidi juris. Excipiatur ſanè lumen Solis, ſed transmittatur inferius, nec ſubtrahatur oculis alienis, quod non eſt noſtris jam neceſſarium. Ergò noſtri Majores, tot ante nos ſeculis ſolitarii

Bartol. charact. lib. Hom. p. 354. ſeqq.

tarii

tarii, pallidi, & studiorum labore infracto, macilenti, plures anni dies, quam diei horas, de vita sibi ademerint, ut magnis contentionibus de locuplete ingenii sui venâ thesauros nobis aureæ veritatis exscinderent, & gemmas refoderent nondum Orbi notas, atque hoc suum patrimonium privatum, in publicam hæreditatem transcripserint, nos avis ingrati, nepotibus invidi, & sua & nostra eodem nobiscum sepulchro condemus? Profectò qui se inter illos & futuros deinceps medium statuet, cogitabitque illorum exemplo, quid debeat; istorum bonum quid exigat; non satis intelligo quî possit aut illis negare imitationem, aut suam eis opem. Nam si eorum imaginibus inspectis qui bello aut pace claruerunt, pungitur animus ejusdem stimulo gloriæ, dum libri nobis, ingentes animas ex quibus orti sunt, velut spirantibus etiamnum statuis repræsentant; quem non inflammet vel sciendi ardor quæ ignorat, vel pudor AVARE RETINENDI, quod alii publicis utilitatibus dicarunt? *Sume in manibus indicem philosophorum, hæc ipsa res expergisci te coget; si videris quàm multi tibi laboraverint, concupisces & ipse unus ex illis esse.* Senec. c. 39. de in somn. Est inquit PhiloSapientia Sol; hanc splendore qui privat, destruit; & mentes sublimioris intelligentiæ, flammis & igni symbolas faciunt multi Platonici; *Igni* (in-

 quam)

Plin. l. 8. cap. 117. quam) *cujus unius ratio fœcunda, seq́ ipse parit, & minimis crescit scintillis.* Hoc majorum exemplum si debilius persvadet, accedat commodum posterorum, quibus nisi barbarè admodum negare non possumus, quod sumus nostro cum lucro daturi, suo illi commodo & bono accepturi - - Quod si putamus fortunatos, qui consangvineos sibi superstites pingvi censu augent, & familiæ splendorem opibus magnis stabiliunt; quæ major esse ac relinqui potest hæreditas, quam quæ coaluit ex divitiis animi, & opulentia ingenii, longa studiorum negotiatione exerciti? Hanc non atterit usus, non tempus minuit, nullæ absorbent vel publicæ vel privatæ clades, semper viva, semper integra, suo nunquam non primigenio pretio, & utilitatibus censa. Ita Bartol. Valido sanè argumento hortabatur amicum Plinius, ut studiorum suorum fructum aliquem bono daret: *Effinge aliquid, & excude quod sit perpetuò tuum, - - hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit.* Si dicente Apostolo *unicuiq́ data manifestatio spiritûs AD UTILITATEM, alii quidem sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum*; liquidò apparet, quam graviter illi peccent errentq́ue Doctores, qui non ad UTILITATEM, verum ad O-

I. Cor. XII.

TIUM

TIUM potius, manifestationem ſcientiæ ſibi datam exiſtimantes, turpi litare Vacunæ, execrabilique iſti avaritiæ indulgere neutiquam verentur. Haud abs re Viros doctrinâ ſcientiâque ſingulari illuminatos, Reipubl. chriſtianæ OCULOS dixerimus; ſi verò abſurdum eſſet, in corpore naturali OCULUM SIBI SOLI VIDERE, non etiam capiti, imò corpori integro; multò magis myſticum illud corpus (cujus membra omnia charitate flagrantiori compaginata eſſe oportet) deformaretur, ſi clarum quodpiam, ſcientiâque illuminatum membrum, quòd cæteris rectam commonſtrare viam poſſet, lucem ſuam non in publicum proferre vellet uſum, ſed otioſam atque inertem imò tenebricoſam inire ſtatueret vivendi rationem. LUCERNA (ait appoſitè Gentium lumen) *corporis Tui eſt oculus tuus. Atqui nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut omnibus qui in domo ſunt, luceat.* Et cum exactiſſima ſit ſcientiæ doctrinæque cum lumine convenientia, utraque etiam lux ſplendorem ſuum in remota vel proxima quæque diffundat; hinc non magis bonorum quilibet feret literatum hoc ſenſu avarum, quam hominem lucernæ ſuæ lumen, lucernis aliorum communicare nolentem, cum ſcientiæ lumen æque ſine ullo lucentis detrimento aliis communicari poſſit.

Quid

Quid quod hinc elucescat, quantò detestabilior sit literatus SCIENTIÆ AVARUS, quam AVARUS (quem antea suis coloribus depinximus) PECUNIÆ. Non enim adeò mirandum si qui pecunias habet, eas non elargiatur in alios, quoniam largitio sine possessoris quodam detrimento fieri nequeat. O ANGUSTAS *inopesque divitias* (ait Boetius) *quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt.* Ast cum nobilissimus ille sapientiæ scientiæque thesaurus, spirituales istæ divitiæ nulla largitione minuantur, nulla exhauriantur profusione, ideò nullam prorsus habebit excusationem quisquis doctrinæ scientiæque suæ alios participes facere recusaverit. Si omni execratione dignus, qui panem vel frumentum in pauperes famelicos erogare nollet, quando ejus & copiam haberet, & nova tali largitione opum suarum sperare posset incrementa, quidni summoperè inculpandus ille esset literatus, qui cum scientiæ thesaurum penes se habeat, ex eo tamen nihil depromere velit, quo alii densis adhuc ignorantiæ tenebris immersi, sublevari & ad salutem institui possint. *Scientia* (ait sapiens) *distributa recipit incrementum, & avarum dedignatur possessorem, nisi publicetur, elabitur, communicata augetur.* Et cum animi opib⁹ sui avarus scientiæ post mortem

Boetius in Consol. philos.

tem

tem alios ditare non possit, sicut avarus pecuniæ, quin imò moriens universum eruditionis suæ thesaurum amittat, ideò operam navabit tanto diligentiorem, ut vivus ac superstes in commune illum effusa manu (vel ore potius & calamo) expendat, sicque pigri illius atque inutilis servi horribile judicium effugiat. *Tollite ab eo talentum, &c.* Quodsi rectissimè, quondam à Poetâ dictum:

Quo mihi divitiæ, si non conceditur uti?

Cur non etiam verissimè dicatur:

Quo mihi doctrina, si non conceditur uti?

Audiamus eâ de re Magnum Episcopum Hipponensem, more suo, id est præclarè disserentem: *Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. Ille autem ait; Qui habet, dabitur ei Dabit ergo habentibus, id est cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quæ dedit. Illi quinq; & illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus, quod ubi fieri cepit, cophinos & sportas, satiatis tot hominum millibus impleverunt. Sicut ergò ille panis, dum frangeretur accrevit, sic ea, quæ ad hoc opus aggrediendum jam Dominus præbuit, cum dispensari cœperint,* *Augustinus lib. I. de Doctr. Christ. cap. I.*

eo

eo ipso suggerente, multiplicabuntur, ut in ipso hoc nostro ministerio, non solum nullam patiamur inopiam, sed de mirabili etiam abundantia gaudeamus. Hæc ille.

XV. Atque hinc Sole meridiano clarius elucescit, quam necessarium Viro erudito sit, quamque salutare de aliis præclarè merendi, suæque scientiæ bona distribuendi studium, nisi enim hoc animi pabulum, frumentum electorum, & vinum germinans virgines tempestivè proferatur, animæ spirituali fame deficient, atque magis magisque extabescentes tandem miserè peribunt. *Si corporis interfectorem* (supra laudatus Orator scitè ait) *meritò dicimus eum, qui proximum inedia morientem, cum possit, non pascit, juxta illud: Si non pavisti, occidisti, quod excusationis velum obtendet, quo minus interfector animæ judicetur apud DEUM, qui proximi sui animam Verbi DEI fame defectam ac pereuntem, pane cælesti non reficit, non erigit, non confortat, ne in æternam mortem abstrahatur?* Non magnum esse ventres pascere morituros, sed magnum esse animas pascere in æternum victuras optimè enunciavit Augustinus, imò uti Gregorius egregiè addidit: *Majus miraculum est, verbo consolationis convertere peccatorem, quam carnem mortuam*

Estius l. 6. p. 88.

tuam suscitare. Et quid de pessimo illo avaritiæ genere statuat Bernardus, hâc sua notabili sententia declaravit: *Rem profectò proximi retines, si donis SCIENTIÆ & eloquentiæ adornatus, verbum bonum quod posset prodesse multis, inutili, imò damnabili silentio ligas.* Quo ipso haud obscurè innuit, etiam extra necessitatem extremam non absque gravi proximorum injuria scientiæ talentum abscondi posse, metuendum equidem tenaci hujusmodi Doctori, ne aliquando propheticum illud exclamare cogatur: VÆ MIHI QUIA TACUI, cum & ipse Apostolus horrendum animæ periculum incurrisset, si munus evangelizandi deseruisset: VÆ MIHI SI NON EVANGELIZAVERO, NECESSITAS ENIM MIHI INCUMBIT. Revocent sibi quoque cuncti scientiæ salutaris avari Doctores ad animum ipsius Salvatoris de veteribus Ebræorum ex ordine Pharisaico Magistris judicium: *Væ vobis quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introire volebant prohibuistis.* Quisquis enim scientiæ salutaris clavem portat, neque verò cœlestium secretorum januam aperire velit, se pariter ac alios optatissimo privabit ingressu, & cum clave sua, insonoro vestigio tandem abibit ad plures, atque cum Hannibale, qui Romam expugnaturus bis imbre densissimo coactus recedere, cum statim

1. Cor. IX. v. 16.

Luc. X

tim post pugnam potuisset, clamabit in orco: *Cum potui non volui, cum volui non potui*; adeoque serò nimis sapient Phryges illi frigidi austeriq́ue, cum jam ceciderint, demum horribile suum agnoscent periculum. Quis itaque literatorum, præsertim DEO Ecclesiæq́ue utilitati sacratorum, non animo prompto, hilariq́; fronte dispensaret acquisitas doctrinæ scientiæq́ue (cumprimis divinæ atque summè salutaris) thesauros? cur concessam sibi ad publicam utilitatem spiritus manifestationem, non ultrò communicet aliis? præsertim si singulari doctrinæ sermonisq́ue gratiâ gaudeat, atque egregiâ eloquentiæ scientiæq́ue supellectile divino beneficio sit instructus. Si ex Sinici illius Philosophi famigeratissimi, CONFUTII scil. judicio, *Magnorum Virorum doctrina in eo est posita, ut cum quisque se ipsum perfecerit, ALIOS QUOQUE PERFICIAT, sic ut omnes unum, hoc est summum bonum consequantur*; Nos potius Christianos Philosophos, in meliorem beatitatis sortem Servatoris beneficio genitos, par vocatione nostra verset labor & cogitatio, quo dignam nomine, dignam officio nostro in distribuendis scientiæ opibus curam & diligentiam præstemus, præsertim si desint alii, qui vel non possint, vel non velint saluberrimo isto officio defungi. Licet haud temerè

Mart. Martinius Hist. Sin. l 4. p. 129. confer commēt. nostr. de de Relit. Sin. Sect IIX.

merè ad id muneris se offerre debeant etiam doctissimi, oblatum tamen à superiore subterfugere vix poterunt sine gravi conscientiæ læsione, æternique exitii periculo: *Si quam operam* (rursus ait Augustinus) *vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare velint, quomodo nasceremini, non inveniretis.* Et alibi idem Doctor; *Otium* scribit *sanctum quærit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Nec minus præclarè Prosper Aquit. de illis literatis, qui tranquillitatis & quietis suæ avidi, istis sese subducunt charitatis officiis; *Videndum est* inquit, *utrum justè faciant illi, qui se removentes ab occupationibus cunctis, ac studiis spiritualibus offerentes, nihil humanæ societati proficiunt, & desideria sua commodis omnium præferentes, utilitatem communem desideratæ vacationis electione contemnunt: Cum profectò laborantibus ovem*

August. epist. 81.

Idem lib. 19. de Civ. Dei.

Prosper lib. 3. de vita contemplat.

ferre nolle, cum possis; & communi bono posthabito otiosa quiete frui velle, nihil habeat æquitatis. Cui æquitati qui serviunt, omnes omnium bono vivunt, ac velut sibi invicem nati, salutem mutuam tuentur ac diligunt. Ac per hoc, contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis vel eruditionis electi, OTIOSUM STUDIUM fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, & cum possunt laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt. Hactenus Prosper, cui Doctorum veterum plurimi consentientes, passim quidem monuêre, ne quis scientiâ carens, arduum illud docendi munus suscipiat, at verò idoneo ad id muneris neutiquam morosius esse reluctandum, neque ex præpostero quietis amore, detestabiliq; tenacitate acquisitæ scientiæ thesauros esse abscondendos, quibus alii ad salutẽ perpetuam instituantur. Utinam vero doctis omnibus eum charitatis affectum inspiret cunctorum bonorum author DEUS, ut intelligant, & re opereque ipso declarent, se Thesaurum scientiæ suæ portare atq; circumferre non ad fastum & ambitionem, non ad quæstum & AVARITIAM, non ad curiositatem & vanitatem, non ad contentionem & æmulationem,
sed

ſed ad honorem & gloriam DEI inprimis, deinde ad ſuam & proximorum utilitatem, ac totius Eccleſiæ ædificationem. Ita namq; futurum, ut qui ex timore & amore DEI non turpis lucri gratia, ſed voluntariè verbo ſalutis paverunt DEI gregem, ſuo tempore immarceſſibilem gloriæ coronam accipiant, inque cœleſti Academia aliquando fulgeant, quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in PERPETUAS ÆTERNITATES.





COMMENTATIO IX.
ET ULTIMA
DE NOXIA LITERATORUM HOMINUM CURIOSITATE.

I.



OSTREMA quæ HOMINIS ERUDITI faciem turpiter nonnunquam deformat macula, CURIOSITAS est, superflua scil. illa cura, & appetitus inordinatus ea cognoscendi, quæ vel inutilia, vel captui humano minimè sunt accomodata. Non inquam cognitionis multivariæ desiderium eruditis vertitur vitio, sed inordinatæ cognitionis studium, vel appetitus addiscendi otiosa, inutilia, noxia.

noxia. Gravem haud abs re ea CURIOSITAS incurrit reprehensionem, quæ (juxta Magni Augustini effatum) *non ad subeundam voluptatem aut molestiam, sed experiendi noscendiq́ libidine committitur*. Quoties-cunque nimirum sciendi appetitus rectum haudquaquam habet finem, & ad propriæ solùm excellentiæ manifestationem tendit, tunc vitium est quo nullum ferè pestilentius reperitur. Siquidem malè-curiosus literatus perpetuus est sititor novitatis, molestus percontator, fingendi avidus, hiantibus oculis & auribus ea excipiens, unde gaudeat sibi oblatam cavillandi, calumniandi nocendique occasionem. Semper plenus est negotii aut improbi, aut supervacanei, semperque improspero sese labore defatigat. Neque verò (quod notandum pariter ac dolendum apprimè est,) abjecta vulgariaque ingenia sitis illa sciendi agendiq́; immodica ambit, sed quæ singulari pollent acumine, memoriâ quoque, ratiocinatione aut vi quapiam ignea sunt exornata; porrò neque invita sese illa ingerit, sed fautorum passim eruditorumque aliorum plausibus introducitur. Quotquot enim sunt literis ingeniisque præfecti, ubi elucere divinos quod ajunt igniculos vident, ex omni materia fomenta congerunt, ac faustis acclamationibus, & felicissimis ominibus, nec non varia videndi, audiendi dijudicandique segete mentis rasam tabu-

August. lib. X. confess. c. 35.

lam opplent, ut jam vix sui capax diduci, & in omnes terræ plagas, in nulla non studiorum ac disciplinarum genera diffundi extendique concupiscat. Quid mirum, ingenia præstantissima CURIOSITATE laborare, si tot pararii & magno conducantur, & tanta Doctorum insignium opera illi alendæ subserviant? Quicquid enim vel eloquentia floridi excogitavit, vel opinionum sententiarumque invicem pugnantium conflictus extruxit, vel rerum casuumque humanorum varietas exposuit, vel terrarum Regionumque elegantia ostendit, quicquid tandem ad boni malique discrimen, veri falsique dijudicationem supra vulgi sortem invitat, id omne ingenii curiosioris pabulum est, quod tanta aviditate depascit, ut nullo labore fatigari, nulla mole obrui, nullo etiam tempore satiari possit. Nam velut pira accensa si oleum, stupas, ligna atque alia igni non invisa injicias, nunquam extinxeris, semper auxeris flammam; ita ingenium tam vorax, tam varietatis rerum sitiens, vix fatigatur, etiamsi nova subinde desideria, novi stimuli suppeditentur, sed ex omni materia ignem adauget, atque tanto citius fomites absumit suos, quo in majorem altioremque piramidem excrevit. Oleum huic igni fama addit loquacula, plurimos tanti LIBRORUM HELUONIS præcones excitans & admiratores, atque nascentes subinde fœtus obstetricis instar exci-
piens,

piens,exponens,conquisitisq; elogiis posteritati (scil.) commendans. Sed & pudenda adulatio speciosa superaddit mendacia,quibus misera illa curiositatis, inanisque susurri mancipia aliquandiu impleat,& nescio cujus inOrbe literato meriti persuasione detineat. Hunc,hunc illũ esse omnigenæ eruditionis doctrinæque multivariæ promum condum, hoc illud melioris luti fictile, istum sagacioris indaginis spiritum, capacioris cranii cerebrum, sublimioris conaminis pectus, subtilioris industriæ organon, Encyclopediæ gazophylacium, imò cœlestis panurgiæ æmulum. Quid agat jam obsurdescens, & saluberrimâ sui cognitione destituta anima? nonne tot credat encomiastis? nonne quod multorum consensu, tot phalaris constat atque ampullis,sũma sibi religione admittendum putabit? Et cum de conscenso FELICITATIS LITERARIÆ apice sibi tacitè jam gratuletur, neq; videat turpiter impositum sibi fuisse ab adulatoribus, hinc per longiores circumvagare cogitat ambages, majora indies ampliora-que meditari,nullum doctrinæ genus relinquere intactum, nullas non devorare molestias, nullis parcere sumptibus,denique id omni agere conatu laborat, ut cæteris variæ diffusæque eruditionis laudem præripiat, atque summam apud eruditos existimationem consequatur. Si unquam, certè hoc, non minus erudito, quam summorum ingeniorum feracissimo se-

culo, non ab uno, ſed quam pluribus laboratum fuit de perficiendis diſciplinis, hiſque non paucis, ſed omnibus; Viris quibuſdam egregiis de compacto quaſi id agentibus, & aliis circa has, aliis circa alias utiliſſimam operam navantibus, quæ tamen opera longè felicius proceſſiſſet, ſi intra facultatis ſcientiæque ſuæ terminos quilibet ſeſe continuiſſet, neque falcem in alienam miſiſſet meſſem. Sed cum non pauci (ſolis ſibi plaudentes) ardua nimis, tenueſque ſuperantia vires ſint aggreſſi, atque ſumma quæque in animo volutarint, accidit, ut turpiter plerunque à præfixo augendarum perficiendarumque ſcientiarum ſcopo aberraverint, pernicioſaque iſta Satanæ catapultâ, (quam NOXIAM CURIOSITATEM nuncupavimus,) miſerè fuerint oppreſſi. Præterea cum antiquos ſapientiæ Antiſtites, quibus tanquam merito maximo coronatis, tot per ſecula tantum non omnes eruditionis ſolidioris candidati aſſurrexerunt, velut infidos ſpreverint ductores, neminem vel parem, vel æmulum pati potuerint, deque ſubmovendis omnibus conſimile negotium agentibus, ſupplantandiſque Viris idem volventibus ſaxum, pernicioſa admodum agitarint conſilia, factum; ut ipſi tandem miſerè à ſcopo præfixo aberrarint, atque meditatum perfectionis culmen minimè ſint aſſecuti. *O*

quanti

quanti veritatem quærunt (egregiè ait Richardus de S. Victore) *non IN VERITATE, sed in vanitate; quæsitam inveniunt non ad veritatem, sed ad vanitatem.* Tria haud absre Diogenes quondam literatorum hominum genera carpere solebat, & curiosæ scientiæ arguere: HISTORICOS, MUSICOS, ASTROLOGOS. Historicos, quod inquirant studiosè quid ubique terrarum olim sit gestum, vel modo geratur in Orbe, ignari quid in corde suo geratur, Regni & Reipubl. statum explorent, non considerantes animi sui statum deploratum, omnibusque fastis & annalibus evolutis, neutiquam meliores reddantur. Quid stultius, quam sagaciter rimari quid apud Garamantes agatur & Indos, negligere verò quid intra nostra agatur præcordia & fibras? MUSICOS carpebat Diogenes, quod cum citharæ fides artificiosissime contemperarent, & in suavissimam aptarent harmoniam, animæ tamē suæ facultatibus tam malè moderarentur, moribusq; adeò inconcinnis essent ac dissonis, cumque in hominum auribus demulcendis tantum operæ ac laboris ponant, in mente sua componenda, pravisque ejus motibus sedandis essent tam socordes. Supersunt ASTROLOGI, quos Diogenes propterea insimulavit vesaniæ, quod sui obliti, inter sidera vagarentur, totique intenti sphæra-

rum ac globorum cœlestium ordini & numero, virtutes, quæ fulgore & radiis stellas omnes multis gradibus excedunt, pulcherrimamque in anima harmoniam efficiant, ut plurimum negligerent, vel [ut magis christianè loquamur] impensius multò solliciti sint, ut stellas aspiciant, quam ut fulgeant quasi stellæ in perpetuas æternitates. Annon præter tres istos literatorum, præposterè curiosorum ordines, hoc ipso stigmate plerique docti sint notandi, prudentiores dispiciant.

II. Quod si verò sanctiori melioríque doctrinâ imbuti literati, sic abigere velint pestilentem illum magistrum, ut nihil malignæ luis post se relinquat, ad animum sibi frequenter mala revocent, quæ ex ista virulenta pestiferâque CURIOSITATIS radice pullulant, atque maximis quibusque ingeniis extremam utplurimum afferunt perniciem. Hæc inter locum initiò sibi vindicat turpis affectatio SINGULARITATIS, quæ curiosis illis tantoperè arridet, ut ardua quæque imò impossibilia moliantur, à vulgi sententia ubiqúe recedant, quavis viâ, modo non tritâ solitaque delectentur, nil nisi quintessentias parturiant, imò tandem vix abstineant, quin majus aliquid homine perpetrare, & aliis vel intacta vel infeliciter tentata expedire in animum inducant. Jam Archimedes, Architas, Dædalusque cerebrum subeunt, quadrare jubentes circu-

circulum; applicare alas ad volatum, & si qui promtius auscultent, illum curiosorum ingeniorum stimulum PERPETUUM MOBILE aggredi hortantes. Quid quod novarum singulariumque opinionum imbibitione doctissimis etiam eripiatur veritatis unio & rectitudo, in profanas infinitasque ea dilatetur fabulas, veritatis candor & integritas convellatur, donec SCEPTICISMUS tandem [illa literati Orbis atrocissima pestis] subrepat, & miseris istis densissimas tenebras offundat, ut omniũ rerum cognitione solida prorsus destituantur. NOXIÆ equidem CURIOSITATIS morbo olim laborarunt literatorum illi infelicissimi, qui SCEPTICORUM appellationem ex eo accepêre, quod de omni re in utramque partem disputantes, scientiarum artiumque [quantum in ipsis] certitudinem sustulerint, juventutemque de omnibus dubitare jubentes, pessimè corruperint, eo tandem (Protagora præeunte) delapsi, *ut de Diis etiam, neque ut sint, neque ut non sint, statuere voluerint.* Nec est verò, ut in enumerandis vetustis Scepticismi * [qui suam noxiæ curiositati acceptam fert originem] authoribus sive fautoribus singularibus

* *Videatur doctissimus M. Schokii de Scepticismo liber, quo antiquorum & recentiorum Scepticorum deliria discutiuntur, edit. Groninga 1652.*

ribus multum ponamus operæ, atq; longiorem discipulorum Pyrrhonis texamus catalogum, siquidem recentius etiam ævum noverit non paucos malè curiosos ejusmodi, superciliososque Doctores, qui ad Scepticorum veterum exemplum, dogmatum magno consensu receptorum evertere certitudinem, spissisque ignorantiæ tenebris, cuncta circumfundere laborarunt. Mirabile equidem est, quod Matth. Parisiensis de Magistro Simone Churnajo, [quem alii Thurvajum vocant] celeberrimo sui temporis philosopho in historia Anglicana memoravit, quod quum aliquando subtiliter pro Trinitate disputasset magno omnium applausu, elatus inde supra modum, & Christum palam irridens dixerit: *JESULE, JESULE, quantum in hâc quæstione confirmavi legem tuam & exaltavi: profectò si malignando & adversando vellem, fortioribus rationibus & argumentis scirem illam infirmare, & deprimendo improbare.* Quo dicto, mox elingvis sit factus, & oblitus omnium, mente adeò motus fuerit, ut ne symbolum quidem orationemque Dominicam deinceps recitare potuerit. Additque author, multorum scholarium arrogantiam inde suppressam refrœnatamque fuisse, id ipsum constare authoritate Nicolai de Fulii Dunelmensis postea Episcopi, qui testis ejus rei certus fuerit & ocula-

Matth. Paris. in hist. Anglic. ad ann. MCCI.

oculatus, literisque mandari rem omnem jusserit, ne posteritas tantum miraculum (imò tam tragicum è noxia damnificaque curiositate casum) ignoraret. Absit verò ut cum quodam magni nominis scriptore huic neoscepticorum, maleque curiosorum ordini accenseamus DES. ERASMUM; etsi enim alicubi is scripserit, se toto *vitæ tempore nihil aliud didicisse, quam se nihil scire*; non tamen hoc ipso negavit, veritatem ullam dari, sed solum repertu difficillimam esse, virosque summos ac doctissimos, eruditionem suam æstimare nullam, si illud quod cognoscunt, cum eo quod ignorant componere velint. Propius ad Scepticismum illum detestandum accessit H. CORNEL. AGRIPPA, dum Cynica sua de incertitudine & vanitate Scientiarum declamatione, non solum omnes labefactare disciplinas, verum etiam contendere non dubitavit, nusquam certi quicquam, perpetui & divini occurrere in solidis DEI eloquiis, atque eminentiâ verbi divini. Nec minus constat HIERONYMUM CARDANUM & Fr. VALLESIUM Scepticorum opinioni vicinos fuisse, alios verò in semiscepticorum statione substitisse, vel ad Arcesilæ Pyrrhonisque exemplum, nullum unquam librum aut scripsisse aut evulgasse, vel modis omnibus scepsin suam interpolasse. Quid quod Magnus ille ævi nostri Philosophus Petrus GAS-SEN-

Confer Valles. lib. de Sacra philos. c. 64. & M. Schok. loc. cit. cap. 19.

SENDUS in eodem luto hæsisse videatur, eo quod argumentum libri sui adversus Aristotelem secundi argumentum delineaturus, in hæc eruperit verba: *Atque hic præcipuum est, ubi cognitio scientiaque humana arguitur infirmitatis, ac incertitudinis. Hic est ubi præcipue jaciuntur Pyrrhonismi fundamenta, stabiliturque maximè illud: Nihil SCIRI.* Sed cum liber ipse, cujus argumentum verbis hisce Gassendus delineavit, non prodierit, nihil de eo temerè pronunciabimus. Majori fortè jure neo-scepticis illis accensueris ABRAHAMUM DE BALMIS, Rabbinum & Grammaticum non incelebrem, de quo notanter * Sebastianus Münsterus; *Abraham de Balmis* (inquit) *nihil aliud agere mihi visus est, quam veterum doctrinam perpetuò convellere atq; impugnare, magis in insectando occupatus, quam in docendo. At in dubium tantum vocare priscorum præceptiones, cum interim nihil certi statuas, NON DOCERE est, SED RIDERE.* Haud abs re equidem infelices ejusmodi, maleq; affecti literiones compellari possent

* *Münsterus in præfat. præfix. Gramm. Eliæ. Scripsit Abraham de Balmis Grammaticam cui tit, Mikne Abraham, sive peculium Abrahami.*

ſent Lactantii verbis, quibus Ciceronem olim, tanquam ſibi in Academicis ſpeculationibus minus conſtantem, miſerè exagitavit: *Studuiſti nempe* (ajebat) *philoſophia, & quidem ſic, ut nullus unquam diligentius; quippe qui omnes cognoveris diſciplinas, ſicut ipſe gloriari ſoles, eamq; ipſam Latinis literis illuſtraveris, imitatoremq; te Platonis oſtenderis. Cedo igitur quid didiceris, aut in quâ ſectâ veritatem deprehenderis? In Academia ſcilicet, quam ſequutus es? quam probaſti? At hac nihil docet, niſi ut ſcias te nihil ſcire. Tui ergò Te libri arguunt, quam nihil à philoſophia diſci poſſit ad vitam. Hac tua verba ſunt:* (NB. liber in quo ea ſcripta fuerunt, nunc intercidit) *mihi autem non modo ad ſapientiam cæci videmur, ſed ad ea ipſa, qua aliquâ ex parte cerni videantur, bebetes, & obtuſi. Si ergò philoſophia eſt magiſtra vita, cur Tibi ipſe cæcus & hebes, & obtuſus videbare, quem oportuit illa docentem & ſentire & ſapere, & in clariſſima luce verſari? - - Tuo itaque judicio philoſophia ſtultitia inaninatisq; damnata eſt. Idem in conſolatione, id eſt in opere non joculari,* hanc

Lactant. lib. III. Div. inſtitut. cap. 14.

hanc de philosophia sententiam tulisti : sed nescio quis nos tenet error, ac MISERABILIS VERI IGNORATIO. Ubi est ergò philosophiæ magisterium? aut quid Te docuit illa vitæ parens, sic verum miserabiliter ignoras? Hactenus de extrema male-curiosorum, malè-sanorumque istorum literatorum infelicitate Lactantius.

III. Sed & graviori, imò vix eluctabili periculo, NOXIA CURIOSITAS mancipia amatoresque suos exponit, ipsius videlicet FIDEI RELIGIONISQUE TEMERATÆ; Etenim cum fieri vix possit, quin in tanta rerum ac sententiarum [curiosè pervestigatarum] diversitate plurima displiceant, imò alia atque alia se mutuò expellant, ratiocinationes quæstionesque substituantur, pudoris auferatur innocentia, & verecundia, frons quoque audax & confidens inferatur; haud infrequenter accidit, ut Curiosis istis opiniastris vera in quâ nati sunt Religio minimè satisfaciat, verum assidua cogitatio animos eorum subeat, quomodo ad singularitatis curiositatisque suæ regulas ipsa Religio reformari accomodarique queat? Si quandoque illi diversarum adversarumque Religionum Professores alloquantur, & unum quemque eorum asserere audiant, quod ex ejus parte stet veritas, pro quâ mortem subire paratus sit etiam

am atrocissimam, inde concludunt Protei illi, melius esse summam profiteri in credendo libertatem, quam dubiæ adeò veritatis subire aleam, cum [uti dicere non verentur,] inter Christianos dissentientes nondum ullo ἀναμαρτήτῳ judicio decisū sit à quorum parte stet veritas, sed omnes eam in suas trahere partes conentur. Neque ex alio fonte manavit pessimum illud judicium, quod Author Irenici Irenicorum de Christianorum dissentientium sectis hunc in modum tulit: *Cum sine dubio nosse desideres Lector, quis sim, & quomodo reformationem Christianismi præterea instituendam esse putem? breviter ita habe, me nec Lutheranum, nec Calvinianum, nec Remonstrantem, nec Græcum, nec Pontificium, nec Socinianum, nec Mennonitam, nec ullum alium ex hodiernis sectis esse hominem. Interim Ecclesiasticos conventus non prorsus aversor, neq; sectam Christianorum ullam, cum aliquid boni tamen apud singulas invenerim, adeoq; per ipsas omnes profecerim. A fratribus scil. Bohemis & Lutheranis accipiens Reformationis & libertatis Christianæ initium, à Calvinianis primum rationis usum in Theologia; à Remonstrantibus progressum in libertate con-*

Author anon. Iren. editi 1658. p. 79.

 scien-

scientiarum, à Græcis veritatis antiquæ reliquias, cum Bibliis ipsis & Patribus, à Pontificiis operum bonorum necessitatem, cum Patribus nonnullis Latinis, à Socinianis judicandi dexteritatem, à Mennonitis demum vitam Christi rectius quodammodo non dicam explicatam, sed adumbratam. Imò (ut mentem meam clarius aperiam, omnes quoque hodiernas Christianorum sectas sine ullo discrimine Ecclesias Christi esse profiteor. Consimili prorsus ratione superioribus annis diversas inter se religiones non sine dispendio veritatis commisisse Hieronymum Cardanum, in libris suis de Subtilitate, & Johannem Bodinum, composito, sed nondum edito de RERUM SUBLIMIUM ARCANIS ingenti volumine, Gabriel Naudæus in Bibliographia politica annotavit. Quibuscum conspirantes hodienum malè curiosorum literatorum plurimi, cum nulla Christianorum secta communicare volunt, omnes ad singularitatis suæ regulas reformare desiderantes, summisque elogiis celebrantes Πολύμορφον illam PRUDENTUM religionem, sectas diversas earumque partes commiscentem, jamque ex hâc, jam ex alia [ad authoris pseud-Irenici exemplum] quod congruum ipsis videtur amplectentem, inque suam rem vertentem, prudentiæ tamen elogio inde

inde superbientem, quod à prudentioribus doctioribusque hominibus non absque singulari circumspectione (uti quidem existimant) eligatur. Multiformem hujusmodi fidem à quibusdam etiam vocari GROTIANAM alibi notavimus, sc. ab ejus sive authore, sive fautore insigni Hugone Grotio; qui primum Reformatorum religioni addictus fuerit; postea Remonstrantium, Sociniana insuper dogmata (quæ dudum scriptis impugnaverat, pingere cœperit, variisque Nationibus, Gallis, Suecis, Anglis vela faciens, diversarum sectarum placita in scriptis suis disseminaverit, falcemque miserit in alienam messem, nec ab ipsis Judæorum pudendis erroribus abhorruerit. Vix equidem ex alio, quam extremæ Curiositatis fonte, confusi adeò de religione sensus suam traxêre originem; quod Grotius professione JCtus & Politicus eo usque sese rebus immiscuerit Theologicis; imò controversiarum Religionis, quæ per seculum & ultra decidi non potuêre, Conciliator & Arbiter; Scripturæ quoque universæ interpres, & dubiorum quorumvis in eâdem, etiam ἀπείρων καὶ ἀλύτων discussor ab omnibus haberi voluerit; suoque Marte nulla non propugnare placita ausus fuerit; *Non magis, tamen* [dicente non-nemine] *feliciter ei successit affectata hac Theologicæ eruditionis laurea, quam Salmasio discepta-*

Vid. epist. de Atheismo erad. ad Clar. Reis.

J. H. Boecler. in præf. Notat. ad libb. Grotii de Jur. Be. & Pa.

tio sua cum JCtis perperam suscepta; & quamvis uterque providerit procellas adversus se surrecturas, immodica tamen illa sciendi agendique sitis prohibuit, quo minus ab illaudatis κε·νοδοξίας conatibus abstinuerint, aut rectiora melioraque suggerentibus aures præbuerint benigniores.

IV. Neque verò sic satis excussum NOXIÆ CURIOSITATIS seminarium, neque exhaustus fons ille extremæ perditionis: Ea frequenter literatos malè-curiosos cura versavit, quomodo vel res divinæ totiusque naturæ captum excedentes indagari, vel inaccessa humanis mentibus mysteria explicari, vel confidenti audacia ipsum mundani excidii tempus [cujus arbitrium Pater cœlestis sibi tantum reservavit] cognosci queat, impudenter ad hæc inquirentes quid divina mens egerit, antequam Mundi fundamenta jaceret? cur tamdiu generis humani distulerit redemptionem? cur tot infidelium Nationes in tenebris vivere permiserit? Si fatuus haud abs re diceretur ille, qui Grammaticam aut Logicam scire tentaret, antequam prima literarum didicisset rudimenta, cur non & stultissimus dicetur ille, qui divina investigare præsumit, antequam infima & humana fuerit assecutus. Miranda sanè hominis superbia, qui cum vix valeat ea quæ juxta se sunt, cognoscere, talia inquirere non vereatur. Quid est tandem quod

quod Magnes trahit ferrum, & illud remittit, si Arabicus vel Indicus Adamas adhibeatur: *Apud Garamantas* (inquit Augustinus) *quendam perhibent esse fontem tam frigidum diebus, ut non bibatur, tam fervidum noctibus ut non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces, ut in cæteris extinguuntur accensæ, sed non ut in cæteris accenduntur extinctæ.* De his similibusque rebus Curiosi illi prius reddant rationem, quam ausu temerario in ea inquirere velint, quæ totam naturæ humanæ excedunt capacitatem. *Altiora se ne quærant, & fortiora se neutiquam scrutentur.* Nihil periculosius equidem homini literato, nilq; perniciosius esse, quam extra officii sui prosilire sphæram, scientiæque humanæ terminos excedere velle, sapientissimorum Virorum constat judicio. Quis militem non miraretur de libris potius quam armis differentem? Quis non rideret Architectum de curandis morbis sollicitum, aut Medicum de construendis ædificiis colloquentem? Maximis equidem erroribus involutum labyrinthum ingreditur, quisquis extra scientiæ facultatisque suæ sphæram ambulare conatur. Refrœnanda quadantenus est ingens illa sciendi cupiditas, ingeniumque (quod Seneca dicente *natura nobis CURIOSUM dedit, & artis ac pulchritudinis suæ sibi conscium*) ita coërcendum, ne suos prætervolet pervertatque terminos. Quod si felicioris inge-

August. lib. XXI. de Civit. DEI c. 5.

Eccles. III. v. 22.

Seneca lib. de otio sapient.

ingenii literatus ad latentes rerum causas pervestigandas extimuletur; Quæ nimirum sit vis illa quæ vastam cœli molem motu circumagat perpetuo? Sitne stellarum errantium cœlum multiplex, & diversum, an verò una pro lare toti stellarum familiæ cœli domus sufficiat; Ex quâ vel conflertur vel constet cœlum materia? liquidâ, ut est aër, an durâ ut est adamas? unde maculæ & faculæ circa Solem? Quo igne accendantur, quo alantur pabulo cometæ? Numerus stellarum quantus, quanta magnitudo & velocitas illarum? Quis elementis temperaturam, quis illum oppositarum qualitatum consensum mirabilem, quis occultas virtutes influat? Quis mari accessus & recessus dictet? Quicquid est denique & quicquid factum est, cujus naturæ sit, & quomodo conditum? Ad hæc inquam, ejusque farinæ innumera alia cognoscenda indagandaq; si ingenium extimulet hominem literatum; opera ipsi navanda est sollicita, ne [ut antea diximus] extra Sphæram suam unquam prosiliat, & à scopo palmario turpiter aberret. Præcipuè verò maximèque illi cavendum, ne FIDEI & Religionis arcana, unquam philosophicâ explorare curiositate præsumat. Non habent noctuæ (ait sæpè laudatus scriptor) oculos Solis patientes, quem vix aquilæ ferunt, nictantibus oculis, quamvis firmioribus

Confer Bartol. char lit. p. 284.

Idem l. c. p. 273.

cribus adamante - - Quid eſt obſecro mens humana dum ſenſuum gravatur pondere, niſi Struthio-Camelus, minor alarum mole quam corporis, nec humo ſe valens efferre, niſi paſſis alis, gradum in terra ponat, Quanquam pennis ſimus alati ampliſſimis, evaſurine ad nubes ſumus? Quid dicam ad Solem & majores ſtellas? Quis altiſſima licet imbutus rerum divinarum contemplatione, litare cum Athenienſibus non cogatur IGNOTO DEO? Quis inquam non fateatur ſe ad percipienda quæ de ſe DEUS occultat inhabilem, & poſtquam ſuarum alas cogitationum ex ritu avium ſacrificandarum torſerit, non ſuam arguat imbecillitatem temerariam aureo illo Auguſtini dicto: *Melior eſt fidelis Ignorantia, quam temeraria ſcientia*; Nunquam fontium aquæ proſiliunt altius, capitibus fontium ex quibus ſunt ortæ. Tantum ſurſum feruntur, quantum in declivia fluxêre. Atqui noſtrum hoc qualecunque ſcire, unde quæſo naſcitur & habetur niſi ex ſenſibus? Senſus verò quarumnam rerum ſunt capaces, niſi earum quas clau-

dit suis finibus natura? Ex iis denique naturæ finibus qui tandem possumus dicere Fontem aquæ salientis in vitam æternam? qui fons scientiā designat supernaturalium & divinorum. Nec immeritò idem scriptor ejusdē farinæ impiè curiosos literatos reprehendit ex eo, quod se ipsos sui Magistros inaugurent, & quidem ejus scientiæ, cujus nunquam Mundus viderit discipulum: mentis acumen fatigent, ut in apertum nudæ veritatis, supra quam possit ac liceat, conspectum se penetrent, & vix dum fidei lacti sugendo idonei, ejus invadant in ossa, ut eorum medullis pascantur, ac velut nihil omiserint in vasto naturæ ambitu, quod non teneant animo comprehensum, arcanorum fidei profanam meditentur indagationem: *Ingenio* (scribit notanter) *polles, sed quantulo si ad Augustinum? præ quo ut gryllus videris equo prævalido & generoso collatus. Et talis cum sis audes ea tentare, à quibus ille viribus suis diffisus se removet? Qui certè mari tantum non se cum Philosopho demergens;* O abysse (*inquit*) tu me cape, quia te ipse non capio! Quin etiam locis sexcentis contestatur nescire se quicquam, ac ne capere quidem quid sit scire: Nescio & non erubesco confiteri, me nescire quod nescio. Et audes Tu os aperire ac vocem mittere, ut impugnes vel in dubium revoces, quod

Idem l. c. p. 276.

absque

absque numero & mensura docti, quod mortes martyrum infinitæ, quod nullis non locis & temporibus edita potentiæ divinæ prodigia, quod tot consensus populorum asserunt, confirmant, chirographo inexpugnabili muniunt? Sapientiæ tuæ lucernâ tenui examinabis sc. Solis lucem, nec apud te magistri supremi sapientia valebit, quod apud discipulos Pythagoras valuit? Nobis CURIOSITATE OPUS NON EST POST CHRISTUM JESUM, NEC INQUISITIONE POST EVANGELIUM. Sed & Geographos advocavit scriptor doctissimus, ut literatos à noxiâ in divinis rimandis Curiositate abduceret. Solent inquit Geographi cum ad metas venerunt cultarum regionum; IGNOTAS hactenus, punctorum lineis notare, adscriptis verbis, TERRA INCOGNITA. Quem morem Plutarchus in sui excusationem appositè vertit, quod Heroum vitas aggressus scribere, non potuisset illorũ sigillatim gesta divinare, quibus essent immortalitatem apud homines consecuti; Antiquitate siquidem nimia, & oblivione quæ illam subsequitur, magnam vitæ illorum occultari partem, ut TERRAM INCOGNITAM. Quod Plutarchus de illorum gestis refert, illud idem cadere potest in complexum illum rerum omnium, quæ possunt à nobis intelligi. Multa sunt in iis nota, latent multa, non modo incognita, sed extra

Tertull. de præscr. c. 7.

Bart. l. c. p. 271.

Plutarch. in vit. Thes.

cognitionis nostræ facultatem & sphæram sita, donec in illam subeamus scholam, ubi primo, & solo divini verbi aspectu nobis imprimatur æterna & clara eorum intelligentia, quibus indagandis hic frustra contendimus. Hujusmodi sunt occulta & incomprehensa sacrosanctæ fidei arcana, quo minus aperta, hoc securiora, quo minus permissa curiositati mortalium, hoc sacratius & certius eorum fidei commissa. Quantamcunque quis excelsitatem intelligentiæ & acumen sit nactus, scrobicula est unius palmi ad Oceanum, si cum iis quæ cupit mente comprehendere se componat. Attollat quantumvis animum & contemplandi aciem in sanctos divinæ fidei recessus, non fiet propior quam Gigantes cœlo --- Dic sodes priusquam conscendas altius, quod S. Hieronymus Te rogat, cur pedes Elephanti, qui mons carneus est, duntaxat quatuor dati sunt, quibus molem corporis immanem regat & fulciat; musca quæ punctum viventis est, sex pedibus nititur? Non pudebit opinor id nescire, quanquam ut hoc scias, nihil sciveris. Et scire Te credis & intelligere, quod nemo mortalium percipit, etiamsi nihil non percipiat? Quam Tibi aptè hic Zeno Stoicus correctoris operam commodet, ut juveni olim quam mento depili, tam capitis vacui. Cui responsum audacius ad quæsita sciscitanti, quæ ne ipse quidem satis perceperat; ob os objecit speculum, interim ad aures

aures suggerens, censeretne illa quæ interrogabat, & responsa quæ reddi volebat, barbam illam decere? Optimè tandem scriptor ille acutissimus judicavit, omnes illos cum Thalete offendere, inque foveam prolabi, qui ascensum ejusmodi stellis altiorem meditentur. Bart. l. 6. p. 276.

V. Utinam saluberrima hæc Virorum prudentiorum monita ad animum sibi revocarent illi quoque LITERATI ORBIS incolæ, qui perniciosæ CURIOSITATIS labe polluti, ad futurorum etiam prædictionem, rerum occultarum manifestationem, omnisque generis divinationem animos applicare solent, donec horrendis maximè laqueis involvantur. Accidit hoc ipsum superiori ævo Viro multijugæ eruditionis laude conspicuo GUILIELMO POSTELLO, qui editis [Sammarthano teste] locupletibus doctrinæ suæ monumentis, mulierculæ cuiusdam, vel potius noxiæ curiositatis præstigiis fascinatus, asserere non dubitavit, se morte obitâ revocatum ad superos, & juvenili ætati restitutum, rerum maximè abstrusarum cognitionem acquisivisse. Mox autem urgente Magistratu ille violatæ persuasionis reus, gravissimum famæ & vitæ periculum subiit. CURIOSITATEM initio describentes, appetitum inordinatum nuncupavimus ea cognoscendi, quæ vel inutilia, vel captui humano minimè sint accomodata; hæc Samm. in elogiis Gallor.

inter palmarium quasi locum sibi vindicant plurimæ species DIVINATIONUM, quas immodicâ sciendi siti ferè tabescentes literati, ardore tanto captare solent, ut pariter ac Postellus ille, gravissimum inde & vitæ & famæ & beatæ æternitatis periculum incurrant. Tantum verò abest ut hunc in censum Astrologiam referamus Naturalem, (quæ astrorum naturam, planetarum ortum, occasum, junctionem, oppositionem, varium aspectum, tum inter se, tum ad stellas fixas & eclipses considerat, eque earum motu & situ de futuris elementorum, & corporum affectionibus fert calculum,) ut potius inde magnam utilitatem in Orbem redundasse cum Basilio lubentes fateamur; *Quantam* (ait ille) *utilitatem vitæ præbeat significatio ex astris, quis ignorat? Expedit enim nautæ intra portum navem continere, ubi pericula ex ventis prospexerit, expedit iter facienti procul declinare detrimentum, & ex tristitia cæli aeris mutationem expectare. agricolæ autem, qui circa semina & plantarum curas occupati sunt, omnes inde inveniunt operarum opportunitates.* Gravissimam potius censuram, damnificæq; curiositatis notam ii incurrunt, qui ex siderum observatione de futuris contingentibus, universâ vitæ humanæ conditione, de liberis, opibus, infortuniis, inimicitiis, carcere, morte denique judicare,

Basil. homil. VI. in hexaem.

aut

aut judicantibus fidem tribuere non verentur, à pessima illa animi ægritudine liberari haud quaquam cupientes, etiamsi videant Astrologos toties à veritatis tramite aberrasse, eosque tot luculentis mendaciorum stigmatibus hactenus notatos fuisse. *Nescio quidem* (scitè ait nonnemo) *an non forte ex stellis ERRATICÆ quædam sint dictæ, non tam quod motibus, sedibusq; incertis ipsæ errent, quam quod in errorem Astrologos, eorumq; clientes inducant, eo dicendi genere, & phrasi, quo pallida mors vocatur, non quæ palleat, sed quæ pallore cadavera afficiat, & pigra hyems ab effectu.* Quo autem errore, quâ noxa ejusmodi præscientiæ libido eruditos sæpè occupet, ut à verâ naturæ ac divinorum operum contemplatione abducti, futurorum eventuum notitias capere cœperint, sive per astrologos ex siderum situ motuque, sive per augures vel aruspices ex avium cantu, & volatu, aut per sortilegos ex sortibus, sive per interpretes ex somniis, ostentis ac portentis, sive per physiognomos ex delineatione habituque corporis externo, sive per Metoposcopos speciatim ex fronte, sive per Geomantes, Hydromãtes, Necromantes, pyromantes &c. facilè intelligemus, si perniciosæ Curiositatis genium atq; indolem habeamus probè perspectam.

Beskier in Arâ Cœli Decad. II. concion. 10. n. 2.

Quam-

Quamprimum ista menti suffunditur caligo; tot tantæque eam obruunt tenebræ, ut inde hebetatâ animi acie homo ad futura semper anhelans, jugiter inter speranda ac metuenda, ceu procellis agitata navis certissimo errore divagetur, & nihil non faciat, non credat, non suscipiat, quo se expediat à fluctibus, atque si non præsentem, saltem futuram sibi aucupetur felicitatem. Ut verò CURIOSE = LITERATUS maturè conjiciat quam frivolæ ineptæque sint illaudatæ illius illicitæque Divinationis artes; [non enim omne omninò prædictionis genus promiscuè rejiciendum esse; apud cunctos veritatis assertores est exploratissimum;] probè consideret, quod pleraque in numero signorum futura prænotantium sint ambigua & obscura; quibus neutiquam respondeat eventus; eaque propter ancipiti solum consensu ab hominibus [quamvis valdè superstitiosis] hactenus sint admissa, sive in astris illa fuerint observata; sive in plantis; sive in animalibus; sive in somniis; & cæteris ejusmodi pluribus; quod etiam nulla certa præsensio aut prædictio esse possit eorum; quæ omni fundamento sive naturali; sive artificiali, sive revelato sive rationali destituuntur; ideoque divinationes istas utpote patre diabolo natas, omninò esse rejiciendas, quamvis non rarò accepta à talibus signis vaticinia ille ad illudendos perdendosque homines rata fecerit. Non malè Vincentius

tius Ferrerius notavit, quosdam ex merâ vanaque curiositate REVELATIONES PECULIARES expetiisse, qui tamen ut plurimum [DEO permittente] à diabolo miserè sint decepti. Fatetur alicubi Augustinus ipse, conatum hoc dæmonem sibi persvadere, ut signum aliquod [seu revelationem [à DEO peteret; se verò id detrectasse, gnarum quàm multos HÆC CURIOSITAS decepisset. *Sed & alia enarrantur* (verba Gersonis dignissima notatu adscribo) *exempla sanctorum Patrum; qui CURIOSITATEM hujusmodi visionum vel miraculorum tanquam perniciosissimam fallacissimamq; refugerunt, à qua se Augustinus liberatum in suis confess. gloriatur in Domino, quam propterea Bonaventura abhorrendam nimis esse determinat, totóq; conatu repellendam orationibus, increpationibus &c.* Sunt qui ferventissimum illum prædicatorem Florentinum HIER. SAVONAROLAM noxiæ hac in parte CURIOSITATIS accusare, ac veluti nimium revelationum incertissimarum sectatorem admiratoremque exagitare non dubitant. Etenim disertè Cominæus scribit, Savonarolam in plurimorum incurrisse reprehensionem, quoniam DIVINITUS sibi quædam demonstrata nunciasset, nimirum de Gallorum novâ in Italiam expe-

Vincent. Tract. de Vita spirit. c. 11. 12. Confer lib. 10. Confess.

Comin. lib. V. de B. N.

expeditione, Ecclesiæ renovatione, instantique Turcarum, Judæorum aliorumque infidelium conversione &c. *Quam ille multa* (ita Delrio) *de Ecclesiæ reformatione, Turcarum conversione, & Florentinorum felicitate, quæ mox adimplenda, & adstantium multi erant visuri antequam moreretur, prædixit? addens* (in revelationum compendio) *illas absolutas & immutabiles prophetias esse, attamen nihil horum verè adhuc contigit, pleraq; omnia intra centum annos contraria contigerunt.* Longè severius de Savonarolæ revelationibus judicium à Gabriele Naudeo est profectum, quod ex libro ejus gallico (sub tit. *apologia magnorum Virorum falso Magiæ accusatorum Paris. 1667. edito*) excerptum, nuper Vir gente & mente præclarissimus Dn. TOBIAS WINCKLERUS mecum communicavit. Extremæ nimirum malitiæ simulationisque stigma insigni illi Præconi infigere, omnemque virtutis sinceritatisq; laudem auferre Naudeus atro sua calculo laboravit. Quæ verò è scriptis Savonarolæ (præsertim practicis) elucet pietas zelusque plane singularis, clarissimum innocentiæ ejus testimonium perhibere, ipsumq; potius Naudeum falsitatis & iniquitatis summæ convincere videtur. Si vel maximè ille ferventissimo suo studio

Delrio Disquis. Magic. lib. IV. c. 1. quæst. 3. s. 5. p. 582.

&

& forti imaginatione talium rerum quas prædicebat, indeque orta infirmitate quàdam graviori esset abreptus, neutiquam tamen atro adeò carbone prædictiones ejus fuissent notandæ, siquidem haud ignotum sit, quid Viris etiam optimis ac pientissimis dæmonis fraude non rarò evenerit. Hinc verò cautius mercari discant omnes Theosophiæ christianæ cultores, atque summam prudentiam circa NOXIÆ CURIOSITATIS pestem declinandam adhibere studeant, ne ipsis divinæ revelationis loco, illusio aliqua sive allocutio diabolica obtingat, extremæque eos & vitæ & famæ, ipsiusque animæ periculo exponat.

VI. Eo magis denique infamis illa CURIOSITAS est obstupescenda, quod animos eruditorum nonnunquam in horrificos adeò ausus abripiat, ut satiandæ inquietudinis ergò, nec DÆMONIS IMPERIUM refugere, nec ab explicito vel saltim implicito pacto magico-diabolico abhorrere videantur. Haud abs re detestandarum nefandarumque artium Magicarum origo dicitur nimium sciendi studium, pudendaque illa curiositas, quæ ad explendam immodicam suam sitim media illicita & à recto longissimè aberrantia usurpare neutiquam veretur. Qui enim semel ausus est ultra humana concupiscere, desertus ab hominibus, Spiritus consulere incipit, & ge-

niorum appetere familiaritatem. Itaque miserum CURIOSITATIS EXITIOSÆ mancipium characteres tandem adhibere, imò horrendas suppliciisque dignas usurpare non dubitat incantationes, infamem illam Dæmonum commerciis, inauspicatamque cognitionem speciosо OCCULTÆ PHILOSOPHIÆ titulo pallians, extremamque suam temeritatem non sine maxima in DEUM contumelia sapientiæ summæ elogio exornans. Tristia eheu exempla huc usque docuêre, quosdam literatorum sola urgente Curiositate magisterium Dæmonis admisisse, atque cum nefando isto humani generis hoste pactum execrabile iniisse, iis temerè sese involvisse laqueis, quibus tandem miserè constricti, sempiternam coacti sint horrificamque servire servitutem. Sanè, cum Curiositati omne novum & admirandum in pretio, ejusque appetitus adeò sit caninus, ut sæpè in inordinata valdeque noxia ruat, accidit, ut summè lethalem illum morbum (causa externâ sc. magico consortio accedente) multi contrahant, misereque tandem & æternum pereant. Non tanto damno afficerentur illi, si christianæ pietati potius quam nefariæ curiositati vacivas aures præbuissent. Si vera sint ea, quæ de HENRICO CORNELIO AGRIPPA quidam prodidêre, si insignis ille Philosophus & Politicus (qui sub diversis & Principibus & civitatum Magistra-

tibus

tibus per Italiam, Hispaniam, Angliam, Galliam multa arduaque facinora designavit, postea à publicis muneribus sese subducens, medicinam haud adeò infeliciter exercuit,) à Magiæ suspicione absolvi haud quaquam possit, dubium nullum esset, quin ex immodico illo sciendi agendique desiderio, tantum & famæ, & vitæ & animæ subjerit periculum. Ipse equidem in peculiari quâdam ad Johannem Trithemium epistolâ fatetur, *ab ineunte ætate sese mirabilium effectuum, & mysteriis plenarum operationum CURIOSUM fuisse EXPLORATOREM*; & alibi haud obscurè videtur innuere, Chrysopæam se exercuisse, cum sociis fœdere sibi junctis, ob quam sæpius apud principes libertatis ferè jacturam fecisset, & in carcerem etiam quandoque fuisset compactus. Malè etiam Agrippa audire, Magiæque insimulari cœpit ob libros de Occulta Philosophia in lucem emissos, quos admodum adolescens scribere aggressus, provectiori ætate correxit; multisque capitibus auctos Johanni Trithemio censendos obtulit, haudquaquam ipse dubitans, *multos* (uti præfatio habet) *vix conspecto titulo clamaturos, vetitas authorem artes docere, hæresum semina jacere, piis auribus offendiculo, præclaris ingeniis scandalo esse, maleficum esse, superstitiosum*

Agrippa Lib. I. epist. 23.

Idem lib. I. epist. 10.

Jovius in elogiis Doctorũ Viror. *esse, dæmoniacum esse, &c.* Neque dissimulandum, quod de ejus obitu Jovius literis prodidit in h. m. *Excessit è vita nondum Senex apud Lugdunum, ignobili & tenebricoso in diversorio multis eum tanquam Necromantia suspicione infamem execrantibus, quod cacodæmonem nigri canis specie circumduceret; ita ut cum propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare loræum magicis per clavorum emblemata inscriptum notis exsolverit, in hac suprema verba iratè prorumpens: ABI PERDITA BESTIA, QUÆ ME TOTUM PERDIDISTI.* Quantumvis verò Johannes Wierus merum id figmentum esse putet, summoperèque miretur, tantæ existimationis Virum insulsè adeò ex inanissimo vulgi rumore fuisse locutum, satis tamen superque constat, pessimam optimorum ingeniorum corruptricem CURIOSITATEM scil. perditam illam esse BESTIAM, quæ præter Agrippam, eruditorum plurimos perdiderit, horrendisque adeò constrinxerit laqueis, quibus æternum fuerint involuti. Perdidit illa ipsa bestia (Delrio teste) quendam Agrippæ commensalem NIMIS CURIOSUM, qui absente Daducho Museum ingressus, in libellum conjurationum incidit, & ab advocato dæmone miserè necatus,

Joh. Wierus lib. II. de præstig. dæmon. c. 5. Martin⁹ Delrio Disquis. Magic. lib. II. quæst. 29. f. m. 357.

necatus, horrendas NEFARIÆ CURIOSITATIS (ut ait author) dedit pœnas, perdidit & famoſum illum Petrum de Apono, Anſelmum Parmenſem, Johannem Fauſtum, Michaelem Scotum, ipſumque Abbatem Trithemium, qui omnes nefariæ curioſitatis peſte correpti pariter ac corrupti, horrendi cùm malignis Spiritibus commercii labem contraxêre. De Trithemio equidem Carolus Bovillus teſtatur, *ſe enim Magum reperiſſe, nullâ philoſophiæ parte inſignem*. Eundem in cenſum perditorum illi referendi ſunt, qui Eruditionis pariter ac exiſtimationis amplioris conſequendæ gratia SPIRITIBUS utuntur FAMILIARIBUS, quos græci παρέδρους (eo quod adſint aſſiduè) nuncupant, quoſque ſine gravi poſſeſſorum noxâ nunquam receſſiſſe conſtat, ſiquidem ut plurimum cum illis dæmon pro certo paciſcatur tempore, quo finito vel alium iſti herum paredro reperiant, vel ipſi cedant dæmoni necandi. Nimirum funeſtum ejuſmodi exitum omnes graviter adeò in DEUM delinquentes ſortiuntur, ut ſatanæ ludibriis aliquandiu vexati, illuſique, & temporales & ſempiternas perfidiæ ſuæ nefandæq; CURIOSITATIS luant pœnas. *Abi Beſtia, quæ miſeros illos* (quod Agrippam moribundum dixiſſe Jovius tradidit) TOTOS PERDIDISTI!

Car. Bovillus citante Wiero lib. II. de præſt. dæm. cap. 6.

Memorabile exemplũ de dæmone paredro habet Nicol. Remigius lib. I. demonolatr.

VII. Etſi verò Curioſorum literatorum plurimi iſtos extremæ malitiæ perfidiæque

magicæ laqueos effugerint, aliis tamen non minus periculosis ut plurimum ita sunt involuti, ut vel vel nunquam, vel non sine maximis difficultatibus ex iis sese expedire potuerint. Non malè Vir nostro ævo clarissimus observavit, omnium in Mundo perplexitatum calamitatumque causam ferè unicam esse, quod homines [præsertim literati, illaudatæ Curiositatis morbo correpti] prætermissis Necessariis, non-necessariis occupentur, implicentur, imò sine fine intricentur. *Plerumq; scil.* CURIOSI *circa res alienas, incuriosi circa proprias*; Et quod magis portentosum [notanter addit] curiosi circa minutias, in quibus nihil ad felicitatem situm est: incuriosi circa maxima, in quibus vitæ & salutis cardo vertitur, alieno in oculo festucam videntes, eamque eximere solliciti, in proprio ne trabem quidem, unde eveniat, ut veritatem quærentium, & tamen errantium; studiosè laborantium, & tamen in vanum vires profundentium; desiderata bona anhelantium, nec tamen adipiscentium, aut frui nescientium, & dehinc rursum fastidientium hominum Orbis plenus sit eruditus. Quid inde fructus scire v. g. quomodo Jupiter duxerit uxorem, quæ fuerit patria Homeri, quæ vera Æneæ mater, an Sappho publica fuerit, aliaque similia, mox contemnenda, investigare otiosarum mentium pabula? Præclarè quondam Demonax, cum quidam inquireret, A N

Jo. Amos Comenius in tractatu quem sub Unius necessarii titulo paucis ante obitum suũ annis luci exposuit Amstel. 1668. cap. II. pag. 15.

MUN-

MUNDUS ESSET ANIMATUS? & rursum an globosus? *Vos* inquit *de Mundo solliciti estis, & vestram ipsorum immunditiam non curatis.* Si equidem multi impensius solliciti sunt, ut abstrusa reconditaq; indagare queant, quam ut animum veræ doctrinæ virtutisque instruant thesauris, si sis *virtute excultus. tolles ad sidera vultus.* Hoc verò Curiositati solenne, numquam suos eo efferre, ubi non post annorum aliquot nummorumque dependium, retrò eundũ potius sit, quam progrediendum. Nec aliud græcorum Sapientes significaverê, dum dogmata sua fabulis involventes, hominibus ævi sui literatis *Labyrinthos, Sisyphea Saxa, Tantaliq́; delicias* verè non minus quam ingeniosè narrarunt, scil. confusa esse omnia hominum indicantes, labores molestiæ plenos, fructuque cassos, voluptatumque loco dolores, & perpetuas spiritus afflictiones. Sanè si quis universæ Vitæ, à Curiosis literatis transactæ scenam probè intueatur, si cui per singulas illorum ætates, status ordines ire esset volupe, nil nisi Labyrinthos deprehenderet, perpetuasque desideriorum frustrationes. Habent quippe labyrinthos suos Studiosi, nec illis destituuntur ætate provectiores, Senes denique literati vel maximè iis involvuntur. Philosophi cumprimis, inque aliis humanæ sapientiæ studiis excolendis, tradendisque nimis curiosè

occupati, suos ubique invenêre labyrinthos. Quantos quamque periculosos ipse omnium Philosophorum princeps olim subiit! *Hic est ille Aristoteles* (verba sunt scriptoris cujusdam celeberr.) *cujus mores à Platone reprobati; unde exortum illius in magistrum odium & ingratitudo, qui sceleroſæ vitæ judicium veritus, Athenas clam raptimq; profugit, qui in benefactores ingratissimus, etiam Alexandrum illum Magnum (à quo amplè magnificeque exornatus extitit, quique illi vitam, corpus, animamque pariter atque patriam restituit) stygia aqua veneno peremit, qui etiam de anima malè sentiens locum gaudii post mortem negavit; qui veterum dicta compilavit, malignque explicavit, atque ita ingenii laudem furto ac calumnia captavit: quin jam inveteratus dierum malorum EX SCIENTIÆ IMMODERATA CUPIDITATE in rabiem versus, sibi ipsi intulit necem, ipsis dæmonibus dignum factus sacrificium, qui illum SCIRE DOCUERANT.* Et qui nostrâ pariter ac patrum nostrorũ memoria philosophiæ universæ reformationem sunt meditati, Petrus Ramus, Telesius, Robertus Flud de Fluctibus, Thomas Campanella, ipse denique Car-

tesius, loco speratæ philosophiæ solidioris, defatigationes immensas, jurgia perpetua, & plusquam vatiniana quorundam odia contraxêre. Postremus cumprimis, ex perpetuis errorum labyrinthis viam (uti putabat,) se reperisse credens commodiorem, scil. *de veritate jam possessa præjudicia seponendi, omnia denuò examinandi, neque quidquam nisi tam apertè verum ut everti non possit, admittendi*, consilia subministrans, novos periculosissimosque reseravit labyrinthos, atque flagrantissimo Curiositatis igni oleum multis dolentibus & ringentibus superaddidit. Cæterum & Dialecticorum, & Physicorum, & Metaphysicorum, & Astronomorum, & Geographorum, & Historicorum, & Chronologorum, & Medicorum & Chymicorum plus justo Curiosorum labyrinthos quis enumeret? Hinc librariorum officinæ non solum tot libellis, à solâ Curiositate dictatis sunt instructissimæ, verum etiam scholæ tot disquisitionibus inutilibus, & christianæ fidei professoribus indignissimis inquietantur, dum quisque lingvâ stylove pro novis curiosisque suis inventis digladiatur, omnesque dissentientes maximo animi nisu de existimationis suæ gradu deturbare molitur, & quasi sub antiquorum Sophistarum sidere natus esset, longum sectatorum discipulorumque agmen, post se trahens, atque solus

Confer Commentat. V. de Contention. literat.

solus æstimari cupiens ab improvidâ juventute, quæ tamen [ut scitè nonnemo * ait] *haud aliter atq; pisciculi, quos fallaci hamo impositæ esca perdit, capiuntur ab iis, qui institores sunt novorum* (curiosorumque) *dogmatum, quæ non possunt non palato juniorum summoperè allubescere, quod omnes homines rerum novarum quam avidissimi sint. Ne verò citra judicium videatur juventus ad hos illosve Doctores divertisse, illi quos non tam eruditior, quam major chorus delectat, sollicitè dant operam, ut videantur instructi esse tali methodo, ex cujus præscripto non solum feliciter compendioseq; studia queant institui, verum ipsæ quoq; disciplinæ reddi perfectiores.* Atro nimirum carbone Vir celebris notavit Ren. Cartesium, vel potius renatum ejus scepticismum, prætensamque libertatem philosophandi, imò tollendi & in dubium vocandi omnia natu-

* *M. Schokius præf. libror. de Scepticismo. In tales etiam malè curiosos aliquid videtur molitus fuisse Caspar Barlæus, si fidem habemus Vossio lib. I. de arte Gramm. c. 3. sed quod hactenus lucem non aspexit. Exarmare quoque eosdem laboravit Thomas Campanella, lib. I. Metaph. sed uti omnes censent nimis generaliter atque suo more confusè.*

naturalis luminis principia atque axiomata, communi philoſophantium conſenſu recepta, nec non ſtolidam illam de novis inauditis, & admirandis methodis gloriationem, omnisque ſcientiæ fideique abjectionem. Ac licet prætenſa illa libertas philoſophandi, maximam poſt ſe trahat ſcientiarum diſciplinarumque omnium perniciem, quibusdam tamen arriſit tantoperè, ut pro neo-ſcepticiſmo illo veluti pro aris & focis dimicare, ipſaque pietatis fideique chriſtianæ dogmata periculoſæ adeò aleæ exponere non dubitaverint. Hoc opus, hic labor fuit anonymi illius ſcriptoris, qui SCRIPTURÆ EX PHILOSOPHIA haud ita pridem meditatus eſt INTERPRETATIONEM, latensque pectoris ſui virus, verbis prodere non dubitavit ſequentibus: *In his* (Theologicis ſcil. dogmatibus) *inter alia indagandis, dum omnem cogitationem figo, incidit illicò feliciſſima illa methodus, quâ nobiliſſimus ac incomparabilis Vir Renatus des Cartes,*

Vid. liber cui tit. Philoſophia Scripturæ interpres, nec non Tractat. Theolog. pol. de libert. philoſoph.

Primus inaceſſum qui per tot ſecula verum
Eruit è tetris longæ caliginis umbris,

Philoſophiam ab ipſis reſtauravit fundamentis, à tot tantisq́, quibus ſcatebat, repurgavit lacunis, ac proprio nativoque reſtituit nitori; nempe præjudiciorum omnium abdicatio ſeria, & nullius rei, niſi clarè diſtinctéq́ percepta aſſenſio atq́ aſſertio. Diu

multum

multumq́; reputavi mecum sedulò, an quemadmodum illi in philosophia, sic & mihi IN NB. *THEOLOGIA liceret conduceretque IN DUBIUM REVOCARE, quicquid in dubium revocari posset, idq́; continuò tanquam falsum rejicere, donec tandem ad aliquid in Theologia firmum ac stabile, quo tuto pedem figere possem, pervenirem.* Et cum hanc in rem scriptorum quorundam Reformatorum aut libertinorum potius suffragia protulisset, pessimum hoc NOXIÆ suæ CURIOSITATIS dedit documentum: *Tantorum Virorum auctoritate, atq́; ipsius rei veritate permotus ac suffultus, manum operi admovere volui, ac Cartesii vestigiis insistens, experiri, num THEOLOGUM agendo, atq́; in Theologia quicquid tanquam dubium ac incertum, removeri potest, removendo, tandem perveniri posset ad aliquid in ea primum, quod removeri nequeat, quin tota simul corruat atq́; removeatur.* Quis obsecro infrunitam hanc nefariamque Sacra polluendi licentiam, atque expeditissimam ad atheismum viam toto non detestetur pectore? Sint aliàs novarum ejusmodi methodorum inventores Bruti quidam literarii, subtilitatum terebræ, dissolverint quicquid olim habitum fuerit ἄλυτον, hoc ipso tamen consilio sese bonos Christianos neutiquam comprobarunt; verum Scepticismum, ejusque individuum comitem atheis-

atheismum plenis velis introduxêre. Et quamvis ii, qui scientiarum disciplinarumque Sophicarum instaurationem perfectionemque novis suis methodis aut compendiis (an potius dispendiis?) quæsiverunt, non tanta tamque atrocia mala invexerint, ut illi Sacrorum invasores; dubium tamen nullum est, quin & ipsi curiositate sua plurimis in erudito Orbe turbis, dissidiis, gravioribusque literatorum motibus ansam dederint atque occasionem. *Non inficias eundum* (scribit ante laudatus philosophus) *inter hos multos occurrere Viros egregios, quos fatendum est, in ordinanda sive universali, sive particulari methodo, plurima cum ratione monuisse, quæ si observarentur, & labor compendiosior redderetur, nec periculum foret à variis erroribus, quos veritatis insignibus velatos, vix ipsi senes exuere possint, quod à teneris eos imbiberint, diuq; in sinu suo quam arctissimè foverint; sed dum adversa fronte inter se concurrunt, & unusquisq; ex asse suæ methodo, licet aliorum quoq; observationibus substructa, omnem laudem & gloriam vindicare contendit, ultra methodum vix proceditur, disciplinæq; non solum sperato destituuntur ornamento, sed ipsi quoq; discipuli*

M.Schookius cit. præfat. lib. de Scepticis.

puli in vestibulo solo detinentur. Laudare possem ultra viginti Viros celeberrimos, qui intra seculum varia evulgarunt scripta, aut de methodo, aut de perficiendis disciplinis, aut de augmento earundem, qui tamen parum aut nihil in una quaq; disciplina pro illius perfectione præstiterunt. En vanos malè-curiosorum hominum conatus! Et quamvis Eruditi multivariis scientiis dediti, artem non errandi, non succumbendi, non spectatis bonis excidendi quæsierint, illamque se tandem aliquando obtinuisse audenter professi sint, vanam tamen eam esse, fallacem, innumerisq; casibus obnoxiam, præter historicos & Poëtas, tot cassi doctissimorum hominum labores inclamavêre, quibus diu multumque defatigati, vel famæ existimationisque propriæ glaucomate sunt fascinati, vel in superbiam contumeliamque elati, vel invidia tandem æmulationeque lacessiti, gravissimis periculis atrocibusque insidiis undique patuerunt. Sic Johannem Regium Venetum, sub Alexandro Sexto Bibliothecarium, Virum græcè & latinè doctissimum, bonarumque artium studiis operam strenuè navantem, tempore illo Alexandri iniquissimo, primum in arcano proscriptorum albo positum, mox veneno sublatum fuisse, scripta verò ejus in Plutarchum plurima egregiaque partim ab invidis suppressa evanuisse,

isse, partim furibus gloriam peperisse, Pierius in nobili suo de infelicitate literatorum opusculo memoravit. Ex cujus etiam indicio constat NICOLAUM ANGELICUM æque Venetum, Virum multijugâ eruditione illustrem, sub primum in patriam appulsum, molestissimis litibus infestatum, dehinc tumultu ante ædium suarum fores excitato, multis vulneribus laceratum miserabiliter occubuisse. De Arnoldo à Villanova Viro ætate sua celebratissimo, disertè Joh. Mariana testatus est, quod nobile ingenium eruditionemque maximam, pravis superstitionibus fœdare sit ausus, additque eum propterea ab inquisitoribus gravi notatum infamiâ; libros verò, quos magno numero ediderit, prorsus reprobatos fuisse. Nec minus Johannes Baptista Marinus, (cui teste Joh. Imperiali natura parens multijugam adeò hâc in rerum universitate luxuriem prætulit, ut nemo faciliori ad omnem scribendi elegantiam indole, præditus fuerit,) multorum propterea intestina sibi undique conflavit odia, plurimaq; & rerum & vitæ discrimina periculaque subiit.

Ioh.Pier. Lib.I.de infel.literat.p. 39.

Ioh.Mariana lib. 14. Rer. Hisp.c.9.

Joh. Imperial. in Museo Histor. p. 156.

IIX. Sed & alios quosdam ex universo eruditorum cœtu producamus, qui CASSOS planè exantlavêre labores, ac frustra & in vanum curis atque vigiliis literariis sese defatigavêre, omni exin frustrati laude atque commoditate. Postquam Romæ Avorum nostrorum memoria AUGUSTUS VALDUS bonas literas mul-

Pier. l. c. p. 44. tis vigiliis, sudoribus & peregrinationibus acquisitas diu professus esset, nec voce solum, verum etiam scriptis omnivariam eruditionem ab interitu vindicasset, in miserabilem quandam Romanorum cladem incidit, & præter pretiosissimam supellectilem librariam, INSIGNES LABORES SUOS, quos in Plinium elucubrarat, moxque typis mandare decreverat, coram dilacerari, atque in culinæ usum incendi conspexit, mœrore propterea, nec non insatiabili barbarorum crudelitate tandem consumtus. Quâ ratione factum sit, ut ex omnibus Lyricis Græcis, (Pindarum si excipias) minuta quædam τεμάχια tantum supersint, apertè ex aliorum relatu docuit Petrus Alcyonius in libro de exilio: Audiebam, *inquit* ex Demetrio Chalcondyla Græcarum rerum peritissimo, Sacerdotes Græcos tanta floruisse auctoritate apud Cæsares Byzantinos, ut integra illorum gratia, complura de veteribus Græcis poemata combusserint, inprimisque ea, ubi amores, turpes lusus, & nequitiæ amantium continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, & sapphus, Erinnæ Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidisse; tum pro his

his substituta Nazianzeni nostri poemata, quæ etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorem religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & Græcæ lingvæ elegantiam edocent. Turpiter quidem Sacerdotes isti in veteres Græcos malevoli fuerunt, sed integritatis, probitatis & Religionis maximum dedêre testimonium. Hæc dignissima notatu in Cimeliis suis literariis habet P. Colomesius. Oportunè admodum obtutui nostro sese nunc sistit GEORGIUS OBRECHTUS, ille magni nominis JCtus, qui cum Bibliothecam diversis Galliæ in Academiis comparatam diro casu amisisset, nec minus aliam (quam in patria pridem collegerat) miserè expilatam reperisset, animo ita concidit, ut de vitæ etiam genere literario deserendo, cumque militari commutando rationes secum inire non dubitaverit. Licet in literatos non paucos, illud Casparis Barlæi adscriptum Iconi VOSSII distichon usurpari possit:

Confer Melch. Adami vitas I.Ctorum German. p. 455.

Et puer, & juvenis chartis impalluit, & Vir,
Et nunc non alium se cupit esse Senem;

Nec pauci tanti librorum helluones extiterint, ut varias cujuscunque operis editiones calluerint, miramque eximiæ eruditioni suæ etiam conjunxerint sagacitatem; in vanum tamen illi utplurimum laboravêre, vel atrocissima ipsorum fidei ac professionis suæ sociorum odia sibi conflavêre, vel fato præcoci fuere extincti. Nunquam (scribit Pierius) Antonii Marostici sine dolore meminerimus, qui post emensos arduos labores literarios repentina epidemiæ contagione correptus, afflictiore quam cæteri conditione post obitum fuit, quod pleraque ejus scripta, qui vitam illi dubio procul reparatura erant, una cum reliquo apparatu (ut moris sit ad expurgandam morbi contagionem) sint concremata. Haud multò mitius, feram illam immanem, luem scil. pestiferam nostrâ ætate cum doctissimis quibusdam Viris egisse, præsertim in WILHELMUM SCHIKARDUM Philologum & Mathematicum Tübingensem celebratissimum desæviisse, imò vim truculentiamque in ipsas etiam chartas & scrinia, atque hinc inde variè sparsa & disjecta opuscula furiosè convertisse accepimus, ita ut in comuni illo metu & terrore, nobilissima quædam ejus monumenta, inter hominum imperitorum manus vel prorsus perierint, vel ab aliis forsan clam inde fuerint surrepta. Eandem fati inclementiam (ex Pierii testimonio) evitare minimè potuit Hieronymus Carbo,

Idem p. 32.

Confer Templ. Honor. p. 340.

Pier. l. c. p. 34.

bo, qui totum vitæ tempus bonis artibus impenderat, inter eruditissimos à Pontano celebratus, ab Actio summè commendatus, doctissimis ingenii sui monumentis eruditorum de se omnium expectationem exæquarat, siquidem & ipse in Neapolitano agro pestilentia oppressus, una cum exquisitis ingenii sui monumentis infeliciter occubuit. TADIO UGOLETTO Parmensi doctissimo, fortuna aliquandiu ita arrisit, ut juventutem apud potentissimos Reges magno in honore peregerit, eorumque favorem in se propensissimum senserit, ast cum Matthiâ Pannoniæ Rege defuncto, in patriam re admodum tenui reversus, ad didascalicas nugas sese conferre coactus esset, in extremâ tandem inopia defecit; *ut nihil quicquam ex magnis & multis operibus, quæ summo cum labore & diligentia lecta inchoaverat spatiis exclusus iniquis, relinquere potuerit absolutum.* Neque verò luem solùm pestiferam, extremamq; egestatē impunè adeò in literatorum monumenta esse grassatam, verum Bellonam etiam cassos quandoque reddidisse summe doctorum Virorum labores, JACOBI CONSTANTII casu sumus edocti, is enim cum flagrante bello Mediceo in arcē Mondulphorum munitissimam libros scriptaq; sua asservanda transmisisset, eorum omnium luctuosam passus est jacturam, cum oppidum Lau-

Idem lib. II. p. 127.

rentii Ducis Medicei virtute caperetur, viqué ingresso milite nullo discrimine diriperetur. Quo ille accepto nuntio, cum de SCRIPTIS tantum suis sollicitus esset, neque ulla eorum recuperandorum spes affulgeret, gravem adeò dolorem exin contraxit, ut gravissimè ægrotare cœperit, tandem & ipse miserè occubuerit. Recentius ruinæ hujusmodi librariæ exemplum prodidit Theophilus Raynaudus his verbis: Nuper sapientissimus Pater ARNOLD. BOHYRÆus, cum in universum Aristotelem luculentos commentarios editurus proximè esset, fœturam complurium annorum, tot laboribus malitiosè injecta flammâ spoliatus momento est. Sic Janus Nicius Erythræus testatur, Andream quendam Bajanum, non pauca tum soluta oratione scripsisse, tum versibus, morientem verò aliquot aureorum centena cuidam tribuisse, ut scripta sua in unum vel plura volumina collecta, luci publicæ exponeret, at verò ea æternis involuta tenebris fuisse. Non possum quin fata augustissimi illius INSCRIPTIONUM ROMANARUM operis recenseam, quod semel flammis, deinde militum rapinâ perditum, tandem immensis JANI GRUTERI curis laboribusque est evulgatum. Etenim cum primò omnium Martinus quidam Smetius Brugensis, sexennio integro totam Italiam pervagando Inscriptiones tales collegisset, & doctorũ aliquot auctorũ auctariis locupletatas, in ordinẽ summa

Th. Rayn. de Bonis & malis libris p. 322.

Erythr. Pinacoth. part. 1. n. 144.

Confer vit. Jani Gruteri à F. H. Flaydero conscript. & Tub. 1628. edit.

ma diligentia redegisset, inopinatum incendium opus illud illustre consumsit, atque universum ferè Smetii laborem cassum reddidit, remanentibus solummodo uno & quinquaginta foliis, in scrinio quopiam seorsim custoditis. Mox cum de integro illud periculosæ adeò aleæ plenum opus Smetius esset aggressus, restitutumque secum avehere constituisset, inter vias ab Anglis militibus, qui Ostendæ præsidium agebant, nefariè est abreptum, ipso Smetio ad Bruxellas, quod reformatæ religionis ageret concionatorem, à furibundis militibus crudelissimè suspenso: Periisset cum ipso opus insigne, nî Janus Dousa Legatus ab Ordinibus Belgii in Angliam missus, forte fortuna in Anglum militem, operis venditorem incidisset, emptumque illud, & in patriam transportatum Grutero concessisset divulgandum. Haud satis feliciter etiam PETRO GILLIO, à Gallorum Rege (cum Bibliothecam instruere cogitaret) in Græciam & Asiam ablegato, ut Græcorum authorum, qui nondum typis excusi essent codices manuscriptos undique conquireret, inque Galliam asportaret, cessit peregrinatio; tunc enim à barbaris cum librariâ supellectile interceptus, & in Africano litore durissimam carceris molestiam perpessus, vix tandem Cardinalis cujusdam curâ & liberalitate evasit, quemadmodum perhibuit in Gallorum doctrinâ illustrium elogiis Sammarthanus.

nus, quo etiam teste cujusdam Guilielmi Pelicerii (qui complures utriusque lingvæ authores fideliter emendaverat, cumprimis in castigando & explicando Plinio Naturam omnem evolverat, aditumque ad perfectam ejus cognitionem studiosis muniverat) opera ferè omnia cum edere neglexisset, simul cum auctore suo periere. Quis non immensum æstimet EDMUNDI CASTELLI laborem, quem in Lexici sui Heptaglotti elaboratione editioneque insumsit, nec solùm vocum significationes ex tribus Chaldæis Targumin, utroque Babylonico, & Hierosolymitano Talmude, vetustissimorum item Rabbinorum commentatoribus Theologis & Philosophis, Alcorano, Avicenna, aliisque scriptoribus orientalibus amplè & dilucidè eruit & explicavit, sed variorum insuper Interpretum difficiles ac discrepantes sententias examinavit, *Atq; per multa annorum lustra in Molendino isto* (ut ipse præfatus est) *indesinenter occupatus, diem illum tanquam festum & otiosum reputavit, quo per sexdecim aut octodecim horas Lexico huic provehendo non insudasset*: Ast parum abfuit, quin cassum & ipse exantlasset laborem, cunctaque operis exemplaria, cum omni Authoris suppellectile librariâ in flammis Londinensibus periissent. Magnam certè Bibliothecæ suæ partem, cum multis Lexici Heptaglot-

Sammarthan. e-log L. 1. p. 14.

Prodiit E. Castelli Lexicon Lond. 1669.

ptaglotti exemplaribus in fumum abiisse, Castellus ipse gemebundus indicavit, ad hæc mala enumerans privata, quæ sibi in operis illius curriculo contigissent, membrorum scil. confractiones, luxationes, contusiones, quodque præ cæteris omnibus ægerrime tulit, oculorum lumen perpetuis atque indefessis vigiliis tantum non planè ademptum, quibus accesserint aliæ nec paucæ nec parvæ infelicitates, quas silentio duxerit prætereundas. Priusquam tristissimus, ac Rei literariæ summè deplorandus JOHANN. HENR. HOTTINGERI casus contigisset, illeque inexhaustus omnigenæ eruditionis abyssus ab im̃ani fluvio prope Tigurum esset abreptus, datusque internecioni, somniavit, se cum charissimo quodam Collegarum suorum in vicinam deambulasse civitatem, cumque Templo appropinquarent, Collegam altâ sibi dixisse voce: *Nunc impletum est caput decimum quartum Jobi. Homo natus de muliere brevi vivens tempore, multis repletur miseriis, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra &c.* Hisque verbis auditis subitò se esse expergefactum. Quo ipso quid verius, vitæque cumprimis hominum literatorum & fugacissimæ & laboriosissimæ convenientius dici possit non video. *Nati de mulieribus* (literati) *brevi vivunt tempore, multisq́, imò innumeris ferè replentur miseriis;*

Edmundus Castellus in Dedic. Lexici Heptaglotti ad Carol. II. Regem Angliæ.

Confer vit. Hotting à D. Heideggero conscript.

& immensis laboribus studiisque exhausti, viam carnis ingrediuntur, morte præmatura abrepti. Nonne summorum in Orbe erudito Virorum testimonio pariter ac exemplo memorabili constat, quam spinosa, quam plena curarum, periculorum, dolorum sit vita literatorum, qui quotidiè cum maximis rerum difficultatibus inquieto animo, & inter turbas turbulento colluctantur. Ast longè deterior sors est eorum, qui perniciosæ Curiositatis œstro quasi perciti, nullo ordine, sed mente modoque incondito circumagitantur, nec non fucatæ, ac inutilium verborum & rerum micis fatuæ eruditionis amore capti, otiosas magis & spinosas quã fructuosas, plusque futilitatis quam utilitatis habentes sectantur quæstiones, easque tanquam singulares delicias, ac lautissimas epulas efflagitant, ac licet subindè doctrina melior admoneat officii, ne tamen aures commodent, strepitus ac popularium favorum fragor maximè impediunt, multi literati Curiosi quid agant, nesciant, seque id nescire non nesciant, & quod dolendum maximè, nihil cœlestè sapiant ac divinum, parumque maximum illud salutis æternæ negotium curare videantur. Haud quidem temerè damnabimus, si quis multivariæ doctrinæ thesauris pectus instruere, imò profanæ etiam sapientiæ obscura & aspera grato verborum nitore illustrare expolireque conetur, verum noxius hujusce studii excessus

justè.

justè adeò reprehenditur, ut quemadmodum Hercules, cum videret in Templo statuam Adonidis indignabundus dixit: NIL SACRI ES; ita multi Herculei literarum pugiles, id est plus justo laboriosi curiosique indagatores, animorum à rerum divinarum uniceque necessariarum contemplatione nimis alienorum notas incurrant.

IX. Sapiant hinc rectius atque intelligant veræ FELICITATIS LITERARIÆ Candidati, casibusque ac periculis INFELICIUM EX CURIOSITATE NOXIA LITERATORUM probè perspectis, operam in istâ quoque peste exterminanda adhibeant diligentiorem. Non facilè equidem à beatitudinis supremæ scopo Viri eruditi aberrabunt, neque obvenientibus molestiis laboribusque succumbent, neque votis suis ac desideriis frustrabuntur, si [gratiæ divinæ radiis collustrati] probè ad animum sibi revocent VITÆ Literato - CURIOSÆ tumultuosum genium, curarum multiplicium procellas, infinitarumque calamitatum seriem concatenatam; Ac si antehâc cum cæteris seculi mancipiis otiosè negotiosi, PHILOLOGI potius & PHILOPONI fuerint, quam PHILOTHEI, & palabundi eorum animi latè hinc inde sint evagati, tunc ad se ipsos redeant citius, secum habitent optatius, inque sacro veluti secessu res & curas hominum è longinquo tutius intuean-

tur, imò molestissimos suos labyrinthos, saxa Sisyphea, & plusquam Tantaleas illusiones per Salvatoris saluberrimam de UNO NECESSARIO regulam felicissimè emendent, denique à rebus non-necessariis exeundo, serium ad DEUM meditentur accessum, & ab eo deinceps unicè dependentes, diu multumque desideratæ quietis captent adeptionem. Mellifluus Bernard⁹ alicubi notabile discrimen inter sana & vana studia traditurus; *Studia Pietatis* (præclarè scribit) *etsi literis aliquando adjuventur, & utantur, non tamen literatoria sunt, non cavillantia, non disputantia, non garrula, sed spiritualia, pacifica, & humilia, humilibus consentientia. Quæ etsi foris exercentur, intus potius aguntur in spiritu mentis, ubi renovatur homo de die in diem, induens novum hominem, qui secundum DEUM creatus est, in sanctitate & justitia veritatis -- Hæc & hujusmodi sunt STUDIA SANCTA, exercitia apostolica, in quibus discutit se animus, & invenit, & emendat, mundans se ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficiens sanctificationem in timore DEI. Studia hæc silentium amant, quietem desiderant cordis in labore corpo-*

Bern. in tract. de vit. solitar. ad fratres de monte Dei cap. XV.

corporis, paupertatem spiritus, & pacem in exterioribus pressuris, & bonam conscientiam in omni puritate cordis & corporis. Hæc faciunt animum: quia unde faciant habent. Vana verò illa, nugigerula, verbosa, CURIOSA, ambitiosa, etiam sanctum animum vel jam perfectum dissipant & corrumpunt. Hæc studia scrutantur virtutem, nō ut contenticsa luceant sed ut sint; non ut sciantur sed ut habeantur. Ita præclarè Bernardus, cum egregiò animi nisu Homines profanis vanisque literis tinctos, ad illius Scientiæ amorem incitare statuisset, quæ non (uti inflantes cæteræ) populare est artificium, aut fluxæ consecratum vanitati, non in verbis solum, sed rebus etiam consistit, mentem fabricat, formatque animum, regit actiones, & cavenda pariter ac facienda demonstrat. Nōn hic necesse est, ut tot anxiis disciplinis instructi accedant, tantum adferant pium ac promptum animum, simplici puroque TIMORE DEI præditum. *Quandoquidem* (scitè ait Basilius) *TIMOR DOMINI initium est Sapientiæ, qui terrenis rebus* (profanæ multijugæque eruditioni) *sunt dediti, PER TIMOREM erudiantur; necessariò enim velut INTRODUCTORIUS ad pietatem* (h. e. Unius Necessarii adeptionem,) *TIMOR assumitur;*

Basil. M. Comment. in Psal. 32. Tom. I. opp. fol. 95.

Hic

Hic [ut alibi idem Basilius ait] Pædagogus est ad exercendam pietatem. Qvicunq; nimirum ad veræ solidæque doctrinæ culmen adspirent, cœlestisque Sapientiæ sectatores fieri cupiant, iis cumprimis necessariam esse mentem sacro quodam horrore præditam, & animum reverentem erga sanctam DEI faciem, arcanissima cordium penetrantem, singulasque actiones consilia & cogitata accuratè observantem.

Basil. M. Comment in cap. I. Jes.

Hanc ipsam TIMORIS Isagogici gratiam anxiè exoptarunt, quotquot post attritam inani cassoque studio ætatem, ad perennis illius Philosophiæ culmen adspirarunt. Timuere primùm, quia multa timenda & commisêre, & apertis tandem aliquando mentis illuminatæ oculis observavêre, nimirũ quod tanti literatis Viris objiciantur laquei, tam innumeri hostes gressus ipsorum præpediant, tantæ foveæ, tanta prærupta, tantæque rerum difficultates ipsis sint impedimento, quo minus ad optatum veræ felicitatis terminum pervenire possint. Ad hæc cogitantes, quanto impetu ab adversariis frequenter ad casum sint concussi, & ex casu in præcipitium, deniqùe communem (literatis etiam) peccantibus, scenam, Infernum scil. pœnamque in eo æternum sævientem secum reputantes, non timuêre modo, sed protinus obstupuêre, & salutari horrore perculsi, ruptis cœlesti auxilio & peccatorũ & laborum arduorum vinculis, maximum illud uniceque necessarium

Conf. Secessum pium boni liter. p. 19. seqq.

sarium aggressi sunt negotium, supremumque tandem in Facultate Christiana gradum sunt consecuti. Quos inter sub ipsa Ecclesiæ Christianæ primordia THEOPHILUS ANTIOCHENUS emicuit, qui cum à teneris in omnem profanæ eruditionis disciplinam incubuisset, inque cœcâ gentilitate, & à Magistris fidei ignaris vix tantum bonæ eruditionis, quantum blandi veneni hausisset, denique à philosophis in suarum cogitationum sublimitate evanescentibus, in devios variorum errorum flexus ac labyrinthos esset deductus, tandem vincente fidei veritate, & discussis ignorantiæ tenebris, saluberrimum illum sinceræ pietatis nactus est Daduchum, quem postea suo [studiis non-necessariis veluti labyrinthis periculosis miserè involuto] Autolyco egregiè hisce commendavit verbis: πρὸ πάντων δὲ προηγείσθω σου ἐν τῇ καρδίᾳ πίστις καὶ ΦΟΒΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ. *Ante omnia ingrediatur in corde tuo* FIDES & TIMOR DEI. Hoc inquam Magistro illo DEUM verè amans, DEOque amabilis Theophilus tantos in disciplinæ omnium saluberrimæ studio fecit progressus, ut omnia statim despexerit terrena, & ad divina tantum ac cœlestia adspirans, pluris ignominiam crucis duxerit, quam omnes Mundi laudes, & honores & glorias, Christiani nomen majori in pretio habuerit, quam Philosophi etiam subtilissimi elogi-

Theoph. Antioch. Lib. I. ad Autol.

elogium, propriique nominis mensuram magis magisque adimplens, DEO SOLI se Amabilem præstare (ejus adspirante gratia) constituit.

X. Nec minus illustre supremæ hujus felicitatis literariæ documentum quondam dedit JUSTINUS PHILOSOPHUS & Martyr, eodem Magistro, eodemq; planè spiritu ad veræ UNICEque NECESSARIÆ pietatis dogmata introductus. Totam ferè juventutem suam cum ille assidua Poëtarum veterum lectione, facultatis oratoriæ exercitatione, profanæque philosophiæ studio attrivisset, nec minus pro ingenti insatiabiliq; quo pollebat cognoscendi desiderio, omniū sectarum placita mira celeritate indagasset, omnesq; adeò hominis CURIOSE-LITERATI partes adimplevisset, tantos Timore Magistro in veræ cœlestisque philosophiæ studio progressus fecit, *ut* (quæ ipsius Justini ad Tryphonem verba sunt,) *confestim ignis quidam in animo ejus succensus fuerit, & Amor Prophetarum, eorumq; Virorum, qui Christi sunt amici ipsum incesserit*, imò hanc solam esse tutam atque utilem philosophiam deprehenderit, quæ sibi ab illo esset proposita. *Sic igitur* (notanter addit,) *ego & per talia EVASI PHILOSOPHUS*: hujusque promotionis suæ memoriâ lætus & incalescens, pium ac fervidum pro consimili alio-

Conf. Justini Phil. & Martyris Dial. cū Tryph. Jud.

aliorum eruditorum conversione votum concepit: *Quam vellem ait. ut omnes similiter atq; ego animis affecti, Salvatoris nostri sermonibus* (scil. de uno illo necessario) *perpetuo adhærescerent! TIMOREM enim in se qvendam continent salutarem, plurimumque ad eos, qui à recto itinere deflexerint* (h.e. curiosè-literatos) *in viam revocandos valent, præterquam quod iis quoq;, qui sedulo sermones istos meditantur, animi quietem & tranquillitatem conferant multo svavissimam.* Quemadmodum alibi [de divino Christi sermone atq; doctrinâ disserens;] *Accedite*, inquit, *erudimini*, *ESTOTE ut EGO; quoniam & ego fui ut vos.* Accessit postea, præclaroque huic Justini monito morem impigrè gessit Magnus ille BASILIUS, postquam in vanæ profanæque eruditionis Gymnasio, contentiosis potius, quam utilibus quæstionibus diu multumque fuisset exercitatus, ast salutaris scientiæ amore tandem captus, sui ipsius tactus commiseratione, imò velut è gravi somno expergefactus, ad veritatis Evangelicæ [ut ipse loquitur] admirabile lumen respexisset, & infatuatæ à DEO sapientiæ tenebras probè agnovisset, quinimò deploratâ plurimum miserabili vitâ, Ductorem sibi dari optasset ad eam scientiam, quæ nil nisi ve-

Justin. Mart. in Elencho extremo &c.

ram

ram ſolidamque ſpiret pietatem, quæ ſinceræ charitati ſociata & humilitati, alumnos ſuos non inflet, aut reddat turgidos, ſed auræ benignioris perflet ſvavitate, perficiat, non interficiat, adoleat non aboleat, animum formet, & fabricet, vitam diſponat, actiones regat, agenda denique & omittenda optimè demonſtret. Neque verò ſolus Baſilius ad laudati Juſtini exemplum monitumque eo modo acceſſit, & poſt exantlatos immenſos labores literarios ſvavi Salvatoris jugo collum ſubmiſit, verum intimum ſuum amicum GREGORIUM illum Nazianzenum habuit comitem, ſiquidem & ipſe profanæ doctrinæ (cui multam in Academia Veteri operam impendit) feliciter valedixit, & deſertâ Sophiſticâ Athenienſium cathedra (teſte Gregorio Presbytero) tricesimo jam anno in artium ſtudiis exacto, patriæ ſeſe reſtituiſſet, & à Mundo ſejunctus, ei qui ſolus puriſſimus eſt, vivere cœpiſſet unicè. Tum ſcil. Gregorius, TIMORIS RUDIMENTIS (ut ipſe loquitur) IMBUTUS ET PURGATUS, Urbes fora, theatra, Sophiſtarum faſtum, litigantium rixas & contentiones, Rhetorum mendacia, furum inſidias, divitum arrogantiam, gloriam fluxam & fragilem, aliaque omnia curioſorum ingeniorum pabula reliquerat, & cum Baſilio ſuo ad illuſtrem JESU CHRISTI Academiam acceſſerat, tutamque ibi invenerat manſionem, donec

Gregor. Presb. in vitâ Gregorii Nazianz.

Gregor. Naz. orat. 39.

donec in cœlestem, J. C. Rectoris supremi gratia esset translatus. Idem planè summo illi atq; incomparabili priscæ Ecclesiæ Doctori Aurelio Augustino usu venisse, eundemque pariter post impensam profanis auctoribus atque philosophis multam operam atq; industriam, post perquisitam magno labore sudoreque, ast nullibi inventam veritatem, cœlestis gratiæ splendore collustratum, & à sæpè laudato Magistro, Timore scil. salutifero piè eruditum fuisse, insignis vitæ & conversionis ejus historia (alibi à nobis memorata) clarissimè ostendit. *Ferreæ quidem* (ut notanter ait) *diffi-cultatum portæ obstabant*, quo minus ad scopum huncce optatissimum citius pervenerit, in omnes partes nutabat Augustinus, ceu navis undique ingentibus fluctibus in medio cingitur ponto, ita mens ejus in diversa abiens errabat, nihilque satis consulebat, ut gravi interioris domus rixâ pressus aliquando exclamarit: *Quid patimur? quid est hoc? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, ET NOS cum Doctrinis nostris sine corde, ecce, ubi volutamur in carne & sanguine? Suspirabam* (ait alibi) *ligatus non ferro alieno sed meâ ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde catenam fecerat & constrinxerat me, & cogitationes meæ similes erant conatibus* exper-

Confer pium Secess. pag. 48 seqq.

August. lib. VIII. Confess. cap. 5.

expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. Quocunque nimirum mentem oculoſque intendit nimiæ tunc curioſitatis labe pollutus Auguſtinus, meros nodos, laqueos, labyrinthos inextricabiles ſaxaque Siſyphea videbat, donec is, qui portas conterit æreas, qui vectes ferreos confringit, perplexum etiam Auguſtini animum ſerenavit, hoſtes immanes profligavit, omnia removit obſtacula, ac ne foris cum corvina voce CRAS CRAS remaneret, cœleſti quadam, TOLLE LEGE, TOLLE LEGE COMPELLAVIT, qua perceptâ tanto diligentius deinceps illum veræ felicitatis portum (divino fretus auxilio) quæſivit, & poſt ſedatas inteſtinas iſtas diuturnasque procellas, tutiſſimam inter Salvatoris brachia manſionem invenit.

XI. Tot itaque, tantorumque eleganter non minus, quam piè Doctorum exemplis incitatus, gratiæque cumprimis & verbi cœleſtis luce colluſtratus CURIOSI LITERATI animus æque ſapiat & intelligat, velut ex gravi ſomno expergefactus reſpiciat, agnitâque profanæ vanæque ſapientiæ inutilitate, SACRI TIMORIS magiſterio ad ſinceræ pietatis dogmata introductionem enixè deſideret, aſſiduèque meditetur. Sollicitè cumprimis caveat, ne ad rem tam ſanctam (in qua ipſa DEI ſimilitudo conſiſtit) protervè ac leviter, temeritatis impetu aut NOVÆ cujusdam CURI-

OSI-

OSITATIS pruritu proruat, sed humili potius reverentia [tanquam ad rem quæ DEI solùm gloriam propriamque ac proximorum salutem concernit,] accedat, coram DEO arcanos cordis sui recessus sincerè adaperiat, statumque animi sui miserabilem candidè detegendo, cùm Ephræmo Syro in istiusmodi erumpat verba: *Te ó Christe clementissime supplex exoro, ut gratia tua super me jugiter veniat; quæ mentem meam VARIE DISTRACTAM colligat, occultaq; rursus mea sanet vulnera. Ecce enim DISTRACTIONES atq; ELATIONES mentis, semper occulta mea vulnera instaurant redintegrantq;, verum Tu Domine sana frequentes meas infirmitates.* Quam inutiliter ineptivi hactenus, venatus fumos, sectatus umbras! *Ipsa me STUDIA quæ dilexeram damnant, quæ laudaveram vituperant, hi sunt, quibus acquievi amici, quibus parui magistri, quibus servivi Domini.* Non aliis itaque ad comparandum supremum illud UNICEq; NECESSARIUM bonum opus est studiis & conatibus, quam TIMORIS Salutiferi atque ORATIONIS fervidæ. Duabus hisce alis instructus, hocque gemino quasi filo donatus literatus, facilè molestissimos suos evadet labyrinthos, & ad vividæ lucis salutisque perpetuæ

Ephræm Syrus Serm. III. de compunct.

fontes feliciter accedet, imò super se ipsum tandem levabitur, nullis posthac vitæ hujus perdendus miseriis, nullisque obruendus curarum turbinibus, eo planè modo, quo montis Olympi vertex adeò se altè extollit, ut nullo ventorum ac tempestatum impetu quatiatur. *Habeat sibi* (dicet cum piè literato Hieronymo) *Roma suos tumultus arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient, nobis adhærere DEO bonum est, & ponere in Domino spem nostram.* Neque de vanæ profanæque (imò ad perniciem usque CURIOSÆ) scientiæ copiis instruendis amplius erit sollicitus, *non vacans ad istas ineptias, cum ingens negotium præ manibus habeat*, nimirum sacram ad DEUM à profanæ vagæque doctrinæ vanitate conversionem meditetur: *Uniens se intra se, & cum DEO, in DEO, nec diffundendo se amplius extra se, per res inanes, contentus ex doctrina Christi uno DEO, & uno inter se & DEUM mediatore Christo; unoq; interno doctore, consolatore, confortatore Spiritu S. & uno lumine fidei, unaque spei anchora, oratione ac suspiriis ad Deum perpetuis; & uno opere bono sibi demandato charitate scil. erga proximum; patientia deniq; in adversis, aut ut ne pati quidem*

Confer Comen. in Uno necess. §. 29.

dem necesse sit, plenaria voluntatis suæ in voluntatem Dei resignatione. Quo supremæ felicitatis gradu conscenso, piè literatus nihil magis exoptabit, quam ut inter dulcia cœlestis providentiæ brachia tranquilla sibi felicitas,& felix tranquillitas obtingat; nec mille mundanorum maledicorumq; ethnosophorum curabit odia, convitia, calumnias, & tela obloquiorum innumera, haud etiam timebit sinistra quævis severaque judicia. Vituperet eum, carpat, infestet Mundus pro suo lubitu, noctuæ instar occlamet ad avium de die volitantium quietem interturbandam; ille in sacro proposito constans perseverabit, in concepta sententia invariabilis: Tanquam stolidum, morosum cœcumque eum profanè-docti despiciant, ipse sine ullo angore damnoq; acuta hæc odii jacula excipiet, & Christi verbis non minus quam exemplo edoctus, se totum divinæ permittet providentiæ, cum certo destinatoque consilio DEUM sequendi per omnia, quicquid etiam evenerit. Neq; verò congenitum nobis SCIENDI DESIDERIUM extingvit sincera hæc pietatis professio, sed frœnũ potius ad nimiam scientiæ appetentiam temperandam suppeditat, cavetque ne naturale illud pondus animam ultra rectum deprimat, & ad earum cognitionem pertentandam abripiat, quæ minus utilia videantur. Et cum tantoperè illa sciendi prurigo præstantissima quædam

ingenia infestet, ut non inutilia modo, atque superflua, sed etiam non vestigabilia imò prorsus noxia indagare conentur, ipsasque divinorum operum & consiliorum rationes tentare, & altiora se quærere audeant; hinc Sacro-sancta illa pietatis prudentiæque Magistra cunctis eruditis salubria adeò consilia suggerit, LEGESQUE præscribit, ut iis nimium sciendi desiderium reprimatur, & ineptus torpor negligentiaque penitus excutiatur, quibus extremis literatorum plurimi ita abripiuntur, ut extremæ tandem infelicitatis perpetuæque miseriæ subeant periculum.

XII. PRIMA autem palmariaq; PRUDENTIÆ CHRISTIANO-LITERARIÆ LEX flagitat *UT A STUDIIS ABSTINEAT FUTILIBUS*, nec levibus minusq; utilibus homo pie-literatus diutius immoretur; iis nimirum rebus oleum cum operâ haud perdat, *quas* (ut inquit Arnobius) *nec scire compendium est, neque ignorare detrimentum ullum.* Ridendi equidem potius, quam laudandi æstimandiq; illi sunt eruditi, qui tricis quibusdam, & rebus nihili [Horatius haud malè NUGAS CANORAS nuncupavit] exercere ingenium, & seriis ludicra studia anteponere non dubitant. Sicuti satis præposterè illi facere videntur, prorsusque naturæ repugnare, qui adulteratam aliquam gemmam vel rudem & impolitam crystallum annulo includunt aureo; vel quotquot lutulentas & compitalitias

Arnob. lib. 2.

aquas

aquas in aureis, in Arabicis, in murrhinis cantharis asservant; ita vituperio potius quam singulari encomio illi digni sunt eruditi, qui in ornandis levibus quibusdam choragiis, rebusque futilibus illustrandis toti sunt occupati. Nunquam tinctura vel subjecta bractea crystallum mutabit in adamantem, nec vasis elegantia lutum convertet in balsamum, multo minus fucatum verborum lenocinium tricas & res nihili nobiliores præstantioresque efficiet. Non laudatur Pittacus quod Moram; Canterus quod Simium laudarit; sic & Lucianus, qui Muscam, Polycrates qui murem, Clearchus qui teredinem celebrarunt, harumque rerum naturas inditasque propensiones studiosè sunt rimati, exiguam apud cordatos viros inierunt gratiam. Imò probro ii omnes etiam è literatis recentioribus habentur, qui res ejusmodi futiles, noxias & pudendas, veluti calvitiem, febrem quartanam, cœcitatem, pediculum, umbram asini, * Neronem, quin & ipsum diabolum adhibito omni verborùm lenocinio commendare, inanibusque ornare elogiis studuerunt, laudabilius longè illi egissent, si argumentis nobilioribus præclari ingenii sui vires probassent doctioribus. Palmare veterum

* *De laudibus Neronis egit H. Cardanus teste Naudeo; Diabolum vero Bruno quidam Italus referente Barth. Kekermanno peculiari oratione commendavit.*

est pronunciatum, cuilibet Oratori eligendum esse argumentum, quod naturâ ferax sit & succi plenum, & quamvis (Tullio dicente) nihil sit tam horridum atque incultum, quod oratione elegantiori non splendescat, certum tamen, ipsaque experientia est comprobatum, sterilem ejusmodi sermonem vix animos peragrare auditorum, sed evolare potius tam celeriter, ut nulla prorsus post se vestigia relinquat. Licet parva illa & humilia (imò futilia) argumenta grandioris styli sublimitate & viribus in altissimo collocentur fastigio, nihilominus tamen parva & abjecta in animis auditorum sunt permansura, postquam Orator de iis dicere desierit, *sicuti eos* (quæ Senecæ verba sunt) *nequaquã dixeris magnos & divites, quibus sceptrum & chlamydem in scena fabulæ assignant, & qui præsente populo elati & coturnati incedunt; nam simul ac exierunt ad staturam redeunt.* Apage igitur puerilia crepundia ab ore & calamo pii & felicis literati, caveat is summoperè, ne fatuos adeò umbratilis gloriolæ igniculos consectetur, translucent hæ laudes, tamque tenues sunt, ut per involucra illa & fucum verborum perperam laudatarum rerum nævi & notæ facilè compareant. Poetarum potius, quàm vera & germanâ eruditione ornatorum hominum sunt præposteræ hujusmodi laudationes, culicum & psittacorum encomia,

; rana-

ranarumque & murium certamina, festivi magis & jocosi quam solidè pieq; docti istiusmodi thematibus occupantur. Tale potius excolatur argumentum, quod animum & commentatoris alliciat & lectoris, quod scribentem juvet, quodque si non majorem semper ac celebriorem, saltem meliorem reddat atque fructuosiorem.

XIII. Huic verò felicitati consequendæ plurimum etiam conducet sollicita SCOPI seu finis certi electio, Scopum inquam sibi quisque maturâ præfigat deliberatione, nimirum ut metam, ad quam citatis equis decurrat, ut Spartam, quam colat & incolat, ut portum in quo tandem aliquando acquiescat, cujusque ceu poli magnetici beneficio navigationem suam literariam feliciter conficere valeat. *Alioqui nullo scopo jaculari* (ait quidam) *& piscari quod ajunt in aere, dementium est, impensam & operam ludentium*, eamque ob rem initiandis inclamant Sacerdotes literarum:

Estne aliquid quo tendis? & in quid dirigis arcum?

Neque magnum solùm virtutis incentivum, magnumq; calcar virium Scopo inesse sapientiores putarunt, verum talem etiam tantamque vim atq; efficaciam, quâ oculus pariter ac Animus, Mens & manus Hominis eruditi regatur.

Absit verò, ut Scopum illum seu finem literatorum hominum palmarium opes putemus, lucra, honores, dignitates, famæque aut existimationis propriæ incrementa; illa potius SCIENTIA seu Disciplina hoc venit nomine, quam sibi quisq; Sponsam veluti procus nexu sociare individuo constituit, cujus ope ac subsidio (ut scitè Hieronymus ait) *prædulcia laboris sui poma degustare*, dulcésq; (juxta Socratis effatum) *radicis amaræ fructus carpere possit.* Non parum autem profuerit in Scopo eligendo sapientes audire Amicos, & ingenii sui vires explorare prius, quam certi quidpiam statuatur. Sed cum cœcus plerumq; sui amori sit, ac quilibet sibi in re suâ suffenus & adulator esse soleat, periti etiã usuq; diuturno contriti consulendi sunt magistri, qui justos in tanti momenti negotio ferant calculos, cuique potissimum studio opera navanda sit disertè enuncient. Omnia equidem suis momentis rite prius expendi par est, ne oleum cum operâ perdatur, & in cassum vel vanum (quod innumeris accidit) laboretur. Ipsa equidem rerum magistra experientia huc usq; docuit, omnes ferè ac singulos qui saluberrimam ejusmodi probationem defugerint, semper hæsisse in salebris, cumq; gravissimis luctatos fuisse difficultatib⁹, ex quibus sese vel nunquam, vel non sine ingenti labore expedire potuerint, aut feliciori successu in adita penetrare Musarum. Quodsi verò Spes aliqua eventûs opta-

optatioris affulgeat, omnibus pro virili incumbendum, ut nautarum exemplo ventis secundis navigationem suam literariam perficiant, sicq; ad optatæ felicitatis terminum citius rectiusque devehantur. Hunc verò ii præ cæteris omnibus literati cum im̃ortali laude attingent, qui DEUM pro unico actionum & meditationum suarum habent Scopo, in quem studiis suis atque cogitationibus omnibus colliment, honoremq; ejus & gloriam velut ultimum actionum suarum laborumq; finem respiciant. Sint licet haud quaquam infructuosi illorum conatus, qui in certam (juxta ingenii sui modum) intenti sunt scientiam vel disciplinam, quam suo tempore velint profiteri; alii Sacris oraculis suas dedicent lucubrationes, alii Prudentiam Juris ament, quibusdam Medicina placeat, aut Philosophia, aut Mathesis, aliis in pretio sint literæ humaniores, iisque veluti organis & instrumentis, ad majora sublimioraq; perficienda utantur, ad supremæ tamen doctrinæ gloriæque culmen illi solùm felicissimè pervenient, qui in DEUM ipsum intenti sunt unicè, nec alio fine literarum studiis incumbunt, quam ut eò rectius atque expeditius illi inservire, ejusque negotium perficere possint. Apprimè verò optandum esset, ut Parentes filios suos in prima juventute * divino etiam servitio semper consecrarent, ad pientissimæ scil. Monicæ exemplum, quæ cum filium suum Augusti-

* Video plerosque Parentes (ita quondam Insignis Theol. D. P. I. Spenerus ad me scribebat) qui Sacris studiis liberos suos dicant, neutiquam hoc facere pio zelo, ut nimirum divinum Regnum strenuè promoveant, & animosè hoc agentes Mundi in se & suos odia, quod propemodum necessarium consequens est, concitent: sed ut in certo & quidem honoratiori, etiam in seculo statu, vitam, quam ipsi putant, tranquillam agant, imò aliquando suis honori & commodo sint. Ita carnalis est ferè prima intentio, etiam sæpè apud homines alioqui non malos. - - Hæc intentio maturè puerorum animis imprimitur, destinari eos sacris muneribus, imprimis ante oculos positis illis, quæ præ cæteris fulgent; atque ita primus qui in studium Theologicum amor conciliatur in teneris animis, nititur propriis commodis & honore, quæ intentio postea pleraque non pessimè alias procedentia miserè corrumpit. Affectus enim ipsos occupat, ut quicquid dein in studiis suscipiant, plerumque ante oculos sit non tam DEO & proximo vera dilectione serviendi, quam inter alios emergendi, suisque rebus quam fieri queat commodissimè prospiciendi studium.

gustinum utero gestaret, votis sæpius renovatis eum religioni Christianæ, ac divinæ gloriæ obsequio dedicavit, uti ipsemet alicubi testatur, dicens quod jam tum in utero Matris agens salem DEI degustarit; quemadmodum etiam Theodoretum Nazianzenumque DEO ante conceptum à matribus donatos, & Bernardum statim post partum manibus maternis illi oblatum fuisse accepimus. Utinam egregia hæc parentes christiani premerent vestigia, atque fructus ventris sui, etiam antequam in lucem

edan-

edantur, Divinæ Majeſtati offerre diſcerent. Quamvis enim is quoque in priſca Eccleſia Magni Chryſoſtomi elogium ſit conſecutus, quem Mater Anthuſa omni conatu à ſacro ſtudio avocare tentavit, nec ſine lamentis ſeculo arctius implicare conſtituit, abunde tamen conſtat, DEUM nullo non tempore ſacras filiorum oblationes benignè admiſiſſe, atq; egregia ſemper Spiritus Sancti organa eos evaſiſſe, qui vel ante vel poſt partum DEO à parentibus [ſcopi ejuſqe nobiliſſimi ſtudioſioribus] ſunt conſecrati. Ad hunc ſcopum ſi cum parentibus ipſi ſemper colliment filii, ad ſyrtes & ſcopulos navem ſuam nunquam adfligent, verum omnigenam olim proſperitatem conſequentur.

XIV. Altera Studiosæ Industriæ prudentiæq; Chriſtiano-literariæ Lex jubet, ut in *illud præcipuè doctrinæ ſcientiæq; genus Literatus incumbat, ad quod præ aliis fuerit aptior*, ne ſc. pondere minus adæquato mens ej⁹ prematur, & ad inconſentanea abripiatur. Haud malè dicere olim ſolebat Severus Caſſius, maxima ingenia vix pluſquam in uno eminere opere; pauciſſimis equidem tantum natura indulſit, ut in duplici facultate omninò excellerent, ſicuti quondam Virgilium illa felicitas ingenii in oratione ſoluta reliquit, Ciceronem eloquentia in carminibus deſtituit, ita non contingit facilè, ut unus idemque pluribus in

rebus

rebus emineat. Igitur eruditorum quilibet diligenter ſuum exploret genium ingeniumque, atque illi potiſſimum ſtudio adhæreſcat, ad quod ſe magis aptum eſſe animadvertet; diligenter cumprimis cavens, ne in Scepticorum aut Ephecticorum illorum ſyrtes deveniat, qui nullam prorſus rerum ſcientiam certam & veram haberi poſſe ſunt opinati, quorumque Princeps Heraclitus [cum doceret ſcientiam eſſe rerum verarum cognitionem] nunquam ulla de re id enunciari poſſe, quod eſſet verum confidenter aſſeruit, hoc ipſo conſentiens cum Protagora, dicente, nihil eſſe quod certam habeat naturam, nihilque eſſe ſimpliciter verum vel falſum, ſed falſum tantummodo aut verum id eſſe, quod falſum aut verum pro varietate ſcientiarum hominibus videretur, nec recedentibus ab eâdem ſententia peſtilenti quibuſdam Academicis, nullius rei veram dari ſcientiam ſtatuentibus, ſed tantum opinionem, cum ſenſus à quibus omnis noſtra pendeat intelligentia, facillimè decipiantur. Rectius verò ſapiant Chriſtiani literati, & à phaleratis iſtis ineptiis prorſus alieni, nudam ſine fuco fallaciiſque ſectentur Veritatem, ſtudioſè caventes, ne ad ejuſmodi ſcopulos ſuam adfligant navem, & ne graviſſimis dubitationum procellis jactati, tandem artium ſcientiarumque omnium nauſeâ ac tædio afficiantur, imò fatali Scepticorũ vertigine laborantes, de ipſo feli-

felicitatis literariæ faſtigo miſerè deturbentur. Quantumvis enim ſenſus in rebus quibuſdam ſingularibus ſæpè decipiantur, in iis tamen ſuam quandam notitiæ firmitatem & evidentiam obtinent, quæ inconcuſſis principiorum verorum nituntur fundamentis. Hujuſmodi igitur ſcientiæ ſtrenuè incumbant, illi diſciplinæ præ cæteris cuncti ſapientiæ ſtudioſi invigilent, quam tum cognoſcendis rebus, tum dirigendis actionibus, tum proprio ingenio excolendo aptiſſimam judicarint. *Iter ad ſcientias & artes quaslibet proſperè inituri, ſuum ante omnia* (ut optimè monet Bartolus) *conſulant genium, & proclivitatem naturæ ad illas capeſſendas; ut navigaturi ventum prius qui ſpirat obſervant, & ex eo vela & clavum flectunt. Natura ſimilis eſt planetis, qui parum & lentè promovent quâ parte curſu feruntur retrogrado. Non plura ex eâ exprimunt, qui plus premunt, ſed qui compertis ejus propenſionibus obſecundant. Quicquid ultrò & liberè ſuſcipit, ſortitur exitus haud minus faciles & felices, quam Sirenum labor globis cælestibus ſolo cantu verſandis intentus. Huic ſi vim afferas, non creſcit virtus eâ violentiâ, ſed hebeſcit, & quod ante poterat* *Bartol. char lit. pag. 296.*

jam

jam non potest. Aquæ similem dixeris, quæ frigore & gelu adstricta stupere quodammodo videtur & emori, cum esset anteatam inquieti motus & lubrici. In omnium admiratione sunt INGENIA quædam PRÆCOCIA, quæ non anteacta solum ætas * mira-

* Mirum sanè est, quod de Avicenna Sorsanus ejus discipulus in Vitæ hist. scribit, eum scil. puerum admodum, anno ætatis X. tam luculentum ingenii specimen Præceptoribus dedisse, ut omnibus esset miraculo, quippe Alcoranum memoria tenebat & reliquas disciplinas, per se nullo, usus Magistro, sed assiduo labore & perpetuis vigiliis, & summa animi contentione, ante ætatis annum VIII. & IX. didicerat. Sic ipsum Augustinum legimus anno ætatis XII. & Theoricos & Logicos Aristotelis libros optimè intellexisse, multorumque errores monumentis scriptis confutasse. Præclara etiam sunt, quæ de Origene adhuc puero narrat Eusebius Lib. VI. Hist. Eccles. cap. 2. Demosthenes annum agens XXV. Rempublicam capessere, concionesque habere cœpit. Nerva quoque J.C. Nervæ F. ut habet Ulpianus, de jure magna cum laude anno XVIII. respondit. Anno æt. XIX. L. Crassus C. Carbonem; uno & vicesimo Cæsar Dolabellam; altero & vicesimo Asinius Pollio C. Catonem; non multò ætate antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodiè cum admiratione legimus, ait Messala apud Quintilianum de Orat. Dial. Nicolaus Heliotus [ut tradit Gabr. Naudæus in Panegyri de Antiq. & Dignit. Scholæ Medicæ Paris. p. 3.] viginti circiter annos natus, in Aula Navarræa disputans anno MCCCXLIII. Philosophus, Medicus, Juris utriusque prudens, Theologus, Linguarum peritus, artium omnium tum liberalium tum mechanicarum sciens, cum summa admiratione Academiæ Parisiensis compertus est.

fœcun-

fæcunditate produxit, verum recentior etiam cũ ingenti vidit ſtupore, ſatis ſuperque docens, naturam ſenectute neutiquam effetam eſſe & defatigatam, ſed priſtina potius in producendis optimis ingeniis divino beneficio pollere virtute, taliaque præcocis maturitatis habere exempla, quæ ipſi prudentiæ virtutique virili maximam extorquere poſſint admirationem. An non Avorum memoriâ JOANNES PIC⁹ vigeſimo ætatis anno, concluſiones nongentas in omni ſcientiarum genere, ex Græcorum, Latinorum, Hebræorum, Chaldæorum, Arabumque arcanis decerptas Romæ diſputandas propoſuit? Et Jacobus Mazzonius de omnibus ſcientiis theoremata, quæſtionibus quinque millibus centum & nonaginta ſeptem diſtincta, Bononiæ ætatis vigeſimo ſecundo exhibuit diſcutienda? & Paulus Scalichius eodem ætatis anno, mille quingentas quadraginta tres propoſitiones in omnibus Scientiis apud eandem Civitatem? An non Quirinus (ut Lib. de Virgilii culice & Terentii fabulis refert Petrus Bembus) magno hominum concurſu, magnaque Urbis admiratione, quatuor millibus & quingentis illis à ſe in Philoſophia propoſitis ſententiis, omnium omnis diſciplinæ Philoſophorum impetus penè puer ſumma cum gloria ſuſtinuit? An non Jacobus Critonius * Scotus ante vigeſimum primum ætatis annum de-

* Hic est Critonius ille Scotus [ita Joh. Imperialis in Museo Histor. fol. 241.] transacti dudum seculi monstrum, prodigioso naturæ opificis conatu editum. Hic est totius adhuc Orbis judicio Phœnix habitus ingeniorum. - - Quid humanum magis exsuperans, quam vigesimo primo ætatis anno decem Lingvarum peritia, nec non Philosophiæ, Mathematicæ, Theologiæ, mitiorum artium, cæterarumque omnium disciplinarum apicibus præstitisse? - En sacros celsissimæ originis impetus, quibus pares nulla temporum memoria, præterquam in Pico Mirandula vix invenias. Nec minus de Jacobo Mazzonio idem Imperialis pag. 237. egregia prodidit.

cem Lingvarum, multorum idiomatum, omniumque disciplinarum adeptus est cognitionem? Quid, quod Hugo Grotius anno ætatis decimo quinto insigne Martiani Capellæ opus Notis suis tersum, & ab innumeris mendis emaculatum in lucem emiserit; & Josephus Scaliger minor annorum XVII. Oedipum confecerit tragœdiam, in quam tantum non omnia ornamenta poëtica, & verborum delectum impenderat. Sic etiam Barclajus admodum juvenis Euphormionem suum produxit; Nicolaus Rigaltius anno ætatis decimo septimo Funus Parasiticum; & Salmasius vigesimo, versionem Stephani de Urbibus, cum notis ad eum eruditissimis paratam editioni habuit. Nam etsi (uti præclarè Seb. Foxius de „ Juventute ratiocinatur) par Seni atque Ju„ veni peritia rerum insit, majus est tamen in „ hoc quam in illo ingenii acumen, quod au-

get

get prudentiam, quia Senex ut est effeta „ jam ætate, ita ingenio quoque imbecilli. At „ ardens est Juventus, & levi quoque appeti- „ tus impetu rapitur. Quis verò hinc non probè intelligit, quantum ii errent, qui animum ad eas applicant disciplinas, sive contemplatrices sive practicas, sive ex utroque genere mixtas, ad quas nec eos natura vocat, nec inclinat indoles, nec genius invitat, qui certè idem facere videntur, atque illi, qui flumina prono lapsu currentia in fastigia montium impellere vellent.

XV. Non defuerunt è Christianis Doctoribus aliqui, qui vellent omnem scientiam homini inspirari divinitus, nihil prorsus sciri posse existimantes absque singulari quâdam luce in mentem divinitus immissâ, adeò ut Summi illius Rectoris ac Conditoris commune præsidium satis esse non crederent, ad propignendam scientiam, nisi etiam lumen quoddam propinquius & magis intimum ad subsidium illud roborandum accederet, quemadmodum ipse D. Augustinus scibilia absque peculiari divina illustratione ab intellectu cognosci haud posse existimavit, sicuti colores sine Solis lumine ab oculis percipi minimè queant; Tametsi verò ea sententia à veritatis tramite non multum abhorreat, pro certo tamen homo sciendi cupidus habere debet, quamlibet scientiam humanam eo modo etiam parari, quo cæteri in

August. lib. I. Colloqu.

nobis habitus acquiruntur, hoc est labore ac indefesso studio, ad quod eò rectius perficiendum, omnemque torporem excutiendum summoperè conducet librorum optimorum lectio & congestio, susceptaque scientiæ acquirendæ gratiâ peregrinatio fructuosa, qualem (Plutarcho teste) ipsi gentilium Philosophi quondam instituére, varias provincias ad invisendos præstantissimos artium & scientiarum magistros peragrantes, frequenterque ex Europâ in Asiam navigantes, non tam ut Ægypti situm, aut Nili ostia, aut altissimam Pyramidum molem, aut aves viderent peregrinas, quam ut solidioris doctrinæ thesauris atque exquisitæ doctrinæ lucro potiantur. Videnda hanc in rem literato sciendi cupido est memorabilis Philonis Judæi dissertatio de *Congressu quærendæ eruditionis gratia*, ubi inter alia hæc notatu dignissima verba leguntur: *Indifferentes artium sectatores vident se graves utero, sed quid gestent non satis vident; scientiæ verò cernunt fœtus suos manifestissimè, nam scientia major est, quam ars, quippe ratione confirmata stabilitaq́, sic enim definitur: scientia est ex multis intellectûs facultas, meditatione acquisita*, ad finem aliquem bonum ac utilem; *quæ clausula rectè additur, ut malas improbatasq́ artes exclu-*

Plutar. in Solone.

Philo Jud. de congress. quær. erud. gratia, opp. pag. m. 299. seqq.

excludat ; Tales verò adeundos esse audiendosque Magistros, quorum nemo in placitis exculta à se scientiæ fallatur. Neque verò eò dirigenda est à vero pietatis cultore eruditio, aut aliis tradenda, aut etiam ab aliis ipsisque exteris acquirenda, quo eam olim palliata illa inanis gloriæ mancipia dirigebant, quorum præcipuum institutum fuit, utilitati juvandi, placendi gratiam præferre, atque sectatores ventorum totis velis blandientis vulgi favonios excipientes, tum demum sibi satisfactum putaverunt, cum digito præmonstrari obtinuissent, dicique audirent, HI SUNT ; id tantùm eruditionis suæ ostentatione agentes, ut magnis apud plerosque celebrentur encomiis. Etiam atque etiam cuncti doctrinæ solidioris studiosi vitent perniciosam hanc principis tenebrarum catapultam, videantque ut ad scientiam genio ingenioque suo aptissimam applicent animum, ne instar ardelionum tum maximè inscitiam suam prodant, cum omnia se scire profitentur.

XVI. Tertia Prudentiæ Christiano-Literariæ Lege cautũ est, *ne confusè aut tumultuariè tractentur studia, sed potius ad præclaram naturæ indolem, vehementemq; laboris contentionem ORDO accedat, sive certa instituendorum studiorũ ratio ;* cum experientia magistrâ constet, ea, quæ ordine instituuntur, minore laboris ac temporis impendio perfici, nec solum citius &

commodius, verum etiam rectius ſolere abſolvi. Maximis equidem ORDO literatis omnibus ſeſe commendat emolumentis. Eo verò ut nihil eſt in rerum naturâ divinius, (ſiquidem dicente Auguſtino nos ad ipſum deducat DEUM) nihil in adipiſcendis ſcientiis compendioſius, in utendis fruendiſque jucundius, uberius, commodius; ita nihil ad experiendum difficilius, nihil varium magis ad eligendum aut perficiendum. QUOT CAPITA TOT ORDINES, [ſcitè ait Alexander Fichetus] mutantur enim pro geniorum & ingeniorum ſtomacho & varietate, ſive ſeriem librorum, ſive modum legendorum, ſive rationem excerpendi floſculos fructuſque colligendi per ſpicilegia ſpectemus: Alii enim ab oratoribus, alii à Poëtis, ab Hiſtoricis nonnulli, & variis ipſorum operibus ducunt primordia. Quidam omnium principes delibant philologos, ut eorum exemplo condiſcant artem annotandi; plerique ab artis Magiſtris auſpicantur, à Concionatore item, ſeu Oratore chriſtiano, ut artis lineamenta deprehendere norint in authoribus. Omne punctum verò illi tuliſſe videntur, qui pietatis ſolidæ Magiſtros, artiſque illius artium & ſcientiæ ſcientiarum profeſſores cæteris omnibus ducunt anteponendos, adeoque cœleſtium diſciplinarum ſtudiis prius navare operam, quam humanioribus ſeu ſecularibus aliis invigilare conſtituunt. Et cum Scri-

a *Alex. Fichetus in arcana ſtudior. meth. c. III. p. 15.*

Scriptores Theopneusti & Theodidacti, Prophetæ nimirum, Apostolique cuncta vitæ spiritualis [h. e. verè felicis] arcana prodiderint, necesse est ut amor illorum literatos christianos potius incedat, quam profanorum scriptorum veneratio, eamq; primam esse atque præcipuam philosophiám credant, quæ Sacris sive Biblicis monumentis comprehendatur. *Quam vellem* (præclarè ait Justinus Martyr) *ut omnes similiter atq; ego animis affecti, Salvatoris nostri sermonibus perpetuò adhærescerent! Timorem enim quendam in se continent salutarem, plurimumq; ad eos, qui à recto itinere deflexerint, in viam revocandos valent. Præterquam quod iis quoq;, qui sedulò sermones istos meditantur, animi quietem & tranquillitatem conferant multo suavissimam.* Quandoquidem verò ad eundem felicitatis scopum etiam alii Doctores christiani scriptis suis collimarint, nonnulliq; Patres eam cœlestium disciplinarum principem & magistram scientiam perdocuerint, utpote Basilius M. Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius M. Cassianus, Bernardus aliiq; plurimi, hinc non infructuosè tempus in eorum quoque lectione & evolutione diligentiori Sacro-Sanctæ Theosophiæ Candidatus collocabit, attamen debito [ut antea monuimus] ORDINE, justaque methodo adhibitâ, ne con-

Justinus in dial. cum Tryph.

fusa lectione animi obruantur potius quam erudiantur. Censent nonnulli Patres legendos ordine antiquitatis & temporis quo vixerunt, sive sint Latini, sive Græci; quidam materiarum ordinem affectantur, ab iis incipientes, qui tractatus scripsêre & dissertationes, veluti Cyprianus, Tertullianus, Nazianzenus & alii, tum ad eos sese accingentes, qui in Sacram Scripturam edidere commentarios: Cum verò nonnulli in utroque claruerint genere, ut Hieronymus, Augustinus, Basilius, Theodoretus, Chrysostomus &c. primum horum orationes, tum demum legendos putant commentarios, ac ne dimidiatos relinquant libros & interrupta opera, integros Patres unum post alium quidam ducunt devorandos. Ast cum plerisque neutiquam instructa adeò sit Bibliotheca, ut pro arbitrio suo eum Doctorum Veterum delectum sequi valeant, illi compendia in fortunæ subsidium advocare, eosque lectitare Patres studeant, qui ad igniculos pietatis eliciendos videantur aptiores. Manibus nimirum frequentius terant Confessiones Augustini & Soliloquia, Hieronymi & Paulini epistolas, Ambrosii de officiis libros, ut & præclara Dorothei, Salviani, Climaci, Cassiani, Bernardi aliorumq; monumenta: Concionabundi verò diligentiorem Chrysostomo operam impendant, non tamen neglectis aliis qui maximo olim cum fructu & emolumento verba

ad

ad populum fecêret * Etsi igitur laudatissimum sit, suavi adeò pietatis odore primam ætatem ut testam recentem imbuere, atque tam salutari vacare lectioni, tantum abest tamen, ut maturiori ætate ardor in eadem studia sit remittendus, ut potius magis magisque fovendus sit atque excitandus, cum ejus ope (divinâque adspirante gratiâ) ad supremæ Sapientiæ culmen devenire, & quæ vitanda nobis, quæ amplectenda, quæ tradenda inculcandaque aliis sint, rectissimè intelligere ac perspicere queamus, præfulgidæ equidem lucis portæ cunctis piè-eruditis pandentur, & affulgente de cœlo claritate, insignis ingenii sapientiæque vis ad capessenda fidei ac virtutum mysteria & ornamenta iisdem conciliabitur.

XVII. QUARTA DENIQ; INDUSTRIÆ SACRO-LITERARIÆ LEX jubet, ut *nullum non TEMPORIS utiliter impendamus spatium, atq; thesauri omnium præstantissimi singularem habeamus rationem. Mirum* (ait Seneca) *re omnium* pre- *Sen. de brevitate vitæ.*

* *Legi apprimè meretur Ludovici Bail Bibliotheca illustrium Concionatorum. quæ sub tit.* Sapientiæ foràs prædicantis *prodiit Parisiis, 1666. & quâ illustrium per omnes ætates & secula Concionatorum elogia, historia, artes, & florilegia, nec non plurima ex ineditis seu MSS. codicibus lectiones exhibentur.*

pretiosissima luditur, vix est qui tempus æstimet, quæ culpa licet in omnibus maximè sit reprehendenda, at in hominibus, qui meliores indies effici debent, aliosque efficere meliores, prorsus est intolerabilis. Vulgo licet mortalium temporis jactura videatur levior, ii tamen quibus de nobiliori luto Titan finxit præcordia, velocissimæ rei injectâ quasi manu moram facere omni studio laborabunt. Nihil sciet unquam, qui artis hujus omnium utilissimæ, temporis sc. benè collocandi rationem non fuerit consecutus. Trium verborum semper meminerint, quotquot operam literarum studiis navare volunt diligentiorem, PRÆTERVOLAT [Tempus nimirum,] ARRIPE, SERVA. Hujus solum rei possessionem nostram esse, & avaritiam laudabilem, optimi huc usq; judicarunt, sapientissimè itē pronunciantes, neminem unquā insigniter doctū extitisse, qui temporis non fuerit parcissimus. ALDUS MANUTIUS Senior ut multivariis suis consuleret occupationibus, atque importunas inutilesque amicorum (licet officiosas) salutationes & confabulationes summoveret, Musei sui ostio verba inscripsit sequentia: *Quisquis es, rogat Te Aldus etiam atque etiam, ut si quid est, quod à se velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas; nisi tanquam Hercules defesso Atlanti veneris suppositurus humeros;*

meros; semper enim erit quod & Tu agas, & Aldus. Quod si tantam temporis rationem habuit Criticus ætatis suæ doctissimus, inque emendandis veterum exemplaribus græcis præsertim laboriosissimus, quidni eadem de tempore benè collocando cura versaret sanctioris doctrinæ alumnos, majus fructuosiusq; negotium meditantes, veræ nimirum ac sinceræ pietatis & professionem & propagationem? Sed cum diutius feliciusq; illi studeant, qui valent diutius, illi autem rectius valeant, qui studiis sapientius moderantur, cavendum etiam est, ne sicut avari dulcedine usurarum pereunt, ita literatis nimiâ studiorum voluptate (siquidem continuis vigiliis horisque longioribus corpus exedatur) animus & vires exhauriantur, ingeniumque hebetetur vel acutissimum. *Est quedam in studiis* [ait scite Fichetus] *literarum ingluvies, & avaritia, quæ nocet animo non concoquenti, sicut cibus avidius ingestus stomacho. Ne mihi sis belluo librorum, sed amicus. Modus adhibendus est, qui rebus omnibus est salutaris. Arcus & fides Musicæ nimia contentione franguntur, remissione durant; ferrum usu probo splendescit, improbo hebetatur & frangitur, Minuendus est labor ut augeantur vires, non autem onere præfocen-*

Fichetus l.c. cap.6.

focentur. *Nullis magis impendi decet artem tuendæ valetudinis, quam LITERATIS PIIS, nulli enim mortalium eam utilius impendunt, - - Mutanda sunt studia, & à remissione modica, aurificum exemplo, qui reficiunt oculos, exhaustos auri fulgore, nitoreve argenti, gemmarum viventibus pratis; omissis tantisper seriis, jucundiores in manu sumendi sunt libri, qui literarum describunt amœnitates &c.* Sic Scipionem negotia sua otio interpunxisse, Velleius testatur, idipsum observent assidui literarum cultores, ne studiis & meditationibus nimiis citius intabescant apprimeque caveant [ut nostrum de vitandâ Curiositate nimia sermonem prosequamur,] ne inutilibus prorsus studiis invigilantes, discant dediscenda, & artibus nunquam profuturis ætatem consumant. *Laudabilior est animus* (inquit D. Augustinus) *cui nota est vel infirmitas sua, quam qui eâ non respecta rerum terrestrium cælestiumq; tenet scientiam, vias siderum etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse quâ via ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam.* Et quis neget quoddam intemperantiæ genus esse, plus scire velle quam satis sit? ait Seneca. Sunt

August. lib. 1. de Trin. c. 2.

equi-

equidem non pauci qui ad Curiositatis saturitatem studiis non minus, quam immodico vini usu obruunt intellectum, ex quo ad reliqua efficiuntur impotentiores, nec malè propterea laudatus Episcopus Hipponensis homines moderatè studiosos temperantes ac sobrios appellat, eos verò qui nimio studiorum æstu corripiuntur, intemperantes ac penè ebrios, magnum hinc temperantiæ munus esse statuens vitii adeò noxii coërcitionem ac refrænationem, præcipuè in illis scientiis, quæ ad benè beateque vivendum minus utiles videantur. Admonent nos Sacrorum mystæ [ait rursus doctissim⁹ Fichetus] ut legam⁹ quidem multa, eaq; præstantissima, sed MULTUM, NON MULTA, h. e. festinemus lentè, obruitur enim memoria multitudinē, festinatione judicium ingeniumque corrumpitur. Convivas imitemur oportet, qui cibis non ingurgitant sese, quos non concoquerent, sed sedatâ fame, & lento dente vescuntur, eâque mensura & modo, ut digerere & in succum suum demutare queant dapes illatas: Hoc ritu non tantum MULTUM legitur, ad profectum scil. utile, sed etiam multa; optima namque multorum instar esse solent. Examine & judicio exquisitissimo est opus, & vitia dotesque librorum librandæ, ne virtutum loco peccata authorum subeant, fingendus item ad eorum imitationem est animus, formandumque judicium, quæ potis-

Alex. Fichetus in Arcan. stud. meth. c. 7. p. 51.

potiſſima laus eſt ſtudiorum, ita ſapienter Fichetus. Nemo equidem ad ſobrietatem eos ſapere judicabit, qui intempeſtivè, qui diutius quam par eſt, qui ſolicitius in ſtudia incumbunt non profutura, vixque credibile eſt, quantùm hâc ipſa helluatione ſibimetipſis afferant detrimentum. *Si enim pro viribus ſuis alatur infans* (præclarè ait Auguſtinus) *fiet, ut creſcendo plus capiat; ſi autem vires ſuæ capacitatis excedat, deficiet antequam creſcat.*

Auguſt. lib. XII. de civit. Dei cap. 15.

XIIX. Ab hoc verò maximæ infelicitatis periculo omninò alieni fuere illi divinæ gratiæ radiis colluſtrati literati, qui tumultuoſum conſiderantes vitæ literatæ genium, horrendos eruditarum mentium motus, infinitarumque moleſtiarum [à Viris doctis devorandarum] ſeriem ſibi ob oculos ponentes, ſupremæ ſcientiæ theſauros ſollicitè inveſtigavêre, lateque olim evagati, tandem ſummè ſalutarem ſcopum duxêre reſpiciendum. Ad RUDOLPHUM AGRICOLAM [illuſtre illud Friſiorum decus, quod ſub ſeculi decimi quinti initium effulſit,] oculos vertat, quiſquis FELICIS eo nomine LITERATI ideam conſpicere deſiderat. Tantos ille in omni Studiorum (humaniorum præſertim) genere fecerat præcoci maturitate progreſſus, ut ex Petri Montani judicio cum ævo iſto ſolum Germania

nia habuerit, quem insolenti Græciæ, aut procaci Italiæ objiceret. *Nihil enim unquam Cisalpinus Orbis* (ita Erasmus illum in opere Adagiorum posteritati commendavit) *produxit omnibus literariis dotibus absolutius, absit invidia dicto. Nulla erat honesta disciplina, in quà vir ille non poterat cum summis artificibus contendere. Inter græcos græcissimus, inter latinos latinissimus, in carmine Maronem alterum dixisses, in oratione Politianum quendam lepore referebat, majestate superabat. Oratio vel extemporalis adeò pura, adeò germana, ut non Frisium quempiam, sed urbis Romanæ vernaculum loqui contenderes. Eloquentiæ tam absolutæ parem adjunxerat eruditionem, Philosophiæ mysteria omnia penetraverat. Nulla pars Musicæ quam non exactissimè calleret. Extremo vitæ tempore ad literas hebraicas, ac scripturam divinam totum animum appulerat.* Hic itaque doctrinâ literisque illustris adeò Vir cum non ignoraret sapientis illius effatum: Omnem scientiam magis obesse quam prodesse, si desit scientiâ optimi, maximo tandem animi ardore pietatis sinceræ studio sese addixit, cœlestesque dapes nocturna diurnaque manu versans, suas duce-
bat

bat delitias. Quinimò vivum & efficax DEI verbum cor ejus ita immutaverat, ut ſpretis profanæ ſapientiæ theſauris, nil niſi Chriſtum ſpirarit, qui conſecratum ſibi pectus, ex hoc errorum pelago in veræ ſapientiæ portū, & primæ veritatis arcem mox erat tranſuecturus. Correptus enim poſt ſeriam ſuam à vanæ doctrinæ vanitate ad ſinceram pietatem converſionem febribus, animam ſuam chriſtianâ alacritate vitæ datori commendaverat, tandemq; reddiderat nondum quadrageſimum excedens annum. Quid obſecro Viro huic doctrinæ opibus onuſtiſſimo contingere potuiſſet felicius, quod plenis abſolutiſque ejus laudibus illuſtrius accedere elogium, quam quod artium & diſciplinarum ſecularium ſtudiis diu multumque defatigatus, tandem ad veram DEI cognitionem & cultum pervenerit, ſummamque adeò literati hominis proſperitatem ſit conſecutus. Ad quam eodem ferè tempore haud infeliciter aſpiravit Jo. PICUS MIRANDULANUS, cui grave quod ſubiit famæ periculum, oportuna occaſio excolendæ exercendæque pietatis extitit. Ab æmulis etenim [ut alibi diximus] atrociter exagitatus, atque malevolorum vexatus calumniis, veros ſuos agnovit & emendavit errores. Prius (notanter ait vitæ ſcriptor) & gloriæ cupidus & amore vano ſuccenſus, muliebribuſque illecebris commotus fuerat, viaque vitæ probatæ poſthabita, parumper in delitias

Confer Comment. IV. de Invidia literat. pag. 468.

deflu-

defluxerat. Verum simultate illa experrectus, diffluentem luxu animum retudit, & convertit ad Christum, atque feminea blandimenta in supernæ patriæ gaudia commutavit, neglectaque aura gloriæ, quam ipse semper affectaverat, DEI gloriam & Ecclesiæ utilitatem tota cœpit mente perquirere, adeoque mores componere, ut posthac vel inimico judice comprobari possent. Quamprimum sacras degustavit literas, non tantum VERAM SAPIENTIAM, sed & veram eloquentiam sese invenisse lætabundus exclamabat. O miram DEI ex malis bona elicientis clementiam! Humanam exin gloriam pro nihilo habebat, ajebatque sæpius, famam vivis non nihil, mortuis minimè profuturam, tantumque propriam æstimasse doctrinam agnovimus, quantum utilitati Ecclesiæ, & eliminandis explodendisque adversis erroribus conduceret - - - Admonebat sæpissimè familiares inter loquendum ut animadverterent, quantum laborent nutentque mortalia, quamque caducum & fluxum quod vivimus, quam firmum & stabile quod sumus futuri, sive scil. detrudamur ad inferos, sive sublevemur ad cœlos, hortabaturque ut ad DEUM amandum converterent & incitarent mentes, quod opus præ ponderaret cuicunque, quam in hâc vita habere possemus cognitioni, hoc etiam in libello ipso de Ente & Uno luculentissimè est executus, quan-

do ad Angelum Politianum, cui librum nuncupavit, in ipsa disputatione conversus hæc verba effatus fuerit: *Sed vide mi Angele, quæ nos insania teneat*, AMARE *DEUM dum sumus in corpore plus possumus, quam vel eloqui, vel cognoscere, amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur, malumus tamen semper per cognitionem nunquã invenire quod quærimus, quam amando possidere id, quod non amando frustra etiam inveniretur.* Deniq; cum Pico morti jam vicino, Albertus quidam mortis confinia reddere placabiliora laborasset; non illa duntaxat rationi pacari animum respondit, non finem mortis cruciatibus poni, sed hâc potissimum, quod DEI sui offensis terminus jam poneretur. Quis itaque Magnum illum Picum, literatorum felicissimis accensere dubitaret?

XIX. Si quem hoc seculo eruditum continuus immensusque pro re literaria labor comendavit, certè is fuit JANUS GRUTERUS, cum quo etiam doctissimi hujus ævi, si laboris emensi respectu comparentur, desidiosissimi vocabuntur. Nullus ferè author sive græcus sive latinus extabat ex antiquis, quem non notis ac comentariis suis aut illustrarit, aut illustrare potuerit, nemo plura veterum recensuit monumenta & restituit, imò singulos vitæ suæ annos, ac propemodum menses libris singulis

à se

à ſe editis diſtinxit. Cujus felicitatis literariæ cumulo inſignis acceſſit Bibliotheca privata, ita ad uſum publicum inſtructa, ut inde urgente neceſſitate, cuncta ſine multo labore neceſſaria proferri potuerint. At verò tot tantiſque ingenii, laborum, operumque fructibus illuſtris Gruterus, ad majorem longè literati hominis aſpiravit felicitatem, de cujus ſede eum nec quinquennale exilium, nec graviſſima corporis afflictio, nec tempeſtas etiam extrema dejecit. Tum enim præcipuè inſignis Chriſtiani Philoſophi idea exemplo Gruteri emicuit, cum pacatum ex hac miſeriarum valle exitum Vir annis, laboribus meritiſq; in rem literariam ſplendidiſſimis gravis eſſet conſecutus. Etenim (uti vitæ ſcriptor diſertè eſt conteſtatus) multis ante obitum diebus noctibuſque nihil aliud agebat, nihil audiebat, nihil loquebatur, quam quod vitæ fragilitatem oſtentaret, & optimam moriendi demonſtraret methodum. Summam illam nobiliſſimamque diſciplinam (uti vel ipſi Gentilium philoſophi aſſiduam mortis meditationem nuncupavêre,) curæ cordique Gruterus tantoperè habuit, ut eam non ſymbolo ſolum memorabili (ex duobus compoſito vocabulis: LABOR, & MORS,) verum etiam nobili ſuo opere, quod BIBLIOTHECAM EXULUM vocavit, notanter expreſſerit, nulli plures quam loco de MORTE paginas tribuendo, in fatali etiam operis præfatione,

Frid. Herman. Flayder, in vita Grut. Tubingæ 1628. ed.

(quam tribus ante obitum septimanis adornaverat) scribens: SE VIXISSE, & quem DEUS dederit cursum feliciter peregisse. Illustre etiam felicitatis literariæ exemplum ævo nostro FRANCISCUS BACO VERULAMIUS præbuit, cum singulari adeò eruditione virtuti summæ sociatâ conspicuus vixerit, ut quosdam non infimi ingenii homines cogitatio subierit, EUM præ cæteris mortalibus peculiari quodam Scientiæ humanæ radio fuisse illuminatum, indeque tantam in Regio Anglorum consessu authoritatem obtinuit, ut dicta & pronunciata ejus vix unquam vocata sint in dubium, atque differentis Verulamii verba non aliter excepta, ac si oracula magis quam eloquia protulisset. Nec domi solum & inter populares, verum apud exteros etiam, & Terrâ non minus marique quam ipsa religione longissimè diversos, nomen Verulamii tantoperè est celebratum, ut seculi & gentis suæ decus, ornator & ornamentum literarum, latino, non oratorio dicendi genere sit appellatus. *Facultates quippe illæ dotesque quæ* (ait incertus vitæ scriptor) *in aliis dissociatæ ferè & solitariæ reperiuntur, in illo conjunctæ & quasi connubio aliquo copulatæ eminebant. Eæ fuerant ingenii acumen, memoria fida, Judicium penetrans, & profluens elocutio.* Miram hanc felici-

Confer. vit. Verulam. opp. ejus anno 1664. Francof. edit. præfix.

licitatem literariam comitabatur vel augebat potius insignis Viri candor atque integritas, quâ omnem profligavit versutiam, & quam maximè à nova illa pseudo-politicorum secta abhorruit, quæ alumnos suos lingua comes, pectore docet esse noxios: *Unde argumentationis* (ita rursus vitæ scriptor anonymus) *genus illud, quâ in utramq; partem disceptatur, mensa ejus haud novit, aut si aliqua forte intervenerit, eadem cum magna submissione & moderatione fuit agitata.* Licet vero in cunctos fuerit benevolus, quorundam tamen odia devitare non potut & offensiones, variæque fortunæ aleam subiit, cum invidia procurante ab amplissimo Cancellarii munere esset deturbatus. In quo ut NIHIL NOVI (ipsosemet hoc Scripturæ dicto consolante) videbatur pati, ita tantum abest ut FELICITATIS suæ LITERARIÆ inde jacturam fecerit, ut potius notabile ejusdem ex hac calamitate senserit incrementum. A negotiis enim civilibus & vitâ activa retractus, extremum quinquennium studiis privatis egregiisque insumsit contemplationibus, otioque gaudens literario, maximam librorum suorum partem exaravit, divulgavitque. In quinq; nimirum annorum umbrâ fructus fœcundi illius ingenii maturuerunt præcipui, ostenderuntque, publicum bonum ei tantoperè curæ cordique

fuisse, ac si illius duntaxat promovendi gratia in umbra potius quam in luce vivere optasset. Quantum invidia Viri honoribus summæque dignitati subduxit, tantum vel invita ad nominis sui famæque adjunxit immortalitatem, illum scilicet Honorem, quem maximi quique Viri etiam post fata sunt consecuti. Qui librorum ab eo conscriptorum momenta ponderaque accuratiori studio examinant, verborum vigorem potius & perspicuitatem, quam elegantiam eum sectatum fuisse deprehendent, nec minus animadvertent, authorem scientiam suam haud quaquam ex aliorum scriptorum evolutione hausisse, sed ex principiis potius & notionibus quibusdam intra se accensis; neq; tamen cerebri proprii figmenta, sed fixas & radicatas multorumque annorum usu confirmatas cogitationes cum Orbe erudito communicasse.

XX. Alii insuper ævo nostro vixêre insignes diffusæque doctrinæ laude conspicui viri, diu immodico adeò agendi scribendiq; abrepti desiderio, ut à nobili illo scopo longius recesserint; sed qui ad eundem tandem aliquando accessere propius, atque optatæ felicitatis portum quærentes, tutam ibi invenêre mansionem. Hos inter CASPAR BARTHIUS, Vir generis & famæ magnitudine, elegantissimarumque artium cognitione excultissimus: Bone DEUS! quot quantosque auctores Græcos & Latinos illc

Vid. Templ. Honor. p. 380. seqq.

ille illustravit, quot notarum sylvas confecit, quot antiquitatis venerandæ monumenta labore incredibili cum pluribus communicavit. Et quamvis maximam ætatis suæ partem in literario quodam secessu transegerit, otio tamen sese tradidit minimè otioso, supremæque felicitatis literariæ fastigium attigit, postquam semotus à populo cum DEO & Sacra assiduè versatus esset antiquitate, meditando, scribendo, legendo, bonas horas optimè collocasset, maximumque in Sacro suo otio suscepisset negotium, seriam sc. à profanæ doctrinæ vanitate ad sinceram pietatem meditatus conversionem. Quâ de cumprimis testatur illustre SOLILOQUIORUM OPUS, extremis vitæ temporibus à Barthio publicatum, flagrantissimis ad DEUM suspiriis oppidò plenum, & vel Augustino scriptore dignum, quod postea hemiplecticus quotidiè revolvere, & per priorum meditationum vestigia frequenter cogitationes suas cœlo immittere consuevit, quousque è sacræ pariter ac literariæ solitudinis diversorio migravit, inque beata paradisi viridaria felicissimè secessit. Quem obsecro latent plusquam Herculei GERARDI JO. VOSSII labores, rei literariæ emolumento & ornamento exantlati, ex quibus plures ad doctos viros hactenus redundarunt fructus, & porrò sunt redundaturi, quam ipsi hactenus confessi sunt, vel in posterum confitebuntur. Nihil non ob-

Prodiit hoc opus Soliloquiorum Barthii Cygneæ 1654.

ſcurum, nihil non abditum vel parum intellectum è profundis omnigenæ eruditionis penetralibus explicavit, utriuſque antiquitatis Sacræ & profanæ rariora monumenta ita eventilavit, ut dubium ſit in quonam eruditionis genere magis excelluerit. Profeſſioni Hiſtoriarum publicæ Amſtelodami deputatus, hiſtoriæ omnigenæ theſauros ita perveſtigavit, ut eas calluerit exactiſſimè, atque bifrontis cujuſdam Jani inſtar, noſtra pariter ac antiqua ſecula perſpectiſſima habuerit. Quinimò tanta Oratoriæ facultatis peritia illum commendaverat, ut qui propius paulò Virum cognovêre, parem ipſi in hoc doctrinæ genere non facilè reperiri crediderint. Verum tantum inde laudis gratiæque apud bonos omnes neutiquam obtinuit, quantum inde eſt conſecutus, quod non ſoli eruditioni, verum etiam menti philoſophiâ ſublimiori imbuendæ operã ſtrenuam navandam eſſe, verbis pariter ac proprio docuerit exemplo, vanam & inanem illam judicans ſcientiam, quæ virtutis pietatiſque chriſtianæ fructibus eſſet deſtituta: *Nec enim* (notanter ſcribit alicubi) *quoſvis fructus ex quolibet ſemineo expectes. Quis herbarum ſeminibus in terram conjectis accuſet eam quod non legumina produxerit? vel quis agrum inceſſat probris, ſi ubi ſeveris fabas, aut milium, non proferat frumentum? quo jure igitur*

Gerbard. Joh. Voſ. in præfat. Theol. Gent.

igitur ob crebra adeò divortia PIETATIS *&* ERUDITIONIS *ream faciunt doctrinam universam, si animus eorum quos accusant, aliis potius studiis fuerit excultus, quam istis, quæ rectà nos ad mores ducunt honestos, & pietatem ipsam? Hæc verissime à me dici, nemo inficias iverit, qui cogitare volet, quam multi tanquam ad Sirenios scopulos consenescant in linguarum notitia, omnique literatura, vel etiam erudito illo Matheseos pulvere aut disserendi disciplina, quæ inscitiam quidem aliquam animis detergent, sed sola neminem reddunt meliorem. Idem de soluta ligataq; eloquentia censendum. Aliæ certè sunt benè* DICENDI, *aliæ benè* VIVENDI *artes. Cum igitur non eadem sint doctrinarum omnium bona, non fructus idem, quisquis salutaria esse volet studia sua, ad duo hæc præcipuè collimare debet, ut &* MELIOR *&* PRUDENTIOR *reddatur. Ac de priori potissimum laborandum, quia sine prudentia quidem infelicem viveremus vitam in terris: sed sine* PIETATE *æternum miseri foremus.* Nec minus illustria supremæ hujus philosophiæ documenta Vossius

ſius dedit in egregio de COGNITIONE SUI opuſculo, in quo artem illam artium, & ſcientiam ſcientiarum commendaturus, ſcitè præclareque *pauxillum eſſe* pronunciavit *benè de aliis mereri, ſi de ſemetipſis eruditi malè mereantur, quod fiat, ſi ſtudia in ipſis faſtum pariant non modeſtiam, cui morbo depellendo haud melius proſtet remedium, quam quod duabus illis perquam tritis contineatur vocibus*: γνῶθι σεαυτὸν, *TEMET NOSCE.* Hujus præcepti utilitatem duplici hominum generi apprimè injungendam eſſe ſapientiſſimè judicavit; iis nimirum, qui vel bona ſua neſciant, vel qui ſuos ignorent defectus, quorum cum ſatis ubique magna reperiatur frequentia, literatis omnibus ſtrenuè laborandum eſſe monuit, ut ſaluberrimo illi COGNITIONIS PROPRIÆ ſtudio incumbant, agnitisque defectibus ſuis, ſolidæ eruditioni, virtuti verè chriſtianæ ſociatæ navent operam, ſollicitè attendentes, *num in APIBUS, an FUCIS, an CRABRONIBUS nomen mereantur*, deniq; illud frequenter in animo habentes, *utcunq; pulchrum ſit audire doctum, pulchrius tamen haberi prudentem, pulcherrimum verò ESSE PIUM.* Hanc nimirum ſupremam eruditi hominis ſapientiam eſſe, cujus ſectarores laus manſura ſit in ſeculum.

Ger. J. Voſſius opuſc. de cognit. ſui p. 32.

XXI. Feli-

XXI. Felicium quoque literatorum ordini haud abs re inserimus JO. AMOS COMENIUM, qui postquam actis pariter ac scriptis singulari fructu turgidis, nomen suum æternitati consecrasset, & ad tantam devenisset celebritatem, ut scripta ejus omnium ferè facultatum Candidatis innotuissent, tandem septuagenario major illustre admodum ac singulare hominis à profanæ doctrinæ vanitate ad seriam pietatem conversi exemplum dedit & documentum, Mundoque expendendum obtulit UNUM illud NECESSARIUM † (*scire nimirum quid sibi sit in vita, morte & post mortem necessarium*;) atque hoc præclarum institutum luculentius paulò expositurus, egregiaque tum seriæ suæ ad DEUM conversionis, tum candoris verè christiani vestigia relicturus, apertè testatus est, se quoque NON-NECESSARIIS Mundi diu multumque occupatum, varios Literatorum incurrisse labyrinthos, donec ad boni omnigeni fontem ac Oceanum divina ope tandem aliquando sit deductus. Non aliud sibi post tot labyrinthos, Sisypheaque saxa, quibus toto vitæ suæ tempore fatigatus fuerit, arridere, quam illud datum à Christo consilium: Ut posthâc UNO NECESSARIO contentus, non necessaria

† *Ita novissimum fœtum suum Comeinus inscripsit ed. Amstelod.* 1668.

ſaria cuncta protinus amoveat, Mundumque totum à tergo relinquat. Etſi quid ſpecialius (*ſcribit notanter*) de ultimo hoc meo propoſito eſt dicendum, dicam: Palatii loco mihi tuguriolum erit qualecunque; pretjoſæ veſtis loco villoſum aliquod indumentum ſufficiet. PHILOSOPHIA mea erit intueri cum Davide coelos, & reliqua opera manuum DEI, MEDICINA mihi erit tenuiſſima diæta, jejuniis ſubinde interpoſitis decoranda: JURISPRUDENTIA mea erit, quicquid ab aliis fieri velim aut nolim mihi, hoc idem facere, aut non facere aliis, ſi in THEOLOGIAM inquirat, arripiam cum Aquinate morituro Biblia, totoque corde & ore dicam: Credo quicquid in hoc libro ſcriptum eſt! Si quos conſcientiæ caſus habeam, quæret, omnia mea mihi eſſe ſuſpecta reſpondebo. Ridebunt forſan (*pergit Comenius*) humanæ ſapientiæ admiratores delirum Senem, à faſtigiis æſtimationis ſuæ ad baſes infimas deſcendentem, rideant ſi volupe eſt, meum cor etiam ridebit effugiſſe tricas, evaſiſſe labyrinthos. Inveni portum.

ſors

ſors & fortuna valete, dixit poeta. Ego inveni Chriſtum, vos NUMINA VANA valete. Tota mea vita peregrinatio fuit, non patria, mutatum perpetuo diverſorium, nunquam & nuſquam ſtabile domicilium: At jam cœleſtis patria in proſpectu eſt, ad cujus usque limina Dux meus, lux mea Chriſtus me deduxit. Hæc inter ſacro-ſancta de UNO illo NECESSARIO meletemata (quibus poſtremum biennium exegit,) vitam tandem Comenius placidè finivit, optatamque requiem poſt graviſſimos labores ſuperatos octuageſimo ætatis ſuæ anno invenit. Quo ipſo LITERATI FELICISSIMI charactere ætate noſtra conſpicuus extitit MATTHIAS BERNEGGERUS, non minus rara atque inſigni pietate, quam profundæ eruditionis gloria ita conſpicuus, ut religionem (quæ primum humani generis bonum eſt,) ardentiſſimè amarit, in vita etiam communi incredibilem oſtenderit integritatem, ægrè ferens multorum eruditorum incogitantiam, qui cum pleraſque artes ac diſciplinas excolere cogitent, artem BENE VIVENDI negligere haud vereantur, veluti minus neceſſariam, vel perceptione & exercitio facillimam, cum tamen ex hujus unius contemptu vel ignorantia tot errores, tot miſeriæ, totque in univerſa vita humana calamitates oriantur. Ad BERNEG-

NEGGERI exemplum gener ejus JO. FREINSHEIMIUS ætate nostra elegantẽ docti simul ac boni Viri ideam expressit, graviterq; non minus quam piè & christianè de verâ beatitudine hominis literati, ejusque consequendæ ratione disseruit, atque sempiternam salutem fluxæ perituræq; felicitati ac gloriæ literariæ sapientissimè anteposuit: *Nam ut docti simus* [ajebat] *non est necesse, ut boni autem simus, siquidem beati fieri velimus est necessarium.* Id ipsum cum paucis ab hinc annis ad animum sibi probè revocasset Magnus ille ævi nostri Æsculapius THOMAS BARTHOLINUS, stupenda prorsus æquanimitate triste admodum Bibliothecæ suæ incendium, atque operum nondum divulgatorum interitum pertulit, editâ peculiari de BIBLIOTHECÆ INCENDIO dissertatione epistolicâ † veniam ab erudito Orbe petiit, quod meliori Bibliothecæ parte devastatâ, operum à se in catalogis librariis promissorum copiam deinceps facere neutiquam valeat: *Temperare mihi* [scribit ille notanter] *quidem non potui quin in recenti vulnere*

Vide Templ. Honor. p. 361.

Barth. de incendio Bibl. p. 10.

† *Edita est Bartholini de Biblioth. incendio dissertatio Hafniæ 1670. quâ etiam prolixè ostendit, quanta huc usque optimi quique authores à destructore Vulcano passi sint detrimenta, confer Clem. Museum, lib. III. sect. II. c. 9. & dissert. Sacris nostris Bibliothecariis præfixam num. XII.*

vulnere mecum nonnihil mussitarem, Vulcani fabulam veterem eludere cœpi, & penes me pro fabula fabere. Minervæ ille amicus ferebatur olim, jam inimicissimus, cum uno velut fulmine suppellectilem librariam, & tot annorum lucubrationes prostraverit, neutiquam æquo animo ferens, quod à B. Augustino cooperarius Minervæ appelletur - - Expertus jam loquor, & mecum testantur, si per violentiam & tyrannidem destructoris Vulcani superessent instrumenta Anatomica & Chirurgica, libri Anatomici & Chirurgici, infinita arcana Medica & Chymica, Antiquarii plusculi & philosophi, & quod palmarium, OPERA *A* ME *ductu & auspiciis Minervæ confecta,* PROPEDIEM LUCEM *VISURA, nisi à nimia & ardente Vulcani luce essent suffocata & extincta. Deplorarunt & alii destructoris hujus sævitiem, ne exemplis careamus, aut pro solo exemplo* ME *posteri adducant, si qui tristis mei casus meminisse dignaturi sint.* Et post quædam alia idem Bartholinus; *Pabulum* (scribit) *igni suggessimus sævienti chartis æternitati consecrandis, ut experiremur, quo modo in igne*

August. Lib. IV. de C.D. cap. 10.

ex

expurgatorio se gererent. Nati olim ad Solem explorabantur ut legitimi; Mei quoque ingenii & laboris fœtus ad ignem examinati, quia immaturi pro vitalibus & legitimis habiti non sunt, igne ulterius perficiendi. Ita solabar triste & prædii & Bibliothecæ meæ incendium, credidiq́ à DEO immortali quietem in senio crescente imponi & clementer concedi, quam ipse hactenus variorum editione mihi denegavi. Ne vel hæc nimis se ad plures curas laxaret, vel charta materiesq́ scribendi aliis præriperetur, utraq́ igne debuit coerceri. Neq́ enim aliunde incendium accerserim quàm à DEO, vel jubente in pœnam, vel permittente ad probationem. Tempus jam monet, & DEUS quasi dato per ignem exploratorium signo jussit, ut sarcinis collectis, de alio post fata vivendi genere serio cogitem, spretisq́ mundanis, quæ hactenus vel mentem occuparunt, vel calamum delassarunt, ad immortales de DEO animaq́ curas me totum componam. Nobile equidem Vir toto Orbe celeberrimus in ipsâ infelicitate sua FELICIS EX ANIMO LITERATI documentum dedit, dum miranda patientia flammas

mas, librariam suam suppellectilem devastantes excepit, *optimumq;* [quæ ipsiusmet verba sunt] *existimavit ea pati, quæ emendari non possint, & DEUM, quo auctore cuncta proveniant, sine murmuratione comitari.* Taceo alios Orbis literati felices incolas, qui esse boni, esse probi maluerunt, quam videri tantummodo aut vocari, BENE VIXERE pariter ac benè DOCUERE, vitam egere pietatis professoribus dignissimâ, donec post multa præclarè actitata & scripta humanis rebus exempti, non tam finivere mortalitatem, quam beatam æternitatem inchoavêre.

XX. Hæc verò felicitas ut cunctis divino beneficio obtingat literatis, pari studio ac diligentia cogitent: Quomodo ad veram sapientiã sit properandum; cumque ipsa temporis rapiditate ita iis sit decertandum, ut pulcherrimum fructum consequantur? Quam in rem haud malè Plinius; *Tanto magis* inquit, *hoc quicquid est temporis futilis & caduci si non datur factis (nam horum materia in aliena manu,) nos certè studiis proferamus; & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.* Magnificentius verò Epictetus; Quo ergò occupatus opere, ait, vis à morte deprehendi? quod ad me attinet, opere aliquo quod dignum homine sit; benefico, gene- Lib. IV. Diss. 10.

 nero-

neroso, in publicum salutari. Quod si hoc supra vires meas fuerit, illud certè conceditur, ut me ipsum emendans, expoliensque, & affectus temperans à morte occuper, quod si contigerit, satis erit posse extensis ad DEUM manibus dicere: Quas à Te facultates accepi, ad intelligendum gubernationem tuam, eique obsequendum non neglexi. Idemque iterum, mihi inquit, in votis est, non alii rei intentum à morte occupari, nisi curandæ menti meæ, ut me perturbatione vacuum, impedimentique & coactionis expertem & liberum, & hoc ipsum toto pectore agentem deprehendat; ut dicere possim DEO, nunquid leges tuas violavi? nunquid facultatibus animi abusus sum? Sed magna hæc sunt Epictete, ardua nimis, fastumque à DEO sacratis hominibus longissimè alienum redolent. Nos Christi discipulos major decet modestia, ne PLUS SAPIAMUS, QUAM OPORTET SAPERE, nihilque amplius sive per CURIOSITATEM, sive inanem gloriam agamus, ut digni videamur adventantis Domini voce: EUGE SERVE BONE ET FIDELIS, &c. Oremus cum Paulo Emisseno apud Cyrillum Alexandrinum, *oremus* inquam *Patrem ut consvetã nobis mensam pretiosaq; & varia Spiritus Sancti esculenta paret*; Nec minus in nostra fronte animoque (semper in rem summè utilem imò UNICE NECESSARIAM, divinæ item voluntatis ultimique eventus centrum

Lib. III. Diss. 5.

Matth. 25. v. 21.

Cyr. Alex. de incarnat. Christi hom. 7.

trum intento,) aurea illa lamina sacerdotalis rutilet, de quâ S. Hieronymus ad Fabiolam: NIHIL NOBIS [scribit] PRODEST OMNIUM RERUM ERUDITIO, NISI SCIENTIA DEI CORONEMUR.



DAN. BARTOL. IN CHARACTERE HOM. LITERATI part. II. p. 131. 132.

LITERATORUM VITIA perinique conjiciuntur in literas, nec debet rei cujusquam naturæ attribui, quod ex pravo solum proficiscitur ejus usu. Solem inficiunt Horizontis sordes; Lunæ maculant globum, repercussæ ex terra exspirationes [si qua errori fides,] stellas motu jactatas perpetuo, aeris vapor nobis repræsentat. Ergone Sol propterea squalidus, maculosa Luna, stellæ instabiles? nihil est tam innocens, quod aliena culpa reum non faciat, si pravos in usus deducatur. Crudelitatis officina est bellum; ambitionis columen sceptrum; lasciviarum illecebra, formæ decor; luxus adminicula divitiæ: Superbiæ pabulum honores; conciliatricula fastus nobilitas. Quid attinet plura percurrere? cum ipsamet sanctitas, in usus deflectatur fictæ probitatis, & vera religio privatarum fiat famula rationum. Non damnat igitur literas usus præposterus, cui coguntur famulari, ut nec floris pulchritudinem aranei, qui venena ex iis conficiunt. Quod si literæ ut sunt lux mentis germana, & propria, sic illud etiam de luce retinerent, ut ex Patre luminum profectæ radios haberent minimè à vero & bono flexuosos, sed instar lucis è Sole progressæ rectos semper, & quocunque ferri oporteat recta propagandos; tantò FELICIORES ex tum forent, quantò mundus iis beatior? Sed cum & hoc optare parum sit, & immodicum sperare, mihi satis fuerit indicasse, ubi sit usus Literarum, nocentior, tum aliis vulgò, tum verò etiam iis perperam utenti, quæ mihi hujus mali duo capita selegi, ad exstimulandum eorum emendationem, quos vitio laborare contigerit.



CORONIS HISTORICO-THEO-SOPHICA,

QUA

FELICIS LITERATI IMAGO EXEMPLIS ET DOCUMENTIS SELECTIORIBUS ILLUSTRATA OSTENDITUR.

I.

HUMANAM FELICITATEM Cyrænaici Philoſophi * quondam delineaturi, Matronam pingebant, comitatu ſuo in publicum prodeuntem,

* Sint licet non pauci, neque exiguæ authoritatis Viri, qui GYRÆNAICORUM philoſophorum ſectam inter omnes longè viliſſimam fuiſſe exiſtiment, utpote quæ in corporis voluptate apicem FELICITATIS abſurdiſſimâ electione conſtituerit; ea res tamen non omni carere dubio videtur, eo quod monſtri ferè inſtar habendum

dum sit, repertos aliquando esse philosophos, & præ imperitâ quidem plebe erud.tionis beneficio sublimiorem scientiam sibi vendicantes, qui usque adeò conditionis suæ & humanæ excellentiæ obliti fuerint, atque in eó, quod omnium maximum est, tam turpiter sint hallucinati. Indigni equidem omni sapientum Virorum fuissent consortio, si in fœdissimis voluptatum corporalium lacunis & paludibus scientiæ pariter ac conscientiæ suæ lamentabile adeò naufragium fecissent, vero itaq; similius est, illos (licet paulò durius & contemptibilius sint locuti,) felicitatis humanæ summam in **ANIMI** voluptate, i. e. Virtutis fructu, & verâ mentis tranquillitate collocasse.

deuntem, majestate etiam ancillis ac pedisequis suffultam, nulloque non cimeliorum ornatam apparatu: Quippe eos duntaxat MORTALIUM FELICISSIMOS esse credebant, qui naturam in ortu non novercam sed matrem habeant, qui fortunam nunquam aspiciant adversam, nullisque ad vitam feliciter transigendam necessariis mediis destituantur. Quam ipsam Matronæ illustris faciem cum probè intuitus esset Boethius, hominis felicitatem omnium bonorum aggregatione perfectum [Cyrænaicorum opinioni hærens] statum esse enunciavit, annuente etiam Pindaro,

Beatus qui simul opes & mentem possidet.

Rectiùs verò priscorum philosophorum alii blandientis fortunæ bona hominis felicitatem adjuvare quidem, at non interiùs conficere aut

constituere existimarunt, siquidem omnia naturæ munera, quodammodo ipsius animi virtutibus respondeant, quæ his deficientibus nullam prorsus mortalibus conciliare conferreque queant prosperitatem. Et licet Demosthenes ille Græcorum sapientissimus, in Clypeo suo fortunam insculpserit, tanquam felicitati dominantem, licet Bupalus omnium primus fortunæ simulacrum pro Numine Smyrnæis adorandum proposuerit, quippe quæ polum capite sustineret, manu verò cornu Amalthеæ gestaret; licet Livius fortunam bonorum omnium ærarium appellaverit; licet Servius Tullius fortunæ erexerit Templum, ad fausta feliciaque omnia impetranda; neutiquam tamen ivêre inficias, solâ VIRTUTE verè beari hominis animum, cui tamen [ipso docente Aristotele] sæpissimè etiam fortunæ munera inserviant, atque ipsius animi felicitati ancillentur. Quinimò idem Peripateticorum princeps exemplo Priami Regis præclarè ostendit, neminem bonorum externorum affluxu ad supremam in hâc vita aspirare posse felicitatem:

Arist. lib. I. Ethic. c. 5.

Ovid.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.
Sed modo læta venit, modo vultus sumit acerbos

Et

Et tantum constans in levitate sua est.

Quam etiam ob rationem Philip. Macedo inso-
lita fortunæ blandimenta velut flagellorum
portenta extimuit, ab ipsismet Græciæ Sapi-
entibus edoctus, prosperitatem hominis (quæ
bonum sit sola virtute solidatum,) neutiquam
à fortuna sortiri posse genituram, quæ con-
stantis jugiter pertæsa moræ, novas semper
quæritet sedes, statim alio migratura. *Sapi-*
ens est (ita præclarè Vir quidam doctissi-
mus) *qui se ipsum noscens, quo tendat, quo*
sua fatigatione collimet ex virtute perscru-
tatur, omnis affulget in virtute sapientia
splendor, ubi virtus molitrices contulit ma-
nus, quibus agitur splendidè. Gloria pla-
nè inanis, ac meritis vacua esset, per artes
omnes ætatem continenter atterere, si vitæ
nota à meta virtutis in suo cursu aberraret.
Solummodò Græci verè philosophantur [aje-
bat Epicurus apud Clementem Alexandrinum]
quod scilicet in Græcia nascerentur, ubi Minos
Jovis contubernio dignatus, inviolanda RE-
CTÆ VITÆ dictaret jura. Non sapien-
tiam, sed fucum duntaxat ejus esse & umbram
judicarunt Veteres eruditionem Virtute desti-
tutam, quinimò amitti sapientiam (ut Seneca
ex Cleanthe loquitur) crediderunt, si Virtus de-
discatur.

Josephus Mariaviglia in Leg. Honesta vita, p. 193.

II. A longo Seculorum decurſo tempore ipſos Philoſophorum Principes nobilis illa quæſtio exercuit: *Utrum homo ARTE potius, an SCIENTIA in ſublimiori Felicitatis ſtatu collocetur?* ARTI plerique conceſſére palmam, eo quod ipſo Ariſtotele docente, ars omnis expetat bonum, atque in bonum ſemper collimet, quod tamen abſit à SCIENTIA, quippe quâ homines ſæpè abutantur, atq; extremũ tandem incurrant exitiũ: Ac licet artes quoq; inveniantur humano generi infenſæ, maleficæ, & exitioſæ, illas tamen eo ipſo quod à bono diſcedant artis amittere nomen ac rationem. Satis equidẽ conſtat, optimarum artium præſtantiâ atque utilitate humanum genus ſummoperè extolli atque juvari; Scientias verò in extremam interdum degenerare inſaniam, cum quidam earum cultores nil aliud agant quam mordere, oblatrare, maledicere & conviciari meliores artium & ſcientiarum omnium veneratores, ac planè innumera mentis inſanæ proferant deliramenta, nihilominus putantes ſeſe ob tanta in literatum Orbem merita Heroum albo eſſe inſerendos, ſibique apprimè blandientes, quod Herculis inſtar neſcio quos Leones Nemeos clavâ ſua percuſſerint, Hydras Lernæas igne interemerint, Apros Erymantheos occiderint, cervos ceperint aurea gerentes cornua, Stymphalidas aves in nubibus ſagittis confoderint, & neſcio quæ

Ariſtot. I. Ethic. ad Nicom.

quæ alia immortali commemoratione digna facinora patrarint. Longè equidem feliciores inflatis hujusmodi [ex scientia] Thrasonibus, turgidisq; literatorib⁹ sunt omnes artium (humano generi magis utilium) cultores atq; propagatores, areis planè similes, omni fructuum genere luxuriantibus, arboribusque proceris, non amœnitate solum, verũ utilitate etiam suâ recreantibus universos. Nil quicquam illi pluris faciunt quam VIRTUTIS SINCERÆ culturam: Quid enim præ reliquis eximium habere, vel propria persuasione, vel aliorum opinione quis possit, si à virtute recesserit, eoque ipso *verissimè* (ut non nemo loquitur) *stultitia egat procum*? Eaque propter felices illæ animæ ARTIS illius rationem potissimam habuere, illi tanquam SOLI inter cætera scientiarum sidera præcipuum concessère locum, â qua HONESTI RECTIQUE dictamen velut à fonte promanat, quæ sola tanquam benigna parens in sinum suum recipit ex aliis artibus scientiisque fessos, ac veluti fatigatos refugas, quos horrenda inflantium scientiarum senticeta diu multumque pupugerunt; quæ sola superata solatur laboramenta, nec non ea quæ congenita sunt nostris ingeniis scientiarum semina ita perficit, ut crescant magis, maturiusque adolescant. Nihil sanè esset ætatem, quæ sponte consumitur, per artes omnes & facultates singulas velle continenter atterere, si nulla speraretur

tur FELICITATIS SCINTILLA, nullus affulgeret beatitudinis ſplendor, cùm ea ſolum ſapientia magni pendenda ſit, quâ non tantum ampliſſima excurrimus diſciplinarum ſpatia, ſed quâ rota vitæ ad virtutem velocius currente, ille paratur quietis portus, ubi ampliſſimo bonorum quæſtu labores noſtros & opera fœneramur. Ad hunc optatæ FELICITATIS [non item ſempiternæ beatitatis] portum inter ipſos Gentilium Philoſophos illi quondam aſpirarunt, qui excellentiori afflati ſpiritu, laudabilem à PHILOSOPHIA ad SOPHIAM tranſitum ſunt meditati, virtutique optimæ & perfectiſſimæ operam dare ſtuduerunt, præclarè exiſtimantes, nullam eſſe hujus vitæ vel â naturæ ſive geniture infelicitate, vel à fortunæ malignitate promanantem miſeriam, quæ omnimodam beatitudinis, dummodo VIRTUTEM pro eo quo cuique datum eſt modulo quis colat, fruitionem eripiat; fruſtra nos indolem ad literas factam, ſcientiiſque univerſis aptatam eſſe conſecutos, parum in curſu diſciplinarum naturæ ductu monituque ſprofeciſſe, ſi paulatim irrepente vitio flaceſſeret ingenium, ſi ſubeunte virtuti ignaviâ depravetur indoles, ſi dominante voluptate, natura ipſa â recto aberraret, atque extra viam, veluti ſaucia contabeſceret, ſi denique ſibi philoſophis, illa ſcientia illaque ars deeſſet, quâ quiſque SE IPSUM NOSCENS, quo tendat, quo ſua

ſua fatigatione collimet, aſſiduè ſcrutetur. Hoc ipſo nomine ſplendidis admodum elogiis SOCRATEM * olim ornarunt Græcorum ſapientiſſimi, quod ſc. contemplatione pariter ac

* *De Socrate hic pluribus agere ſupervacuum eſt, quem Plato & Xenophon tam graphicè expreſſerunt, tam doctè & copioſè dogmata ejus executi ſunt, ut uberius & elegantius quid nec præſtari potuerit, nec ſperari unquam debeat. Laus ipſi meritò debetur introductæ Moralis philoſophiæ, quæ ab Archelao quidem ejus præceptore inchoata, à Socrate verò numeris omnibus perfecta, Athenis poſtmodum egregiè floruit. Ac licet Pythagoras non minus (qui Socrate antiquior fuit) quam ille Ethicam philoſophiæ partem excoluerit, id quod vel ſola ejus Symbola quæ ſuperſunt, probatiſſimum faciunt, ea tamen quæ per Jonicam Sectam apud Græcos fuit propagata moralis doctrina, Socratem potius quam Pythagoram authorem habuit, utpote quem Græci more ſuo barbarum vocare, nec magni adeò placita ejus facere conſueverunt. Cæterum conſtat Pythagoricos olim non cura ſolum publicarum rerum, & amicitiæ ſanctitate, verum ſingulari etiam pietate (in qua felicitatis cardo conſiſtit) præ aliis plerisq; admirabiles fuiſſe, nec minus quam Stoicos & Veteres Academicos in virtute bonorum finem ſummamq; excellentiam*

con-

constituisse. Ast cum me neutiquam lateat, quid inter veras, h.e christianas virtutes, & illarum simulachra intersit, hinc ethnicos illos virtutum magistros, ita in præsenti discursu duxi laudandos, ne plus justo in altum evehantur, vel ea quæ ad Christianos solos spectat sempiterna felicitas, cum gentili illa, fluxâ & temporanea confundatur.

Plutar. in Socratis dæmon.

ac actione jugi illustris, *assuefecerit* (ut Plutarchus loquitur) *IN REBUS IPSIS prudentiam quærere, & sobria ratione persequi veritatem.* Quid Socratis jam jam morituri oratione (à Platone literis mandata) exquisitius? *Si mihi* (dicebat) *Viri Athenienses, in præsentia concedatis vitam hâc conditione, ut ne posthâc in sapientiæ inquisitione verser, diligo quidem vos, sed certum est DEO parere potius, quam vobis, ac quamdiu vivo & valebo, philosophari, atque unum quemq́; vestrum exhortari ad virtutem non desistam.* PLATONEM ipsum tantum non in cœlum usque quidam extulêre, quod primus salutarem de perdomandis affectibus, animique passionibus reprimendis doctrinam tradiderit inculcaritque, veram philosophiam animi sanitatem, cæteras verò facultates, non tam philosophiam, quam ejus tantum ornamenta esse enunciarit, cuncta negle-

Plato in Socr. apolog.

Confer vit. Platon. à Marsil. Ficino conscriptā operibusq́; præfix.

neglexerit humana, eaque penitus contemserit, divinis tantum intentus, quæ sola firma, sola vera stabiliaque esse judicarit, denique data aliis præcepta & documenta ipse factis egregiis impleverit. Pari modo Epictetum, Senecam, Catonem & quosdam alios tanquam SUMME FELICES virtutis sublimioris cultores, omnium humanarum rerum contemtores, ipsoque Alexandro superiores ac præstantiores viros multi huc usque sunt admirati: Epictetus equidem homo integerrimæ vitæ, & à fastu arrogantiaque, quâ omnes ferè laborarunt philosophi alienissimus, immortalem inde consecutus est laudem, quod verò philosopho *sustinendum semper malum & abstinendũ à malo esse* edixerit. Nec min⁹ Solon ac Zenon vitam quam prius inierant quæstuosam relinquentes, sese solius animi studio devovêre, quo felicius ad ipsum beatitudinis portum enavigarent. Sed & SENECA felicibus inter Gentiles literatis est accensendus, quod toto de brevitate vitæ libro, hanc unam vitæ (quam omnes brevissimam querantur) extendendæ rationem esse docuerit, si cæteris rebus omissis publicis privatisq; [quas vel vanas vel exitiosas exitus probet] omnem ætatem veræ illius sapientiæ studiis impendamus, nobisque tandem aliquando vivamus; nec minus sententiis suis insigne pondus morum integritate adjecerit, fortunam expertus novercantem,

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

tem, dignitate exutus & opibus, illuſtria tamen quæque virtutis dederit documenta, inque laudabilis vitæ inſtituto ad ultimum uſque diem perſeverarit. Quodnam ſublimius unquam virtutis exemplar apparuit CATONE, quem ipſe Seneca *vivam Virtutum nuncupavit imaginem*, alii Stoicorum, Herculi & Ulyſſi, monſtrorum domitoribus inſignem illum vitiorum domitorem duxerunt anteponendum, ſupremum vivendi, totiuſq; Romanæ ſapientiæ exemplar ſalutare non dubitantes, eo quod abſonum judicaverit *dicta factis evertere*, notabilique pravitate cunctis inviſam reddere ſalutarem illam ſummæ virtutis doctrinam. Et ſanè tanta eſt Sapientiæ Virtuti ſociatæ præſtantia, ut ex utraque LITERATUS verè FELIX, ad eam vitæ fortunatæ evehatur ſedem, ubi ipſam beatitatis ſummæ faciem, atque incomparabilem deprehendit majeſtatem, adeò liber ac ſui exiſtens juris, ut nullo concludi ergaſtulo poſſit, nullis mœnibus capi, & hâc libertate tanto tranquillius utatur, quanto concluſus carcere corporis animus evolat altius, & mentis, velut cœli, fulgidâ gaudet ſerenitate. FELICEM cumprimis hoc nomine, terq; felicem ac beatum LITERATUM dicendum eſſe illum Ebræorum [quis enim hanc gentem ejuſmodi felicitatis gloriâ omninò exuendam enunciaret?] ſapientiſſimum PHILONEM Alexandrinum, cuilibet Acta ſcriptaque

Sen. lib. de tranquill. animi.

ptaque

ptaque, ejus penitius introſpicienti planiſſimè conſtabit. Etenim cum Philoſophiam haudquaquam amplexus ſit aliorum more ſterilem & infœcundam, ſed omnium Sophorum placitis probè examinatis, non niſi UTILIA & ſalutaria conſectatus, factum, ut ad inſignis tandem illius culmen pervenerit felicitatis, cunctiſque ævi ſui contribulibus ſapientiæ palmam eripuerit: *Per omnes* ἐγκυκλίου παιδείας *gradus* (ait vitæ ſcriptor) *ſcandendo ad philoſophiam emerſit, à PHILOSOPHIA verò ad SOPHIAM, quam chriſtiani Theologiam vocant* κλιμακηδὸν *penetravit, eos obſervans diſcentium gradus, quos ipſe in libro* Περὶ τῆς εἰς τὰ Προπαιδεύματα συνόδου *præſcribit, cum ait,* ὥσπερ ἐγκύκλια συμβάλλεται πρὸς φιλοσοφίας ἀνάληψιν, οὕτω καὶ φιλοσοφία ἐπιτήδευσις σοφίας, Σοφία δὲ ἐπιστήμη θείων, καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων, *&c.* Non verbis equidem ſolum Philo docuerat, ſolam Virtutem veræ felicitatis præſcribere leges, ſolam utilem, ſolamque immortalem, imò propriam ſapientum eſſe civitatem, cunctorumque negotiorum reginam; ſed exemplo etiam ſuo egregiè oſtenderat, *eum quem ex virtute* (ut alicubi ipſe loquitur) *percipiamus fructum, inſignem eſſe FELICITATEM, ut eam fruſtra haudquaquam poſſideamus.* IV.

Confer vit. Philon. opp. ejus præfix.

Vid. opp. Philonis pag. 76. 122. 108. 411. 726.

Philo in lib. quod deterius potiori inſidietur, opp. fol. 120.

IV. Non frustra equidem Virtutem possedit, sed insigni quoque ejus fructu præter Philonē gavisus est alius quoque Ebræorum Magister, doctissimus nimirum ille & celeberrim⁹ Moses MAIMONIDES. Quotquot ex ipsorum etiam Christianorum cœtu hactenus eum celebrarunt, dotibus animi singularibus ornatum fuisse, egregiumque virtutis, pacis item & concordiæ studiosum ab omni ambitione contentioneque prorsus alienum extitisse tradiderunt. Si nobilem ejus ad discipulorum quendam R. Josephum evolvamus epistolam, (non solum præclaræ eruditionis, sed egregiæ etiam virtutis documentis refertam,) clarissimè apparebit, quamobrem à priscis Ebrææ gentis magistris dictum fuerit, *à Mose* [Propheta) *ad Mosen* [istum Ægyptium] *non surrexisse sicut Mosen* (Majmonidem) qui doctrina sc. virtuteque Mosi legislatori sit æquiparandus. Et cum alias communissimè eum Ebræi appellent מוֹרֶה צֶדֶק DOCTOREM JUSTITIÆ, אוֹר הַגּוֹלָה LUMEN CAPTIVITATIS, summèque fausto sidere natum fuisse pronuncient, liquidò constat, Maimonidem tantæ FELICITATIS LITERARIÆ apicem non nisi virtutis [insigni sociatæ eruditioni] adminiculo attigisse. Notari cumprimis meretur illustre Cunæi elogium in Mosis illius Ægyptii honorem conscriptum: *Est* (in-

Maimon. ep. ad R. Joseph. quæ incipit בבר העיר

(inquit) *in admiratione hominum Scriptor maximus, MOSES BEN MAIMON, is qui Talmudicam doctrinam sepositis nugamentis feliciter complexus est divino illo opere quod ipse* משנה תורה *appellat. Nunquam ita magnificè quicquam de illo authore dicemus, QUIN ID VIRTUS SUPERET EJUS. Fato enim quodam & sorte nascendi primus solusq; in illa gente rectè intellexit, quid hoc sit NON INEPTIRE, &c.* Nec aliam ob causam à quibusdam Mohammedanis dictus est SECULI SUI PHOENIX, OMNISQUE SCIENTIÆ GENERE CLARUS DOCTOR, quam quod illustria adeò doctrinæ pariter ac virtutis suæ dederit documenta.

P. Cunæ lib. I. de Rep. Ebraor. c. II. p. 11. 12. Confer Buxt. præf. ad Maim. Doctor. Perplex. Item Pokokii præfat. ad portam Mosis.

V. Sed & ex ipso vastissimo SINARUM Imperio FELICEM ejusmodi advocabimus LITERATUM, qui iisdem artibus summam apud suos gloriam & existimationem obtinuit. Est illi nomen CONFUTII, qui quingentis quinquaginta uno annis ante Salvatoris incarnationem inter Sinas septuagenario major ità vixit, ut non exemplo minus quam doctrinâ singulari cunctos in sui rapuerit admirationem, atque inter omnes Philosophos Sinicos MAXIMI appellationem sit consecutus. Tantam illi virtutis solidæ præconium ac exercitium conciliavit authoritatem, ut nullum ejus

effatum à Sinarum etiam doctissimis & acutissimis vocetur in dubium. Quid quod præter literatos ipsi etiam Sinarum Monarchæ, eum per tot retro secula maximè sint venerati, scriptaq; ejus præclaris referta documentis moralibus in summo semper habuerint pretio? *Quanto altius attollebamus oculos* (ajebat olim memorante Martinio Yenyvenius insignis Sinarum Orator & Philosophus) *tanto major erat CONFUTII virtus, quanto magis eam penetrabamus, tanto erat solidior, atque impenetrabilior. Primo aspectu æstimantibus communis & vicina videbatur, ac repente à nostra longissimè distantem cognoscebamus. Magister noster pulchrè atque ordine homines docebat, nostram scientiam continuo minorem reddebat, compendiaria ritus omnes via docebat. Optabam sæpè ab illius doctrina discedere, nec poteram, omnes ingenii nervos intendebam, ut aliqua intelligerem. Nemo enim pervenire ad CONFUTII VIRTUTEM potest, uti nec admota qualicunque scala cœlum adscendere.* Quandoquidem verò felicissimi hujus Literati scripta (quinque apud Sinas distincta voluminibus) varia BENE BEATEQUE vivendi, & Reip. laudabiliter gerendæ

Marti. lib. IV. hist. Sin. p. 132.

prace-

præcepta contineant; unicum duntaxat ex iis idq; illuſtre de verâ eruditorum hominum felicitate, atq; emergente ex virtutis ſtudio ſummâ utilitate documentum duximus delibandum, quo conſiderato liquidò conſtabit, Sinico illi Confutio palmarium quendam inter literatos feliciores locum neutiquam eſſe denegandum: *Magna* (ſcribit ille ſub primi voluminis initium,) *ſive Magnorum Virorum doctrina in eo poſita eſt, ut cum quiſq; ſe ipſum perfecerit, alios quoq; perficiat, ſic ut omnes unum hoc eſt ſummum bonum conſequantur. Sed ſui ipſius perfectio in eo conſiſtit, ut quiſque lumen naturale in ſe accendat, clarumque reddat, ita ut à lege naturæ præceptiſque à natura inſitis nunquam exerret. Quod quia ſine verâ rerum cognitione, ſcientiaque fieri non poteſt, inde philoſophiæ danda eſt opera, per quam quæ agenda, quæque fugienda ſunt ſcientiam habeamus. Hâc ſcientia conſilia noſtra dirigimus; hâc voluntatem, hoc eſt utriuſque actiones perficimus, ut nihil ſentiamus, nihil velimus, niſi quod eſt rationi conſentaneum. Exinde corporis etiam exiſtit, ſenſuumque perfectio, & in externis actionibus apta ex virtute conſtitutio, quæ nunquam proventura eſt, ſi*

Vide Martin. l. c. l.b. IV. pag. 129.

non è bona mente velut è fœcunda matre efflorescit. Nihil equidem à veritate dixerimus alienum, si nobile hoc doctrinæ Confutianæ monumentum universæ philosophiæ sive humanæ sapientiæ compendiū nuncupaverimus, quo brevissima tutissimaque ad felicitatem literariam [in hâc quidem vitâ parabilem] via ac ratio ostendatur. PRINCIPIA inibi invenias, seu prima illa felicitatis rudimenta, congeniti luminis splendore collustrata; MEDIA adhæc ejusce felicitatis; accuratam nimirum Rerum cognitionem, actionum voluntatisque perfectioni sociatam. Nec minus sanam Rationem normæ cujusdam seu regulæ nomine insignivit Confutius, *(ut sc. nihil sentiamus, nihil velimus, nisi quod RATIONI sit consentaneum)* denique emergentem ex assiduo virtutis exercitio utilitatem CORPORIS SENSUUMQUE PERFECTIONE optimè indigetavit. Talis cum fueris CONFUTI, utinam noster h. e. Christianus fuisses.

Confer Comment. de Reliter. Sinensiū Sect. IIX. p. 126. seqq.

VI. Nec minus illustria felicitatis CONFUTIANÆ documenta reperiuntur in libro quem de Sinarum scientiâ politico-morali ad Confutii mentem PROSPER INTORCETTA Siculus, Missionis Jesuitico-Sinicæ procurator Goæ anno 1669. in lucem edidit, anno superiore autem PETRUS LAMBECIUS

P. Lambecius Tom. VII Commentarior. de Bibl. Vindobon. p. 349. seq.

CIUS S.C.Maj. Bibliothecarius septimo suo de Bibliothecâ Vindobon. volumini duxit adjungendum * (sed latinè tantum & absq; characteribus Sinicis) additâ etiam Magni illius CONFUTII vitâ, ex antiquissimis Sinarum monumentis desumptâ. Quandoquidē verò (ut scitè Erasmus ait) *id quod à Chaldæis aut Ægyptiis* (aut Sinis) *adfertur, ob hoc ipsum acrius avemus cognoscere, quod è peregino sit Orbe deportatum, & pretii pars sit è longinquo venisse*; non pigebit insigniora quædam, tum libelli illius politico-moralis, tum vitæ Confutianæ loca notasse, quibus clarissimè appareat, Philosophum illum Sinicum Literatorum etiam felicissimorum albo esse inserendum: *Quod à Cœlo inditum est* (ita Sinica Prosper Intorcetta de verbo ad verbum reddidit,) *dicitur Natura rationalis; quod conformatur huic naturæ, dicitur regula; restaurare hanc regulam dicitur INSTITUTIO. Regula hæc non potest momento temporis abesse; si posset abesse, non esset regula: Hâc de causa perfectus vir attendit & invigilat in his etiam, quæ non videntur; timet ac pavet in his etiam, quæ non audiuntur. Non apparent quia recondita: non sunt manifesta, quia subtilia, ideò perfectus Vir invigi-*

Des. Erasmus in adhort. ad Christ. Philos. stud. tom. V. opp. fol. 117.

* *Primum prodiit hic liber 1667. in Sinici Imp. Metropoli Quamcheu, dein Goa 1669.*

vigilat sui secreto. CONFUCIUS *ait: Perfectus vir tenet medium, improbus praevaricatur medium. Vir perfectus habet medium, & quia perfectus est, ideò semper tenet medium, Improbus etiam habet medium, quod teneat, sed quia improbus, ideò non veretur illud praevaricari.* CONFUCIUS *ait: Medium ô quam illud sublime, quod è vulgo* (literatorum) *pauci illud teneant, jam diu est.* CONFUCIUS *ait: cur via haec* (scilicet veræ solidæque virtutis) *non frequentetur, ego novi, quia scil. prudentes* (seu doctiores) *transgrediuntur; rudes non pertingunt. Cur item via hæc non sit perspecta, ego novi, quia scil. sapientes excedunt; inertes non attingunt.* - - CONFUCIUS *ait: viam hinc non frequentari, proh! quam dolendum!* Et post quædam alia, viam ac rationem ad medium illud perveniendi egregiè Confutius verbis sequentibus ostendit: *Restaurantes nativæ bonitatis particulam, poterunt obtinere solidam perfectionem: ubi assecuti fuerint solidam perfectionem, mox illa sese prodet: ubi sese prodiderit, mox illucescet: ubi illuxerit, mox lucis radios latè diffundet; ubi*

ita

ita irradiaverit, eo ipso motum faciet animorum; ubi motum fecerit, jam MORUM MUTATIONEM inducet, ubi mutationem induxerit, eo ipso Conversionem efficiet. Et mox: *Hæc vera solidaq; ratio, seu perfectio est rerum omnium finis & principium, si desit rebus hæc vera solidaq; ratio, seu perfectio, non erunt res. Hâc de causâ sapiens & probus Vir veram hanc solidamq; perfectionem æstimat maximi. Verè perfectus quia non ipse perficit se solùm, & hic sistit, propterea perficit etiam res* (animas imperfectiores) *alias perficere se ipsum amoris est, perficere res, providentiæ est. Et hæ quidem nativæ virtutes sunt; has autem unire applicando externis & internis, regulæ est: adeoq; suis temporibus exercere convenientiæ est. Propterea perfectus nunquam cessat. Si nunquam cessat; ergò perdurat: si perdurat, ergò per effectus se prodit. Si per effectus se prodit, ergò latè longeq; diffunditur: si latè longeq; diffunditur, ergò amplus & profundus: si amplius & profundus, ergò sublimis & CLARUS.* Ad hunc planè modum CONFUTIUM ipsum sese gessisse, nec verbis solùm, sed

vita ipsa, moribusque & exemplo proprio boni sapientisque Viri Ideam expressisse, ex vitæ ejus (quam antea laudavimus) historia clarissimè apparet. Etenim cum annorum quindecim adolescens [ita ibi legitur] totum se dedisset priscorum libris evolvendis, rejectis iis, quæ minus utilia videbantur, optima quæque documenta selegit: PRIMUM expressurus ea suis IPSE MORIBUS, deinde aliis quoque ad imitandum propositurus. Ardens atque indefessum studium divulgandæ per totum Imperium sanioris doctrinæ ad extremum usque spiritum non remisit; cumque viri ardor patriis finibus ægrè contineretur; non semel de navigando mari, terrisq; remotioribus adeundis cogitavit. Discipulos numeravit 3000. &c. Omne autē studium ac doctrina Philosophi hujus eò collimabat imprimis, ut naturam ignorantiæ tenebris offusam, vitiisque depravatam revocaret ad pristinam lucem atque integritatem, cum quâ à cœlo conditam fuisse asserebat. Quo autem certius attingeretur hic scopus, volebat omnes obsequi Cœlo [h.e. DEO] ipsumque timere & colere; amare proximum sicut se ipsum; vincere se, atque appetitus suos subdere rationi, nec quidpiam agere, dicere, vel etiam cogitare, quod ab hâc esset alienum. Porrò quæ scripto verboque præcipiebat, primus ipse moribus exprimebat ac vitâ &c. Certè quemadmodum sectatores ejus tradunt, mira

quæ-

quædam fuit Viri gravitas, & corporis animiq; moderatio, fides, æquitas, lenitas singularis. Severus erat ac pervigil sui ipsius observator & censor, contemptor opum honorumq;, hoc agens unum studio prorsus indefesso, ut doctrinam suam quam plurimis mortalium impertiret. Quis itaque hunc virum omne felicitatis [in hâc vita parabilis] punctum tulisse dubitaret?

VII. Ad longè excelsiorem verò, solisque fidelibus LITERATIS promissam FELICITATEM hactenus aspirarunt CHRISTIANORUM sapientissimi, vitæ suæ, tot miseriarum turbinibus agitatæ calamitatem spe multò beatioris immortalitatis condientes, atque nil magis optantes, quam ut è spissis seculi hujus tenebris, & infinitarum vanitatum absso liberati, admirabilique divinæ sapientiæ luce collustrati, tandem aliquando in felicissimum illum cœlestis gloriæ portum, perpetuæq; prosperitatis Paradisum transferantur. Et cum in verâ animi sui tranquillitate summam FELICITATEM quærendam fruendamq; esse reputarint, hinc prima eorum ac præcipua post acceptum fidei salvificæ donum cura fuit, terrena cuncta despicere, ad divina tantum aspirare ac cœlestia, operamque navare strenuam, ut sine graviori conscientiæ remorsu ætatem transigere, favorisque cœlestis scatebra semper gaudere queant. Tales eorum MORES fue-

re, quales sermones, tale exemplum, quale dogma, ut vixisse eos moribus, docuisse exemplo, præivisse ad honesta omnia virtute incomparabili satis fuerit perspectum. Et cum haud ignorarint verè FELICES illæ animæ, quantum momenti adferat præceptis BONUM ipsius Doctoris exemplum, [utpote quod præcipuè respiciant homines, & quo destituti Doctores omnium ludibrio & certissimæ exponantur irrisioni,] hinc tanto ardentiori studio Virtuti omnigenæ operam navavêre, & animatæ quasi pietatis sinceræ extitêre imagines. Prima eorum [ut modo diximus] præcipuaque post acceptum fidei salvificæ donum cura fuit terrena cuncta despicere, pluris ignominiam crucis ducere, quam omnes mundi laudes & honores & glorias, fide & charitate sincera omnigenæque pietatis exercitio DEO inservire studentes. Hos inter illustres supremæ Sapientiæ [quæ Christianis solis est propria] Doctores & Professores honorificum olim locum obtinuit ille Literatorum à profanæ doctrinæ & vitæ vanitate ad sinceram pietatem conversorum FELICISSIMUS, * JUSTINUS MARTYR, qui cum inter gentiles primas olim tenu-

* *Admirandam Justini ad DEUM conversf. ex ipsiusmet Dial. cum* Tryph. *Judeo exposui in pio liter. Hom. Secessu, fol. 35. seqq. conf. Vet. Acad. J. C. p. 33. seqq & Commentation. ult. p. 1006.*

tenuisset, puram postea Sapientiam sicut thesaurum perscrutatus invenit, possedit, atque communicavit cum pluribus, qui INFELICES Ethnicorum pariter ac Ebræorum literatos manifestæ fatuitatis convicit, eque multis certaminibus Victor, & tot fere trophæis, quot conscriptis à se libris gloriosus, tandem in laudatissima Martyrum propugnatione & ipse pulcherrima Martyrii corona est muneratus. *Nos itaq; DEI metu* (scribit alicubi) *perculsi, sermones instituere & miscere colloquia secundum scripturas satagimus, idque non pecuniæ, non gloriæ, non voluptatis, sed COMMUNIS duntaxat UTILITATIS studio, siquidem nemo nos alicujus istorum vitiorum arguere poterit.* O verè FELICEM, ô summè beatum LITERATUM! qui ex DEI quo agebatur spiritu nefas esse duxerat, eruditionis suæ talenta, aut vana deterere ostentatione, aut in otii & inertiæ fundo turpiter defodere. Quo ipso egregiæ felicitatis charactere apprimè conspicuus fuit Cæcilius CYPRIANUS, postquam idolorum cultum, pariter ac adamatas pridem vanæ profanæque Scientiæ copias, litigantium rixas & contentiones, Rhetorum mendacia, Senatorum dignitatem, gloriam fluxam & fragilem, aliaque omnia veræ fidei ac sinceræ pietatis amore reliquisset, Mundanaque omnia alto

Justin. Mart. in Dial. cum Tryph.

alto despiciens supercilio, EI tantum qui OPTIMUS MAXIMUS est vivere cœpisset: *Dæmonum cultor erat* (ita de Cypriano Nazianzenus) *qui Christi postea discipulus evasit, & persecutor accerbissimus, qui postea Magnus VERITATIS propugnator extitit, atq; & RE & VERBIS (nam utriusque summam vim ac facultatem habebat) viam nostram turbabat, qui utraq; re peregregiam Christianis operam navavit*, ad supremum tandem FELICITATIS Christianæ fastigium evectus. Attigit eundem prosperitatis apicem MAGNUS etiam BASILIUS, postquam à teneris in omnem profanæ eruditionis disciplinam incubuisset, & sub Magistris fidei ignaris Libanio & Eubulo tantos fecisset progressus, ut insignis & excellens Grammaticus, Rhetor, Philosophus, Medicus, Geometra, Musicus, Astrologus, & Poeta evaserit, & à Libanio ipso alter quidam Homerus, Plato, Aristoteles, & penè omnisciens Susarius appellatus fuerit. Sed tandem aliquando salutaris scientiæ christianæque pietatis amore captus, imò velut è gravi somno expergefactus, terrenæ illius fluxæque sapientiæ agnovisset infelicitatem, atque ad Evangelicæ veritatis admirabile lumen respiciens, ductorem seu fidelem hodogetam ad veræ felicitatis arcem anxiè efflagitasset: *Ego sanè* (scribit ipse ad Eustha-

Nazian. Orat. 18. in laud. Cypriani hab.

Eusthatium quendam) *postquam multum temporis vanitati impendissem, & omnem propè juventutem inani studio attrivissem, quo tenebar, cum apprehendendis infatuata à DEO sapientiæ disciplinis immorabar; Tandem aliquando, ubi velut ex gravi somno expergefactus, ad Evangelicæ veritatis admirabile lumen respexi, agnovique inutilitatem* (infelicitatem) *Sapientiæ Principum hujus Mundi, qui abolentur, deplorata plurimum miserabili mea vita, Ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis dogmata me introduceret.* Quem cum divina tandem impetrasset benignitate, *atque* (ut ipse loquitur) *per TIMOREM DOMINI probè eruditus*, inque salutari ejus Gymnasio præclarè exercitus, veram deinceps pietatem ferventiori studio excolere statuisset, magis amare desiderans quam scire, magis pati quam gaudere, suaque illustria dona divinis solum consecrasset obsequiis; factum, ut tandem & ipse LITERATI SUMME FELICIS axiomate sit condecoratus. Habuerat Basilius in consequendis supremis hisce Academiæ Christianæ honoribus socium & competitorem quasi GREGORIUM Nazianzenum, *Virum* (juxta Ruffini Aquil. elogium) *per omnia in-*

Basilius Magn. in LXXIX. ep. ad Eusthat. Sebast. Episc.

Basil. M. com. in Ps. 32.

Ruff. in prologo opp. Naz. Tom. I. f. 275.

incomparabilem, qui verbo & operibus clarus, ſpendidiſſimum lumen Scientiæ Chriſti Eccleſiis præbuit, dum ea docuit, quæ fecit, nec ſe ipſum condemnavit agendo contraria quam docebat. Hic inquam Gregorius, licet à teneris omnem profanæ eruditionis diſciplinam didicerit, & à Magiſtris Gentilibus edoctus, vix tantum bonæ eruditionis quantum blandi veneni hauſerit, Poeticæ non minus quam Rhetoricæ artibus ſtrenuè invigilando; attamen Cœleſtis Sapientiæ amore tandem & ipſe captus, profanæ valedixerat vanitati, abjectoque Sophiſtarum faſtu, ſpretiſq; litigantium literatorum rixis & contentionibus, cum Baſilio ſuo fidelem illum deſideraverat & impetraverat manuductorem, cujus beneficio & ipſe illud ſummæ FELICITATIS iter ſcandere cœpit, tandemque ad optatam imperturbatæ tranquillitatis ſedem devenit.

VIII. Quanto periculoſius Chriſtianus ille Ulyſſes D. AURELIUS AUGUSTINUS, Manichæorum pariter ac voluptatum carnalium impetu raptus, cæcaque offuſus caligine, inter frendentia maria quaſſaſque tabulas plus quam decem annis erravit; tanto avidius tandem illum VERÆ ſummæque FELICITATIS portum [divina opitulante gratia] quæſivit, & poſt vocem cœlo delapſam, poſt deploratum pejoris vitæ ſtatum, poſt inteſtinas

eaſque

easque diuturnas procellas sedatas tutissimam ibi mansionem invenit. Cum diu in omnes nutasset partes, ceu navis undique ingentibus fluctibus in medio ponto cingitur, sic ejus mens [semper in diversa abiens] fluctuasset, ipseque inter doctos doctissimus ferè cecidisset; divina voce TOLLE LEGE, TOLLE LEGE est excitatus, atque velut è gravi somno (pariter ut Magnus ille Basilius) expergefactus, in hæc notatu dignissima erupit verba: *Quid patimur? quid est hoc? surgunt indocti, & cœlum rapiunt, ET NOS cum DOCTRINIS NOSTRIS sine corde, ecce, ubi volutamur in carne & sanguine?* Et quamvis hæ ipsæ difficultatum carnalium ferreæ portæ obstiterint, quo minus Augustinus citius ad optatæ felicitatis scopum pervenerit; IS tamen, qui portas conterit æreas vectesque ferreos confringit, perplexum ejus animum ita serenavit, ut voci divinæ morem impigrè gesserit, hostibusque immanibus profligatis, altissimam animi tandem aliquando consecutus sit tranquillitatem. DIRUPISTI (exclamabat lætabundus) *Domine vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis; laudet Te cor meum & lingua mea, & omnia ossa mea dicant Domine quis similis Tibi:* Et rursus: *vocasti & rupisti surditatem meam, coruscasti & fugasti cæcitatem meam, tetigisti me & exarsi in pacem tuam,*

Confer Pium nostrum secess. p. 53.

August. lib. IX. Confess. cap. 1.

tuam. Placuit in conspectu tuo reformare deformia mea; & stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem certior esses aspectum. Felicium hujusmodi Literatorum albo inscribendum etiam esse HILARIUM Pictaviensem (quem ob singularis doctrinæ copiam, & longè lateque exundans facundiæ flumen Hieronymus vocavit LATINÆ ELOQUENTIÆ RHODANUM) nemo dubitabit, quisquis ex primo ejus de Trinitate libro viam ac rationem didicerit, quâ ipse ad veri DEI cognitionem & cultum [adeoq; summæ felicitatis literariæ portum] cœlesti beneficio devenit. Antequam scil. Religioni nomen dedisset, sese de optima vivendi ratione seriò cogitasse memoravit, statimque repudiasse vitam in otio & opulentia transactam, quia indignum esset, homines (præsertim literatos) in ventris & naturæ officium se natos arbitrari, magis autem aliorum sibi arrisisse placitum: BENE VIVERE NIHIL ALIUD ESSE, QUAM BENE AGERE ATQUE INTELLIGERE; quia tamen hæc doctrina convenientia tantum humano sensui præcepta tradat, hinc animum suum festinasse tanti muneris [beatæ sc. ac SUMME FELICIS Vitæ] parentem DEUM cognoscere, cujus famulitio se nobilitandum existimaret, ad quem omnem spei suæ referret opinionem, cujus beneficio ad diu multumque

Hieron. praef. super epist. Pauli ad Galat.

Hilarius lib. I. de Trin. sub init.

que

que desideratæ prosperitatis metam pertingeret, in cujus bonitate denique tanquam tutissimo in portu requiesceret. Maximè verò nomen & honorem verè FELICIS LITERATI insignis ille Philosophus Christianus Hilarius obtinuit, cum post gravissima certamina immarcessibilem perpetuæ FELICITATIS coronam recepisset.

IX. Neque verò tot inter felices Doctores silentio prætereundus est Sanctus ille Stridonensis HIERONYMUS, cum ipse quoq; post acquisitam indefesso labore omnigenæ eruditionis copiam, post navatam Donato in Grammaticis, Victorino in rhetoricis, Barrabano Judæo in hebraicis strenuam & diligentem operam, insignis tandem supremæ philosophiæ cœlestisque sapientiæ cultor evaserit, pariterque felicis ex christiana Virtute Doctoris elogium sit consecutus. Salvificis etenim imbutus dogmatibus, vivâque præditus fide omnem profanè literatorum respuit vanitatem, DEO duntaxat vivere, suæque militiæ finem (ut ipse loquitur) non terræ & temporis, sed cœli & æternitatis regnum esse voluit, nihil amplius præferre statuens ei, qui verus est Pater & Imperator æternus: *Cui enim* (pergit) *rectius vitam nostram impenderemus* (ô LITERATI) *quam illi à quo ipsam accepimus? - - Præterit hujus mundi figura, & qui hunc mundum dilexerint, cum mundo peribunt. Illi ergò mili-*

litemus, qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ, honorem regni cælestis, divitias hæreditatis suæ, & divinæ cognitionis consortium perenne largitur. Et quia Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, talis violentia DEO grata est, quæ neminem concutit, nullius damno nititur. In hanc rapinam manus tuas mitte (ô literate) *quæ crimen non habet. Sollicitudines enim nostræ carnales quanto chariores sunt, tanto plus nos discruciant & fatigant. Ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus ita acquiescit* (literati hominis) *animus, ut cruciatu careat, dum necessitudines suas aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto, in utroque sustinendis miseriis semper obnoxius est. Commuta ergò in melius vitam tuam, ut DEUM habeas protectorem.* En novam Literati ex animo felicis nobilissimamq; ideam! Magnum etiam BERNARDUM intueatur, quisquis egregium FELICITATIS christiano-literariæ exemplar, & fulgentissimam imaginem cernere desiderat, ejusque memorabilem à profanæ scientiæ vanitate, ad pietatis solidæ dogmata consideret introductionem. Insignes nimirum ille in literarum artiumque studiis

ſtudiis fecerat progreſſus, cunctoſque ævi ſui literatos doctrinâ ſuperaverat, imò (Guilielmo Abbate teſte) mundum ejuſque principem exterius ſibi multa, ſpes majores ſed fallaces omnes, & vanitatum vanitates offerentes viderat, cum veritas ipſa jugiter inclamaret: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & invenietis requiem animabus veſtris.* Itaque ſollicitè inveſtigare incipiens Bernardus, ubi certius feliciuſque animæ invenire poſſit requiem, ignitum illum & ferventem cum Baſilio exoptavit Timoris Dominici Spiritum, qui viam à profanæ doctrinæ vanitate ad ſinceram pietatem, ſempiternamque felicitatem oſtenderet. Quâ tandem aliquando repertâ, literatis omnibus carnalis vitæ miſeriam, laudumque & voluptatum omnium fallacias diſertè poſuit ob oculos: *Vanus utiq; (ait) labor eſt, qui ſtudio vanitatis aſſumitur, ô doxa doxa in millibus mortalium nihil aliud quam aurium inflatio vana, & tamen quantam putas INFELICITATEM hac ipſa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit*, additque Bernardus, hinc cervicoſum provenire furorem, ſuſpicioniſque laborem anxium, hinc livoris crudele tormentum originem trahere, & cremantis invidiæ miſerabilem cru-

..o-ſer pium ſeceſſ. p.91. Guil. Abbas in vita Bernardi.

Matth. XI.

ciatum, qui non nisi sinceræ pietatis (unde vera literati hominis felicitas pendeat) studio & exercitio evitari possit.

X. Quo verò piaculo prætercam aureum illum Ecclesiæ Veteris florem, seculique sui illustre decus ISIDORUM PELUSIOTAM? Is quoque eruditorum FELICISSIMIS est accensendus, & veluti vivum expressumque vitæ christiano-literariæ exemplar proponendum, qui claris & piis natus parentibus, non solùm IN OMNI DIVINA HUMANAQUE SCIENTIA * ad summum eruditionis fastigium est profectus, verum etiam vitam in carne angelicam duxit, & post initam cum DEO familiaritatem totum Terrarum Orbem divinis suis sermonibus epistolisq; (cœlesti simul sale & gratiâ exuberantibus, omnemque ferè utriusque Testamenti Scripturam enucleantibus) illuminavit. Et cum eædem † præclaris sententiis ac

* *Hoc elogio Isidorus Pelus. ornatus est in Menæis Græc. ad d. IV. Febr. eademq; leguntur in novo Græcorum anthologio Romæ sub Clem. IIX. excuso, conf. Evagr. in Isid. Niceph. lib. 14. c. 30. & Sixt. Sen. in Bibl. S.*

† *Sunt epistolæ istæ* [scribit Billius editor] *perbreves ferè omnes, & perpetuo quodam Laconismo contextæ, sed doctrina utilitate copiosæ. Nam ut verum D. Joh.* Chry-

Chrysostomi discipulus & imitator totus in formandis moribus occupatur, VIRTUTIS locuples laudator & preco, & vitiorum acerrimus insectator - Me certè dicam ingenuè, omnes Isidori Pelus. epistola, dum lego, lego autem sæpius ita afficiunt, ut nihil in hoc genere sive ad animi passiones reprimendas, sive ad propagandam veram sinceramq; pietatem illustrius extare existimem.

is ac brevibus adhortationibus perutilem semper lectori infigant aculeum, operam is neutiquam perderet, qui inde VERE FELICIS numerisque omnibus beati tum LITERATI, tum DEO sacrati hominis imaginem duceret exprimendam, atque Isidoro prælucente ostenderet, quo ardore erga honestatem, erga Ecclesiam, erga virtutem denique omnigenam flagrare debeant ii, qui de verâ felicitate consequendâ apprimè sunt solliciti. Quid de sum̄a Viri in sceleratis doctoribus (h. e. verè infelicibus literatis) imò ipsis Clericis flagitiosis corripiendis dicam parrhesia? Sic enim pseudo-presbyterum Zosimum, scelerumque ejus ξυνωρίδας Maronem, Martinianum, Eusthatium atque Eusebium ordinis sacri strumas castigavit, sic stylum adhortando strinxit, ut validissimos ad resipiscendum subdiderit stimulos, & à moribus depravatissimis, in veræ virtutis, ac simul VERÆ FELICITATIS viam miseros istos er-

rones deduxerit, immortali propterea encomio longè dignissimus. Cujusmodi etiam laudum præconiis ornandi sunt alii christianæ pietatis felicissimi Doctores & propagatores, utpote JOHANNES CLIMACUS, qui eam quam sollicitè exædificavit Virtutis SCALAM [inde Climaci sortitus appellationem] ipse conscendit impigrè, cunctisque licet artium & disciplinarum studiis fuerit excultus, sinceram tamē in Academia Christiana professus est simplicitatē, omnemq; profanæ sapientiæ fastum penitus proscribens, ad summæ virtutis fastigium veramque christiani Doctoris beatitatem felicissimè adspiravit; JOHANNES item CASSIANUS, Collationibus suis (quibus ad optima quæque & maxima feliciter præclareq; gerenda piè literatum hominem idoneum reddidit,) salutaribusque institutionibus, ad vitæ potissimum christiano-ecclesiasticæ emendatio spectantibus, in Orbe universo decantatissimus; VENERABILIS BEDA, ob variam doctrinam pariter ac singularem virtutem suam maximis dignus elogiis; ALBINUS sive ALCUINUS ejus discipulus, Abbasque Torunensis, eruditione non minus quam virtute singulari eximius, Magni Caroli informator; * ANSELMUS Cantuariensis ille beati-

Confer Acad. Vet. J.C. p. 109. seqq.

Opera Cassiani cum Alardi Gazei comment. edsunt Atrebati, 1628.

Albini seu Alcuini opera curâ Andreæ Quercetani prodiere Parisiis, 1618.

* *Conf. Anselmi Cant. tractat. de quatuordecim beatitudinibus, quarum septem ad corpus, totidem verò ad animam pertineant.*

beatitudinis veræ non præco ſolum & encomiaſtes, verum ſectator etiam impiger & indefeſſus; & ISIDORUS HISPALENSIS, præclaris de Summo Bono, ſive imperturbata hominis (etiam literati) felicitate commentationibus illuſtris, *qui* (Braulio quodam Epiſcopo teſte) *univerſam Hiſpaniam tam boni operis exemplo, quam doctrinæ famâ velut ſplendidiſſimus Solis radius illuminavit.* Ac licet inſignes hoſce pietatis virtutisque chriſtianæ Doctores ævum exceperit, INFELICIS nomine quamplurimis ſcriptoribus notatum; ſeculaq; ſui aſperitate ac ſterilitate planè ferrea, & paſſim exundantis mali deformitate plumbea ſint ſubſecuta; attamen clariſſimè in iſta etiam temporum caligine apparuit: *Nullum adeò Virtutum ſterile eſſe ſeculum, ut non & bona exempla prodiderit.* Illuſtria inquam ſuperſunt Scriptorum [qui OBSCURIS illis vixêre temporibus] & verè FELICIUM aliquot LITERATORUM monumenta, utpote RICHARDI DE S. VICTORE; [cujus præclarum de ſtatu interioris hominis eloquium ſolidum & im̃obile præ ſe fert animi à doctrinæ profanæ vanitate ad pietatem chriſtianam verè converſi fundamentum;] AELREDI * item Rhie-

Tacitus I. Annal.

Confer opera Richardi de S. Vict. edit. Col. 1621. part. I. p. 36. ſeqq.

* *Opera Aelredi lucem viderunt Pariſ. 1654. quæ inter palmam obtinet Speculum charitatis, egregiis inſtructum ſententiis.*

Rhievalensis quondam in Anglia Abbatis, [Viri ex Trithemii elogio in Sanctis scripturis judi studio exercitati, secularisque philosophiæ non ignari, ingenio mitis, eloquio dulcis, DEVOTIONE præcipui;] PHILIPPI Bonæ Spei* Abbatis, cujus scriptiones doctrinâ pariter ac pietate profundâ scatentes, & paribus ferè periodorum numeris deductæ similiterque cadentes orationes, multis haud abs re summæ fuerunt admirationi; ALANI AB INSULIS, Viri non solum in divinis Scripturis, sed secularibus etiam literis eruditissimi, Theologique [ut Trithemius ait] Poëtæ & Philosophi celeberrimi, qui tamen insignis humanæ gloriæ spretor, magnusque amator humilitatis evasit, atque eximiæ pietatis monumenta moralia & parænetica [quæ inter Suma Virtutum & vitiorum eminet, cum libro de planctu naturæ, & alio de pœnitentiâ volumine] reliquit posteritati; denique & PETRI illius BLESENSIS, cuius eximiam erga DEUM charitatem (quæ cardo omnigenæ est FELICITATIS) singula monumenta, epistolica præsertim, contestantur, in quibus svavissimus quidam christianæ pietatis odor ita legentium animos afficit, ut illi nescio quibus igniculis se totos penetrari atque inflammari sentiant.

Johan. Trith. in catal. Scriptor Eccles.

Petri Blesensis Scripta variis illustrata notis ante triennium denuò prodiere Paris. in fol.

** Philip. Abbatis Bonæ Spei opera prodiere Duaci 1621. Alani ab Insul. opera moral. & paræn.*
† ed. Antvverp. 1654. conf. Andreæ Saussai martyroleg. Gallic. anno 1637. Paris. edit.

XI. Plures LAUDARE possemus Viros doctrina & virtute illustres, *in quibus multum gloriam Dominus magnificentia sua fecit, quorum corpora in pace sepulta, nomenq; vivit in generationem & generationem, quorum sapientiam narrant populi, & laudem nunciat Ecclesia*; plures inquam recentioris ævi laudare possemus DOCTORES CHRISTIANOS, quos vera illa summaque FELICITAS est complexa, eò quod post transactam in lingvarum & artium studio ætatem, ad divinarum rerum tum intelligentiam tum propagationem omnes cogitationes suas, studia omnia contulerunt, semper æterna mundanis, immortalia caducis, divina humanis felicissima optione anteponentes; cum verò iidem longè celsiora in BEATÆ ÆTERNITATIS Sacrario pegmata conscenderint, multorum etiam in præliminari nostrâ dissertatione pariter ac ipsis Commentationibus honorificam fecerimus mentionem; ea potius sub operis hujus finem sectabimur, tribusque (quod ajunt) indicabimus verbis, quæ LITERATOS HOMINES tum ad veræ sinceræque VIRTUTIS (imperturbatæ semper FELICITATI sociatæ,) studium, tum ad propagandæ, aliisque commendandæ PIETATIS amorem invitare pariter ac incitare validissimè possint. Tantum equidem abest ut tot miserabi-

Syrac. XLIV. Ps. 1. 2.

les horrendique literatorum hominum casus, quorum in nostro opere passim meminimus, quibusque non solum omnium seculorum historiæ plenissimæ sunt; sed qui nostra etiam tempora abominabilibus & terrificis exemplis infamia fecerunt, extremæque propemodum infelicitatis damnarunt; tantum abest inquam, ut illa omnem felicitatis ac beatitudinis spem literatis hominibus adimant, atque præscindant, ut potius in illis prudentiam apprimè acuant, torporem omnem mirificè excutiant, optimeque eos edoceant, quâ ratione perspectis tot infelicium ex animo, h. e. vitiosorum literatorum calamitatibus atque miseriis, verè FELICES fieri, & ad imperturbatæ beatitatis sedem tandem aliquando devenire possint, summam perpetuamque ibi reperturi felicitatem. Sit licet literatorum hominum vita, novercantis fortunæ ludibriis undique exposita; insidiis, turbationibus, miseriis, corporisque pariter ac animi ægritudinibus, nullisque non doloribus acerbissimis ita pateat, ut nihil stabilis, nihil jucundi, vel tantillum imaginari, ne dum polliceri sibi audeant vel optimi; lerna & ilias malorum appareat universa eruditorum hominum Respublica, quotidianis & indesinentibus exercita inquietudinibus, & turbamentis, quæ veræ alicujus beatitudinis vix speciem aut simulachrum & umbram exhibeat; tanti tamen hæc & similia neutiquam sunt,

ſunt, ut PIE-ERUDITIS inæſtimabile illud veræ felicitatis bonum extorquere, aut de ſupremæ beatitatis faſtigio eos rurſus deturbare valeant. Et cum nullatenus is verè FELIX dici mereatur, qui ſuam felicitatem ignorat, aut ipſum beatitatis fundamentum vanarum opinionum & fallacium perſvaſionum cuniculis & ſubfoſſionibus evertit aut labefactat; hinc FELIX noſter eruditi Orbis, Civitatisque ſanctæ incola ſtrenuam navet operam, ut non ſolùm bona ſua (cœlitus conceſſa) probè perſpiciat atque intelligat, verum etiam ſiniſtras omnes opiniones exuat, neque in propriis unquam viribus (quæ potius infirmitas & imbecillitas dici merentur,) verum in divina bonitate, clementia & gratia, cui omnia humiliter ſunt adſcribenda, tranquillè & ſvaviter, imò unicè acquieſcat. *Etiamſi* (ait ſapiens) *perfectus ſit aliquis inter filios hominum, abſente ſapientia quæ à Te eſt* (DOMINE) *in nihilum computabitur.* Sit licet quis numeris omnibus abſolutus Doctor, nulliſque non corporis ac animi dotibus gaudeat, ſi tamen fide pietateque verâ ſit deſtitutus, nihili erit reputandus. *Vani* (ait idem ſupremæ Sapientiæ encomiaſtes) *ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia DEI*; ſicut uter vel follis vento quidem turgidus, ſed vino vacuus, vanus eſt, cum nihil in ſe habeat ſolidi, ita LITE-

Sap. IX. v. 1.

Cap. XIII verſ. 1.

LITERATI (licet alias acutissimi sint) lumine quod desuper descendit nonnisi in animas DEI sui studiosas destituti, inanisque potius inflantisque scientiæ vento turgidi, omninò vani sunt ac stolidi, bullæ sunt vento tumidæ, quæ mox ab aëre difflabuntur, vapores & fumi sunt, qui mox tenues vanescent in auras. Optimè Philo in memorabili suo de temulentia opusculo; *Sicut Sol* (ait) *exortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis; ita quoties animi oculi, sincero, puro, fulgidissimoq́ illuminantis DEI splendore irradiantur, nihil aliud inspicere possunt. Affulgens enim ejus, qui est Cognitio, nihil non illustrat, ut etiam quæ sunt per se splendidissima collatione hâc obscurentur.*

XI. Scitè admodum è Veteribus nonnulli enunciarunt, DUO ESSE, quæ ab hominibus nec pecunia comparari, nec à quoquam mortalium donari, nec casu vel hæreditate obvenire cuiquam possint, ERUDITIONEM nimirum & VIRTUTEM, utrumque indefessum exposcere laborem, maximamque industriam, siquidem DEUS (dicente Chrysostomo) paradisum voluptatis ipsiusque beatitudinis locum soli homini agenti concesserit, non desidi aut torpenti, nec hominis ullius vita credatur beata, quæ exilium omni labori si-

ve

ve diurno, sive nocturno indicat. Nihili profecto ducenda esset illa felicitas, quæ ab omni solertiæ meta semper aberraret, inque otio & quiete sine operâ industriaque ferventiori consenesceret. Quandoquidem verò omnis animi operatio, sive ERUDITIONIS, sive VIRTUTIS consequendæ studio suscepta, suum velut finem & terminum reposcat, fruitionisque tandem spectet oblectationem, dubium nullum est, quin illa quæ ex VIRTUTIS exercitio oritur voluptas, longissimè præstet alteri, quæ ERUDITIONEM solidiorē comitatur, cum nullum pretiosius bonum etiam apud profanæ doctrinæ magistros statutum sit, quam illud quod intellectum simul humanum & voluntatem exornet. Nihil thesauro illo præstantius: *Quicquid solidæ Virtutis imperio geritur* (ait ille) *gloriosum est, quidquid ejus colore tingitur, regium est, quidquid ejus dignitate fulcitur, supra omne decus est.* Veteres Deam facientes Virtutem clarissimè indicarunt, perinde esse violare virtutem, ac Deam ipsam. Philo Judæus quandam Virtutis æternitatem commentus, dixit etiam homine pereunte ejus Virtutem esse superstitem, quemadmodum ipse opinabatur Ideas artium una cum Mundo in perpetuum duraturas. Quid quod tanta sit felicitatis oblectationisque illius, ex Virtute vera emanantis præstantia, ut hinc sapiens ad supremam illam evehatur vitæ

regio-

regionem, in quâ ſemper benè agitur, & ad quam cœleſti beneficio delatus verè FELIX, eandem ubivis naturæ faciem Majeſtatemque deprehendit, idem ubique cœlum intuetur, eundem Solem, eandem Lunam, nullis infuſcatam eclipſibus, easdem ſemper tot ſiderum choreas harmonico concentu, ſemper benè diſpoſitas. Nimirum ut ſcitè eruditorum quidam: *Occurrunt ipſi* (ſcribit) *ubiq; locorum conſimiles montes, valles, planities, fluvii, fontes, arbores, herbæ, lapides, animantes, homines, urbes, & dum tam vaſto agitur animo, non unius regionis ſe civem agnoſcit, ſed totius Mundi; & quocunq; venerit, ibi ſe verſari ut in PATRIA putat, adeoq; liber ac ſui juris dicitur eſſe, ut nullo concludi ergaſtulo poſſit, nullis mœnibus capi, & hâc libertate tanto tranquillius utitur, quanto concluſus carcere corporis animus evolat altius, & mentis velut cœli gaudet ſerenitate.* En! ſplendididiſſimum FELICITATIS, quæ ſola VIRTUTE ſapientiæ conſociata paratur, exemplar.

Joſephus Maria. vigl. in Proteo Ethico-Polit. Leg. LXIIX. fol. 359.

XII. Neque verò in eo contemplando ſolum imitandoque VERÆ FELICITATIS CANDIDATI, ſinceræq; pietatis - chriſtianæ Profeſſores toti ſint occupati, verum etiam in PROPAGANDA VIRTUTE, emen-

dan-

dandisq; & ad Salutis semitam reducendis erronibus aliis operam collocare studeant diligentiorem. Sanè cum dicente Nazianzeno *nullâ re perinde DEUS delectetur, ut hominis emendatione & salute*; *nec gratius* illi, ut Chrysostomus addit, *officium præstetur quam si universam vitam ad commune emolumentum conferamus*; eapropter assidua FELICES Literatos cura versare debet, quâ ratione fratres, damnificis doctrinæ & vitæ profanæ tenebris diutius obnupti, ad lucis perennis claritatem, ejusque Scientiæ scopum deduci commodè possint; quæ non [uti inflantes cæteræ] populare est artificium, nec fluxæ consecrata vanitati, non in VERBIS solùm, sed REBUS etiam consistit, mentem fabricat, formatque animum, regit actiones, & agenda pariter ac omittenda demonstrat. *Nemo sanè* (ut præclarè Chrysostomus) *suum ipsius negotium rectè gerere potest, neglectâ PROXIMI salute, propter hoc & Paulus ait: Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius, sciens quod sua cujusque utilitas in proximi utilitate sita est, &c.* Quod ipsum expendens quidam è recentioribus, dicere solitus erat, se omni ope laboraturum ut vel unicam lucrifaciat animam; *Quomodo enim* (addebat) *Christus illum* *con-*

Chrysost. Orat. 4. contra Judæos sub fin.

condemnabit, qui animam, rem illi tam caram & dilectam lucratus fuerit. Nihil est enim (ait rursus notanter laudatus Chrysostomus) quod animæ possit æquiparari, nec universus quidem mundus, itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficies, si unam converteris animam &c. *Nam ut anima* (ait alibi) *corpore melior est, ita illis qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt hi, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam supinos & desides inducunt, monstrando eis Virtutum divinarum fragrantiam, & vitiorum malevolentiam. Hæc omnia cum scimus, præ omnibus aliis hujus vitæ curis, de SALUTE ANIMARUM loquamur proximi, eandem illis sollicitudinem ingerentes. Magnæ enim bonitatis est animam cui hæc continuò intonantur posse reduci ex abysso malorum in quorum medio versamur, & compesci seditionem quæ perpetuo animam nostram infestat.* Cum itaque nobile illud convertendi animas studium non solum cæterarum Virtutum opera, verum etiam nulla non charitatis christianæ officia longissimè excedat, meritò ea cura atque cogitatio cunctos DEO sacratos assiduè versare debet, qua ratio-

Chrysost. Hom. in II. Cor. III.

Idem Hom. III in Genes.

ratione doctrinæ & vitæ profanæ mancipia ſuo miniſterio ad veritatis & voluntatis divinæ agnitionem adduci, & cum offenſo Numine reconciliari queant. Adeò inquam ingenua & nobilis eſt hæc cura ſalvandi homines (præſertim profanè eruditos,) ut ſine eâ digni haud ſimus, qui gregis paſtores & Chriſti diſcipuli aut ſectatores nuncupemur: *Si Mercenarii Chriſti ſumus* (ita rurſus nos Magnus alloquitur Chryſoſtomus) *primum debemus aſpicere quæ ad gloriam DEI pertinent proximiq́ profectum. Quia charitas & verus amor erga DEUM non quærunt quæ ſua ſunt, ſed ad libitum amati cuncta perficere deſiderant.* Audiamus hæc atque ad animum ſerio revocemus, qui Verbi divini publicos præcones agimus, haud quaquam ad noſtram reſpiciamus utilitatem, ne STUDIIS tantummodo privatis vacantes, ANIMARUM LUCRA negligamus, terrenna potius concupiſcentes, humanam gloriam intentâ mente captantes, denique ipſum miniſterium Sacrum ad ambitionis vertentes argumentum. Saxo quovis duriora nobis pectora eſſent, ſi penſare nollemus quæ Gregorius Magnus ad hoc animas ſalvandi convertendique ſtudium quod attinet, nobis dedit expendenda: Penſemus ergò qui unquam per linguam no-

Chryſoſt. hom. 24. in Matth

Gregor. M Homil. XVII in Evangel.

noſtram converſi, qui de perverſo ſuo opere noſtrâ increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit, quis avaritiam, quis ſuperbiam (*cenedoxiam, ambitionem, contentionem, maledicentiam, &c.*) declinavit? Penſemus quod lucrum DEO fecimus nos, qui accepto talento ab eo, ad negotium miſſi ſumus. Etenim dicit: Negotiamini dum venio. Ecce jam venit, ecce de noſtro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de noſtra negotiatione monſtrabimus? Quot ejus conſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus? Ponamus ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem, quo judex veniet, & rationem cum ſervis ſuis quibus talenta credidit, ponet. Ecce in Majeſtate terribili, inter angelorum atque archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unuſquiſque quid ſit operatus oſtendet: Ibi Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe traxit apparebit. Ibi Paulus con-
verſum

versum ut ita dixerim, Mundum ducens; Ibi Andreas post se Achajam, ibi Johannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus post se subditum gregem traxerunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oves quas nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus - - Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur & per impositionem nostrarum manuum á DEO Spiritum Sanctum percipiunt, atq; ipsi ad regnum cœlorum pertingunt, & ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi cœlestem patriam, & nos ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinamus, &c.

Sicuti verò negligentes isti, deque proximorum salute parum solliciti pastores, extremæ infelicitatis aleam olim subituri; ita voluptatem maximam non in futurâ solum, verum præsenti etiam vita illi sunt percepturi, qui de juvandis & ad virtutis semitam revocandis animabus seria semper secum agitant consilia. Tale inquam hoc est gaudii lætitiæque genus, cui nequaquam conferenda, ne dicam antepo- nenda est ulla voluptas terrena alia, ubi nimirùm piè-doctorum aliquis nonnullos operâ sua studioque ex vitiis ad virtutem, ab impietate ad pietatem conversos, vel in ipso pietatis cursu alacriter proficientes, inque omni virtutis genere efflorescentes conspiciat. Quanta obsecro hæc res animo DEUM sincerè amanti affert gaudia? quas sæpè ex oculis elicit lacrymas? *Etenim si* (ut Propheta ait) *capta præda exultant victores*; quanto major in ejusmodi victoriis inq; tali prædâ erit exultatio? Illic alterius partis bonum, alterius damnum est: hic cum nostro fructu proximorum quoque fructus conjungitur, atque hoc ipsum proximorum bonum, nostrum quoque adauget gaudium. Ac licet multis laboribus curisque constet ejusmodi fructus, lætitia tamen subsequens facilè efficiet, ut exantlatæ molestiæ oblivioni citissimè tradantur. Non dubitandum equidem est, quin in hunc etiam partum conveniat illud quod est dictū à Domino:

Esa. 9.

Mulier

Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in Mundum. Atqui major longè lætitia ex spirituali isto partu exoritur, cum homo non nascatur in MUNDUM, [nullis scil. non miseriarum generibus repletum] sed verius nascatur in COELUM; non vitam illam corporis brevissimam consequatur, verum animi potius perpetuam atque sempiternam. Quid igitur sentire nos oportet in hoc immarcessibili fructu, cum videamus philosophum ethnicum in discipulorum (profanæ doctrinæ placitis imbutorum) exultare profectu? *Si agricolam inquit, arbor ad fructum perducta delectat, si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur, quam ut adolescentiam illius, suam judicet, quid evenire credas iis, qui ingenia educaverunt, & quæ tenera formaverunt, adulta subitò videant?* Quid verò fructus quem Seneca cognoscere potuit, si cum nostro comparetur; *Fructu* inquam *spirituali, immortali, æterno?* Taceo quod non una lætitiæ illius sit ratio, sed plures concurrant, DEI inprimis honor, proximi salus, maximum quoddam gratissimumque divinæ clementiæ & bonitatis spectaculum, quibus illud denique accedit, quod tam præclari ope-

Joh. in. XVI.

Seneca epist. 34.

ris ac muneris nos etiam aliquo modo participes ſentiamus, ut cum Paulo dicere & quodammodo gloriari liceat: EGO PLANTAVI. Et cum in eo nemo non mirificè lætetur idque diligat, in quod aliquid ſtudii atque operæ contulit, liquido apparet, juſtiſſimam in Domino exultandi cauſam eos habere, qui in divino adeò opere perficiendo, nimirum animarum ſalute procurandâ etiam atque etiam fuêre occupati. Ut verò hæc ſolatia, hæc gaudia cunctis in animarum meſſe ſedulò verſantibus non certa ſolùm, verum etiam perpetua ſint, eorumque miniſterio plurimi pleno gradu ad veram pietatem contendant, Is cujus negotium potiſſimum agitur, ſupremus ſc. ACADEMIÆ CHRISTIANÆ RECTOR pro in effabili ſua benignitate ac clementia etiam atq; etiam efficiat!

I. Cor. III.



L. B.



L. B.

QVum ultima manus operi huic Theosophico esset imponenda, oportunè admodum oblata mihi fuit Magni illius Oratoris Patavini OCTAVII FERRARII erudita atq; memorabilis de LITERATORUM INFELICITATE prolusio, quâ malorum eruditos Viros undique prementium Iliadem mirâ verborum elegantia ac styli nitore singulari exposuit, maximorumq; ingeniorum extremas calamitates exquisitè adumbravit. Hujus itaq; nobilissimæ scriptionis partem potiorem Tecum ANAGNOSTA INGENUE meritò duxi communicandam: *Extat ea inter O. Ferrarii prolusiones Patav. 1668. editas, num. IX. pag. 81. seqq.*

QUoties mecum ipse repeto, quam infrugiferæ sint sterilesque literæ, quot incommoda ac ludibria sectatoribus suis afferant, quanto in contemptu apud proceres versentur, si qua fides, dictorum & consiliorum omnium sera animum pœnitentia subit, pudetque ac piget toties vobis earum literarum studium inculcasse, in quarum consecutione maximi labores exhauriendi, Biblio-

thecarum sepulchro insenescendum, legitimæ voluptates abdicandæ, abrumpenda vitæ blandimenta, ut demum una paupertas, unà miseriæ, una contemptus confluant, earumque discipulos, ac doctores circumsistant.

Exhorrescat profectò necesse est, quicunque literatorum infelicitatem, varios casus, supremasque necessitates revolvet. Nec lingva modo, sed mens ipsa refugit, hæc Græcis cothurnis aptiora repetere. Non enim unus aut alter sorte quadam & fati malignitate, sed gregatim occurrunt, qui post consumptam literarum laboribus vitam, earundem fructu ægrè ipsam vitam tolerarunt, & aut alienas fores obsidere, aut diuitibus adulari coacti sunt, aut turpi ministerio alimenta expedire, aut omnium egeni in publica domo inter mendicabula indignantem animam projicere; Et cum rabula, ac sillabarum auceps jurgiis, ac clamore ditescat: cum medicamentarius, cum artium ludicrarum doctores superbi perambulent: cum sellularius aliquid quotidie lucello apponat, soli eruditi, nisi quos aut avita res, aut aliud artificium sublevat una cum literis, & paupertate educantur, soli laudantur & frigent: tolluntur ad sidera, jacentque: comitati in publicum prodeunt, & ne servulum quidem domi, neque arcam, nec cimicem habent: pleno Gymnasio excipiuntur, vacuas ædis incolunt: omnia cum ab illis petantur, nihil datur: libri

eorum

eorum manibus omnium teruntur, ſuppellex digitum ſuſtulit: meliorem exiſtimationem habent, quam veſtem plures, laudatores numerant, quam nummos; ſalutationibus pleni, inanes loculos referunt: verba dant, & accipiunt, digito monſtrantur, neſcio ob ingenium, an ob corporis illuviem: & cum benè laudati domum venerunt, ſæpe incœnati cubitum petunt, credo ut ſummo mane facilius ad Muſas ſalutandas expergiſcantur.

Sed hæ maximæ nugæ ſunt, præ ut quo pacto fortunæ livor, Regumque inclementia atrocia in eruditos exempla ſemper edidit. Ab Homero principium Muſæ. Is omnis ſapientiæ, atq; eruditionis parens, ingeniorum princeps, naturæ indulgentis miraculum, neſcio majori fatorum infamia, an veſtro Pierides rubore, ſine re, ſine lare, ac tecto omnis divinæ, atque humanæ opis egentiſſimus, & ad augendam ſuperum invidiam oculis captus, manum porrexit ad ſtipem, ac divini poëmatis partes decantans ad oſtia, ægre famem depulit: Ut etiam in ipſa morte fortunæ ludos inſtrueret, nam quod jocoſum piſcatorum ænigma ſolvere neſciviſſet, mærore extinctum haud obſcuri ſcriptores prodiderunt. Forte illi in littore cum mare turbatum ferias daret, aprico Sole, alii capturæ intenti, fœda indagine demerſa capillis, ac ſordentium tunicarum rugis animalcula quærentês, quæ reperire nollent, viſo

Homero per ludibrium vatum maximi tanquam de tripode ſententiam explorant. Nodus Homero vindice dignus ſui erat: Quos cœpimus non habemus, quos non cœpimus habem⁹. Sed mendico noſtro facilius fuit mori, quam nexum expedire. Idque unum ludibrio deerat, ut qui pediculorum agmina verminantium toto corpore pauerat translata veluti in animum Phtiriaſi ab iisdem conficeretur. Quid jam cetera perſequar? Pindarum Lyricorum DEUM in ephebi gremio expiraſſe: Euripidem ut ferunt à canibus laceratum: Pythagorá una cum ſectatoribus infelicibus flam̃is uſtulatum: Platona inter epulas divinum illum ſpiritum exhalaſſe: Ariſtotelem, quod Eyripi naturam non caperet, ſe in eundem conieciſſe. Demoſthenem veneno captivitatem effugiſſe. Plautum in piſtrino non hominis operas locaſſe, ſed caballi: Lucretium amoris poculo in furorem actum: Tullium inimico ceruicem præbuiſſe: Ovidium tota barbarie obrutum: Senecam & ejus agnatum Lucanum purpuream animam toto corpore evomuiſſe: Plinii naturæ capax ingenium cineribus obrutum, & ne hic omnes Libitinæ faſtos excutiam, dicere diſtincte, prætermittam, alios dira lue abſumptos: quoſdam veneno ſublatos: hos aquis interceptos: illos penatum ſuorum ruina conſepultos: iſtos ferrum jugulo infeciſſe: illos igne funeratos: pleroſque aut pædore carceris exanimatos, aut carnificis

manu

manu confectos: Nonnullos seruili dextra, aut uxorum insidiis occubuisse: alios deniq; ut egestatem, vel contumelias evitent in se vertisse rabiem, & vel jacto in præceps corpore, vel transfosso pectore, aut aperto jugulo fatis satisfecisse. Sed ne antiqua nimis repetantur, quis nescit Nicolaum Francum elisis laqueo faucibus pependisse? Aonium Palearium, Jacobum Bonfadium, Hieronymum Sauonarolam publice crematos? Ut ingentem eorum numerum transeam; qui capta ab Hispanis duce Gallo Urbe Roma, mille mortis generibus per teterrimos cruciatus expirarunt. Cum ingeniosa barbaries inaudita tormentorum genera excogitaret, ut immania tributa exigeret, ac defossi auri confessionem exprimeret. Cum proceres ipsi asellis conversa facie impositi, sacrorum veste excultis militibus ceno obliti sub furcas agerentur; At eruditorum servientium turba validos tortores delassaret: & hi quidem admoto igne torrerentur: illi de putei troclea quassati, moxque iisdem aquis demersi: magna pars adactis sub ungues festucis excarnificati: minutis vulneribus confecti: candenti ferro vellicati: Ferventi adipe plumboq; adusti: & ne quod veteres quidem Tyranni excogitarunt per testes, ac generationis membra suspensi, tandemque vigiliis, algu, inediâ exanimati. Verè barbari, verè stipites, qui ab eruditis aurum poscerent, quorum soror, ac comes pau-

paupertas semper fuit, magnaque suppellex librorum cistula, putris grabbatus, & luctantes cum tineis chartæ, vestesque infelicitatis instrumenta. Quorum tam fædè morientium triste solatium fuisse existimo, quod viderent, ipsos Trojugenas, heros suos vel potius carnifices, ærumnarum sorte sibi æquatos, avaritiæ ac crudelitatis pœnas, plusquam ipsi vellent, persolvere. Nolo in universum conqueri non enim præficæ operam locavi, quæ literatorum funere lessum faciat. Ingratam auribus vestris hanc næniam non dubito. Sed torquet me atque excruciat, ut nihil de his temporibus loquar, recens eorum memoria, qui nondum expletum fatorum furorem testati sunt. Nam Ludovicus Ariostus, Etruscus Homerus, quantum ab heris suis adeptus est, quibus ille æternam nominis gloriam comparaverat? Malo ipsum interrogetis satyrasque vetustati pares perlegatis, quibus fortunæ suæ angustias, ac patrimonii tenuitatem, non sine Dominorum invidia facunde, ac salsè miseratur. At Torquatus Tassus, Italus Virgilius, ab iisdem tam illiberaliter exceptus est, ut propter hoc credatur vergente ætate mente eversus, qui sapientiæ morbus cum paulatim remitteret, ut præparcum Principum ingenium ulcisceretur, divinum opus, nescio an melius immutatum Aldobrandinis inscripsit, à quibus destinatos sumo vati summos honores mors antevertit. Porrò Joh.
Bapti-

Baptista Marinus quantum poesi lucratus est? longo carcere fractus, tam propè à ferali pegmate, quam à veterum poetarum laude fuit. Nisi quod extremis annis propitium Gallicum Cœlum habuisse visus est; sed unde unctius caput non retulerit, ut demum in patria majori laude, quam censu extingueretur.



FERRARIANAM HANC DE DOCTORUM HOMIN. INFELICITATE DISSERTATIONEM EXCIPIAT.

INFELICIUM PARITER AC FELICIUM (QUORUM TOTO HOC OPERE MEMINIMUS) LITERATORUM ACCURATA DESIGNATIO:

LITERATI INFELICES

(I.) EX CASIBUS ET CALAMITATIBUS VARIIS.

Homerus pag. 4. *Hesiodus* 6. *Anacreon Tejus* 8. *Alcman Sardiensis ib. Philistio Nicæus* 9. *Philippides* 9. *Sophocles ibid. Æschylus ib. Oppianus Cilix*

(II.) INFELICES EX IMPIETATE ET ATHEISMO SIVE DIRECTO SIVE INDIRECTO ET PARTICIPATO:

(III.) INFELICES EX FASTU ET SUPERBIA.

ciscus Robortellus 220. *Joh. Fasceolus Prof. Patavinus* 120. *Joh. Baptista Marinus ib. Joh. Ciampolus* 221. *Antonius Maraffa* 222. *Joh. Franciscus Carretonius* 2 3. *Alexander Tassonus ib. D. Dichaus ib. Trajanus Boccalinus ib. Angelus Angelotius* 225. *Raphael Menicuccius* 225. *Claudius S.* 227. *Richardus Mont.* 229. *Moses Am. ib. Joh. Camero ibid.*

(IV.) INFELICES EX INANIS GLORIÆ AMORE AC STUDIO:

Crescens Philosophus 303. *Aristoteles* 304. *Cicero* 305. *Empedocles* 397. *Anonymus apud Arianum* 305. *Palæmon Grammaticus* 306. *Appion Grammaticus* 306. *Calliphanes* 307. *Calvisius Sabinus* 307. *Aulus Posthumius ib. Thestorides* 317. *Cleombratus* 397. *Hieronymus Cardanus* 308. *Joh. Wesselus Gansfortius* 309. *Angelus Politianus ib. Fortunatus Scachus* 311. *Belm. Cagnolus* 3 2 *Cynthius Lucarinus* 312. *Franciscus Balduccius* 313. *Jacobus Claverius* 317. *Zoilus Ardelio* 317. *Concionator quidam Hispanus* 365. *Andreas Thevetus* 426.

(V.) IN-

(V.) INFELICES EX INVIDIA ET ÆMULATIONE ACTIVA.

Meneclides Orator 444. *Zoïlus* 446. *Antiochius Lemnius* 446. *Cydon ibid. Xenophanes, Colophonius, Amphimenes Cous ibid. Pherecides ib. Salarus ib. Aridæus Macedo & Crateva Thessalus* 484. *Anaxagoras, Sosibius ib. Timocreon ibid. Xenophon ibid. Plato* 474. *Aristoteles* 447. 475. *Pollio Asinius ib. Palæmon Grammat. ib. Demetrius Ep. Alex.* 450. *Euseb. Cæsar. Ep.* 454. *Timotheus Alex.* 457. *Theophilus Alex.* 459. *Joh. Hierosol.* 460. *Sabinianus Ep. Rom.* 475. *Jacobus de Hogstraten* 470. *Stunica, Leus, Sutor, Bucenta, Standicius Dorpius, adversarii Desid. Erasmi Roterod.* 471. *Lisius Sinicus* 476. *Baptista Egnatius* 485. *Claudius S.* 503.

(VI.) INFELICES EX INVIDIA PASSIVA, SIVE QUI AB ALIENO LIVORE SUNT INFESTATI.

Pythagoras 445. *Socrates* 444. 525. *Homerus* 446. *M. T. Cicero* 445. *Hesiodus* 446. *Pindarus ib. Thales ib. Bias ibid.*

(VII.) INFELICES E RIXIS SIVE CONTENTIONIBUS.

Eucli-

(IIX.) INFELICES EX MALEDICENTIA :

718. *Archilochus ibid.* 718. *Theocrines ib. Bion poeta ib. Novatus* 672. *Arius* 673. *Eunomius ib. Julianus Pelagianus* 673. *Secundinus Manichaus ib. Comes Pascentius ib. Petilianus Donatista* 674. *Berengarius Scholasticus obtrectator Bernardi* 677. *seqq. Franciscus Robortelus,* 683. *Franciscus Rablasius* 684. *Marcellus Marchesius* 685. *Alexander Stufa ibid. Ludovicus Regius ibid. Trajanus Boccalinus* 686, *Caspar Sciopius* 687. *Jos. Scal.* 687. *Claudius S.* 688. 709. *Caspar Barlaus,* 690. *P. Jonius* 691. *Christianus Gerson* 706. *Noddo quidam* 723. *Sacerdos anonymus* 722.

(IX.) INFELICES EX AMBITIONE:

Aristoxenus Peripateticus 790. *Terentius Varro* 795. *M.T. Cicero ib. Jul. Casar Stella* 793. *Tatianus* 803. *Arius ib. Aerius ib. Timotheus Ælurus* 804. *Flavitas Ep. CP. ib. Archidiaconus quidam Canusinus* 806. *Thomas Volsaus* 792. *Barnabas Brissonius* 793. *Joh. Funccius ib. Caspar Peucerus* 795.

(X.) IN-

(X.) INFELICES EX AVARITIA:

Peripateticus quidam apud Iustin. Mart. 887. *Simonides* 877. *Alcinous* 878. *Protagoras Abderites* 888. *Spensippus ibid. Theophilus Alex.* 903. *Rheginetus Episc. Misnensis, ibid. duo literati anonymi* 866. *Iohannes Coricius* 878. *Bartholomaeus Grossus* 879. *anonymus quidam* 880. *Dichaeus Dichaeanus* 881. *Theodorus Gaza* 895. *Gabriel Zerbi* 896. *Trypho Dalmata* 897. *Sarratonius Venetus* 898.

(XI.) INFELICES EX NOXIA CURIOSITATE:

Protagoras Abderites 955. *Cicero* 959. *Heraclitus* 1023. *Simon Churnajus vel Thurvajus* 956. *Henr. Cornel. Agrippa*, 957. 978. *Hier. Cardanus* 957. *Abrahamus de Balmis* 958. *Joh. Bodinus* 962. *H. Grotius* 963. *Gvilelmus Postellus* 971. *Petrus de Apono* 981. *Anselmus Parmensis ibid. Johan. Faustus ib. Michael Scotus ib. Joh. Trithemius ib. Ren. Cartesius* 987. *Arnol-*

dus à Villa Nova 991. Joh. Baptista Marinus ibid.

(XII.) INFELICES EX CASSIS ET SUPERVACANEIS LABORIBUS.

Joh. Regius Venetus 990. *Arnoldus à Villa Nova* 991. *Augustus Valdus ib. Poetæ quidam Lyrici* 992. *Pittacus Canterus Lucianus, Polycrates, Clearchus* 1015. *Antonius Marostieus* 994. *Hieron. Carbo* 995. *Tadius Ugolettus* 995. *Iacobus Constantius, ib. Arnoldus Bohyræus* 996. *Martinus Smetius* 997. *Petrus Gillius ibid.*




FELICIUM QUORUNDAM LITERATORUM IN HOC OPERE LAUDATORUM SYLLABUS.

M*Oyses Propheta*, pag. 642. 827. *Plato*, 381. 1068. *Socrates*, 280. 848. 1067. *Demosthenes*, 732. *Democritus*, 642. *Bias*, 931. *Epictetus*, 206. 642. 733. 735. 1069. *Zenon*, 643.



IN-



782929



INDEX RERUM ET DOCUMENTORUM MEMORABILIUM COPIOSISSIMUS.

A.

Alex-

Bioni s

Demon-

E.

Fauſt

Flacii

Humi-

Libra-

LITE-

con-

Miner-

Nun-

Otium

 res,

Reve-

Scien-

Sme-

Syne-

Thoma-

V. Val-

V.

Ulge-

Volu-

Zoilus

EMENDANDA.

PAg. 69. lin. 5. lege extemplo. p. 231. lin. 3. lege ille. p. 483. lin. 13. lege ipsam. p. 487. l. 7. lege nequeat. p. 505 lin. penult: l. Homicidæque. p. 607 l. 21. lege inter. p. 690 l. 13. l. cum hic illum scil. Barlæum &c. p. 657. l. 1. lege affectata Doctorum. p. 739. l. 11. lege id. p. 782. lin. 3. l. transfigere. p. 778. l. 15. l. inane. p. 798. l. 18. l. quassantur. pag. 958. l. 3. dele, voc. argumentum.

FINIS.



Digitized by Google